6
40 M 1
29
...theca
...l. Rom.
... Jesu

14-14-G. 21

# FLAMINII

NOBILII LVCENSIS

PHILOSOPHIAE

IN PISANO GYMNA-

SIO DOCTORIS.

De Hominis Felicitate Libri tres.

AD PIVM QVARTVM PON-

TIFICEM MAXIMVM.

De Vera, & falſa Voluptate Libri duo.
De Honore Liber vnus.

*AD FRANCISCVM MEDICEM*

*FLORENTINORVM, ET SE-*

NENSIVM PRINCIPEM.

*Lucæ apud Vincentium Busdracum.*
*M D L X I I I.*

DE Rebus tractandis, ac de tractandi ratione. Cap. i.
Omnibus rebus aliquem finem eſſe propoſitum, hominis autem finem eſſe felicitatem. cap. ii.
Duplicem felicitatis definitionem afferri debere, vnam quæ nomen explicet, alteram quæ cauſam, à qua pendet. cap. iii.
Prima felicitatis definitio nomen explicans. cap. iiii.
In ſecunda definitione ſtatuenda, quæ cauſam afferat, varias eſſe opiniones; tres autem potiſsimum extare, vnam vulgi, alteram politicorum hominum, tertiam philoſophorum. cap. v.
Neque in voluptate, neque in honore eſſe ponendam felicitatem; ac philoſophorum etiam ſententiam poſſe validis argumentis oppugnari. cap. vi.
Optimum & corporis, & animi ſtatum in felicitate requiri; animum tamen propriam eſſe felicitatis ſedem. cap. vii.
Non in facultate, aut habitu, ſed in propria hominis actione cõſiſtere felicitatẽ. c. viii

De tribus animantium generibus, & proprio cuiuſquè generis fine. cap. ix.
Quid appetitus, quid voluntas ſit. cap. x.
De facultate, affectione, habitu, quæ tria in appetitu dicebat eſſe Ariſtoteles. cap. xi
Affectionum diuiſio. cap. xii
Cur in homine inferiores animæ ſint coniunctæ menti, & quæ ex coniunctione hac effecta prodeant. cap. xiii.
Felicitatem eſſe actionem mentis virtuti cõſentaneam. cap. xiiii.
Quomodo felicitas & corporis, & externa bona deſideret. cap. xv
In omnibus de felicitate ſententiis eſſe veritatis vmbram. cap. xvi.
Solam virtutem non ſatis eſſe ad felicitatẽ aduerſus Stoicos. cap. xvii.
Requiri etiam in felicitate perfectam vitam, & mortem anteactæ vitæ conuenientem. cap. xviii
Felicitatis diuiſio. cap. xviiii
De ciuili felicitate. cap. xx.
De felicitate, quæ in contemplando verſatur. cap. xxi

# CAPITA SECVNDI LIBRI.

NON eſſe nobis à natura inſitas virtutes, ſed conſuetudine acquiri. cap. i.
Virtutes eſſe habitus appetentis facultatis, & generari ex actionibus. cap. ii.
Actiones, quibus ad virtutem inſtruendi ſumus, mediocritatem tueri debere. cap. iii.
Habitum eſſe genus virtutis. cap. iiii.
Virtutis definitio, & definitionis omnes ferè partes explicatæ cap. v.
Virtutis partitio. cap. vi.
Virtutis, quæ in affectionibus potiſsimum moderandis verſatur, partitio. cap vii.
De Temperantia, & Fortitudine. cap. viii.
De moderato honoris ſtudio, de animi magnitudine, de lenitate cap. ix.
Virtutis, quæ ex rebus externis præcipuè ſpectatur, partitio; ac primum de iuſtitia & equitate. cap. x.
De liberalitate, & magnificentia. cap. xi.
De virtute illa, quæ ob ſimilitudinem amicitia dicta eſt, de perpetuo veritatis ſtudio, de vrbanitate. cap. xii.
De continentia, de heroica virtute, de pro-

prie dicta amicitia. cap.xiii.
De mentis noſtræ partibus,& habitibus,ac primum de Prudentia,& arte. cap.xiiii
De conſultatione,& quid ſit conſilium capere. cap. xv.
Quomodo vir probus, & improbus,& incontinens conſilium capiant. cap.xvi
Virtutes morales prudentia, prudentiam virtutibus moralibus egere; qui vna virtute præditus eſt, eum omnibus eſſe præditum, prudentiam á ſolertia, & ſagacitate differre. cap.xvii
Quod nam ſit Prudentiæ officium, ac de arte militari,& oratória, cap.xviii
De intelligentia, ſcientia, ſapientia;ac de ſcientiæ partibus,& de duplici Theologia. cap.xviiii.
De virtutibus, quæ Theologicæ appellantur,Fide,Spe,Charitate. cap.xx.
Quis ordo in ſcientiis addiſcendis ſit ſeruandus. cap.xxi.
De voluptate,& honore cap. xxii.

## CAPITA TERTII LIBRI.

Ciuilem hominem eſſe partem ciuitatis; Quare in ipſius felicitate non modo ſui ipſius, ſed etiam propinquorum, & ciuium bona animi, corporis, fortunæ requiri. Cap. i.
De hominum beneuolentia, de amicitia, de libertate quas ob cauſas expetantur. cap. ii.
Quomodo ciuilis felicitas perfectum ſit bonum, tametſi ad illius ſummam accedere aliquid poſſe videatur. cap. iii.
Sitnè mediocris bonorum externorum cõpia eorumdem exuperantia optabilior. cap. iiii.
Integra ciuilis felicitatis definitio, ac de animi tranquillitate. cap. v.
Quid ſit miſeria, ac de falſis improborum voluptatibus. cap. vi.
De ſtatu inter felicitatem, & miſeriam interiecto intermedio. cap. vii.
Poſſe hominem ex beato fieri non beatum, ex beato fieri miſerum non poſſe. ca. viii
De mente capace, & efficiente Ariſtotelis ſententia expoſita. cap. ix.

Quatenus liceat Deum in hac vita cognoſcere, & in ipſius contemplatione, id eſt in ſapientia conſiſtere alterum genus felicitatis. cap. x.

Nullam aliam rem mentis noſtræ naturam explere præter Deum poſſe: quare hanc felicitatem vel Dei cognitionem eſſe, vel Deum actu cognitum. cap. xi.

Simus ne feliciores ea ratione, qua Deum amamus; an qua intelligimus. cap. xii.

Quomodo felicitas à voluptate diſtinguatur; & expetatur ne vita ob voluptatem, an voluptas ob vitam. cap. xiii.

Abſolutiſsima huius felicitatis definitio, & hanc verè perfectum, quodque homini ſatis eſſe debeat, bonum eſſe. cap. xiiii

Poſita ne ſit hæc felicitas in Dei cognitione, an potius in huius cognitionis animaduerſione. cap. xv.

Quo pacto ad hanc felicitatem bona corporis, & fortunæ pertineant. cap. xvi.

Expetat ne hic felix per ſe hominum beneuolentiam, & egeat amicis. cap. xvii.

Quæ ſit huic felicitati oppoſita miſeria. cap. xviii.

Breuis omnium cauſarum, à quibus felicitas

tas pendet, explicatio. cap.xix.
Quæ ſint illa, quæ nos ad felicitatem conſequendam præparent, præcolantquè cap. xx.
De bona fortuna, ac poſsint nè corporis bona fortunæ bona appellari. cap.xxi
Multiplicem eſſe boni diuidendi rationē, & ad quod boni genus felicitas referatur. cap.xxii.
Ciuili felicitati illam, quæ in contemplatione ſita eſt, præſtare. cap.xxiii.
Argumentorum, quæ ab illis, qui contrariam opinionem tuentur, afferri poſſunt, reprehenſio. cap.xxiiii.
Auerrois de mentis noſtræ natura, & felicitate ſententia. cap.xxv.
Themiſtii ſententia. cap.xxvi.
Alia Auerrois, & Themiſtii ſententiæ explicatio. cap. xxvii.
Simplicii opinio. cap.xxviii.
Plotini, & aliorum Platonicorum opinio, & obiter multa de Ideis, ac de diuerſis virtutum generibus. cap.xxviiii.
Pythagoræ opinio. cap.xxx.
Alexandri opinio. cap. xxxi.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMAN.

*pace egemus. Nam in bello quidem metus ipſe eſt magiſter officij. At cum timore vacui in ocio degimus, ſecundoquè vtimur fortunæ flatu, facilè petulantes, contumelioſi, ſuperbi reddimur, niſi emendatrix morum Philoſophia acceßerit, quæ nos intra cancellos modeſtiæ contineat, moneatquè continenter non ſuperbia, & faſtu, ſed humanitate, probitate, virtute, magna aliqua, & præſtante diſciplina excellere pulchrum eſſe. Ac ſanè, ſi qui ſint, vt Poetæ fingunt, in fortunatorum inſulis omnium bonorũ copia abundantes, ijs potisſimum neceſſariam eſſe veriſimile eſt iuſtitiam, temperãtiam, philoſophiam. Nec verò ſtudia literarum vel ipſi religioni non maximo ſunt, & adiumento, & ornamento. Declararunt id ſanctißimi homines Baſilius, Auguſtinus, Hieronymus, Thomas; qui cum Deo, vt ita dixerim pleni eßent, omnibus tamen diſciplinis, ac philoſophiæ preſertim operam ſibi eſſe dandam putauerunt vt ad rerum diuinarum cognitionem procederent comitatiores. Pleriquè etiam eorum in oratione ornanda, atquè excolenda ſummam diligentiam adhibuerunt; quòd intelligerent neque Theologiam, neque Philoſophiam ſine dicendi copia, ac facultate ſatis commodè munus tueri ſuum, ſatiſquè vberes fructus ferre poſſe. Iure igitur tu, qui hæc optimè omnium noſti, honorum, & præ-*

*miorum ſpe præclara ingenia ad bonas artes colendas allicis, vel potius impellis. Ego autē, qui in huiuſmodi artibus nihil ſum, ſed tamē, vt nonnihil eſſem, diu, multumquè laboraui, in publica hac ex principatu tuo exorta lætitia cum hos libros, quorū primum tibi adhuc Cardinalatum gerenti dono dederam, ſumma alacritate (vtinam pari etiam proſperitate) abſoluiſſem, eos nunc tanquam mei erga te perpetui cultus monumentum ad te deferre placuit, & in tuo nomine, quod Sanctitatis, et Beatitudinis pleniſſimum eſt, emittere. Quod etiam mihi idcirco verius videbatur; vt is, cui hæc de felicitate tractatio dicaretur, felicitatis quaſi viuum quoddam exemplar eſſet, in quod homines intuentes, ea quæ nos oratione perſequimur, re ipſa agnoſcerent, indequè omnium virtutum, ac bonorum, de quibus agimus, ſumere exempla poſſent. Tibi autem Pontifex non minus Optime quàm Maxime pro ſingulari illa vitæ comitate, benignitatequè tua, quæ cum alijs maximis virtutibus coniuncta te Deo ſimillimum reddidit, dignumquè effecit, qui illius maieſtatem, atque poteſtatem in terris referres, labores meos non ingratos fore confido, fauturumquè te ſi minus ingenio, quod eſſe perexiguum ſentio, at certè induſtriæ, ac diligentiæ, quam in optimis, & rectisſimis Philoſophiæ ſtudijs non mediocrem per omne meum vitæ tempus poſui, & locaui.*

Cap.I *Tribus autem libris tota hæc quæſtio, quemadmodum nobis propoſueramus, ſatis commodè videtur eſſe explicata. Primo enim libro quibuſdam non ſapientum hominum ſententiis exploſis, ex iis, quæ ab Ariſtotele, & Platone ſcripta ſunt, complicatam quodammodo Felicitatis notionem euoluimus, ipſiusq́; duo genera notauimus, alterum quod in actionibus honeſtis, atque virtuti conſentaneis, alterum, quod in contemplatione, veriquè perſpicientia conſiſtit. His autem iactis fundamentis in ſecundo libro, vt vis, & natura vtriuſque generis bene perciperetur, multa de virtutibus, tum illis quæ à Philoſophis ſunt inuentæ, tum Theologicis, multa item de ſcientiis, ac preſertim de ſapientia, quæ in contemplatione Dei potiſſimum verſatur, perſequuti ſumus. Quî enim, aut agendo, aut contemplando beatam te vitam conſequuturū ſperes, niſi quibus actionibus, aut cui contemplationi operam dare oporteat, intelligas? Poſtremò, cum multæ ex iis, quæ iam dicta erant, exiſterent non contemnēdæ quæſtiones, iis profligandis, atque vtriuſquè felicitatis perfectæ definitioni conſtituendæ tertius eſt dictus liber. Itaq́; de Humanæ mentis natura, de Ideis Platonicis multa diſſerenda fuerunt, variæquè clarorum Philoſophorum, ac Theologorum de ipſius mentis conditione, & felicitate opiniones explicandæ, atquè excu-*

*tiendæ. Ad quas res tractandas genus orationis non omnino ſordidum adhibere conati ſumus. Iam diu enim eſt, cum præclariſsimi viri inueteratam illam barbariem ex liberalibus artibus, & ipſa philoſophia deleuerunt: quorum veſtigiis inſiſtere, modò poſsimus, habemus certè in animo. Nec tamen mihi interdictum velim, ne quibuſdam neceſſariis nominibus, quamuis illa M. Tullio & illius aureæ ætatis hominibus non admodum probata ſint, vti poſsim. Res enim mea quidem ſententia ita ſe habet. Quemadmodum illa noſtrorum hominum nõ verba, ſed monſtra, atque portenta ferri nullo pacto queunt, ſic vt inuſitatum aliquod vocabulum vitemus, indignum eſt inani ſuperſtitione præclara quædam non poſſe ſcribi, & rebus ipſis, quæ explicationem poſtulant, tenebras offundi. Excuſationem verò illam, qua ſæpius in libris de moribus vtitur Ariſtoteles, non vbiquè neceſſarias argumenti concluſiones eſſe requirendas, præclareq́ agi, ſi ſubiectæ materiæ ſit accommodata oratio, omnibus in rebus veritatem in profundo eſſe demerſam, ſed in moralí præſertim philoſophia multa eſſe incerta propter varias hominum opiniones, cum tamen ab ipſorum inſtitutis, & legibus tota pendere videatur, eò magis à nobis accipere lectores debebunt, quò ab illius ingenij diuinitate, doctrinæquè excellentia longius*

*abſumus. Idem autem aliam affert excuſationem, quæ nobis in præſenti neceſſaria non eſt. Ariſtoteles enim, cum ſingulas quasque Philoſophiæ partes ſeparatim explicandas ſuſcæpiſſet, merito ſe in Ethicis aliquando excuſauit, niſi omnia afferret, quæ de Felicitate tradi poſſent. Multa enim ad reconditiorem Philoſophiam pertinere affirmabat. Nos hoc tempore certam aliquam Philoſophiæ partem non profitemur; ſed quæcunque ad hunc locum illuſtrandum facere videbuntur, ea omnia aut à Phyſiologia, aut ab ea ſcientia, quæ de diuinis mentibus tractat, ſumentes afferemus. Sed iam nimis multa præfati ſumus. Quocirca ad rem propoſitam aliquando deueniamus.*

Cap. 2 *Principio ponatur illud, quod et Academicis, et Peripateticis ſummopere video placuiſſe, omnia quæcũque in hac vniuerſitate continentur, mirifico quodã boni deſiderio eſſe affecta, aut acquirendi, aut certè conſeruandi, & ad ipſum bonum, tanquàm finem, et extremum referri. Atqui vt in ſingulis quibuſque rebus efficiendis, licet multæ cauſæ concurrant, ſummus tamen, & primus opifex ſuam & ipſe efficientiam adhibeat neceſſe eſt; cæteroqui nihil in lucem prodire, nihil ne paulum quidem moueri queat; ſic in iiſdem rebus ad ſeſe alliciendis, atque rapiendis multa quidem bona, multi fines exiſtunt: ſed omnes*

*quaſi deriuantur, & vires accipiunt à ſupremo fine, qui reapſe cum primo opifice idem eſt Quapropter princeps ille Deus cum cauſis omnibus conficientibus ſimul efficit, & cum reliquis finibus ſimul allicit, & mouet; idcircoque non modo apud Philoſophos, ſed etiam apud Theologos noſtros vulgatum illud eſt, nihil eſſe in rerum natura quod non Deum expetat. Communis igitur omnium rerum finis, commune extremum Deus, et bonum eſt. Verum quemadmodum cuiuſquè ſpeciei propria, & ſua natura eſt à cæteris diſtincta, ac diſpertita, ita etiam proprius exiſtit finis, & vni tantum naturæ accommodatus. Quod, ſi ſingula inſpiciamus, clarum, perſpicuumque erit. Terrena, & aquea ſuopte nutu deorſum feruntur, reliquæ duæ primorum corporum partes, vna ignea, altera ſpirabilis, & flabilis ſuperiora magis appetunt, quòd horum in ſuperiore loco, illorum in inferiore, forma, & perfectio optimè conſeruatur. Plantæ vero radices in terram defigunt, vt ab ea ſubſtententur, & alantur; truncos, ramosq́ Soli exponunt, vt fructus ferre poſſint, & ſobolem propagare. Iam animalia ipſa quantam curam adhibent, vt comparent, quæ ſibi ſunt ad vitam neceſſaria, declinent autem ea, quæ detrimentum allatura exiſtimant? Quàm diligenter ſenſus tuentur ſuos? Quàm nihil pretermittunt, vt ingrediendi*

*facultatem incolumem ſeruent? Atquè, ut hanc rem aliquando concludamus, puræ illæ, & ſimplices mentes, quæ Planetarum orbibus præſunt, autorem, & effectorem ſuum aſsiduè contemplantur, atquè amant, illiquè pro uiribus ſe ſimiles reddunt: in quo ipſo omne bonum, omne iucundum, omne pulchrum ſitum, & collocatum eſt. Nec uerò quenquam mirari uelim, quòd res etiam inanimas, & cognitionis expertes boni appetitione moueri dixerimus. Nam cum appetitionem dicimus, nihil aliud planè intelligi uolumus, quàm inſitam quandam, & innatam rei propenſionem in id, quod aut ipſa ſibi bonum eſſe cognouit, aut numen illud præſtantiſsimæ, & ſapientiſsimæ mentis, cuius præpotente ui per cunctas naturas ſe ſe fundente, & inſinuante mundum hunc gubernari ſatis conſtat. Homini igitur, cum huius uniuerſitatis non modo pars, ſed etiam nobiliſsima pars exiſtat, bonum aliquod pro fini, & extremo propoſitum eſſe nullus, opinor, inficiabitur; ad quod omnes ſuas cogitationes, omnia ſtudia, omnes actiones referat: cuius quidem cognitio non minus fortaſſe nobis ad uitam præclarè inſtituendam proderit, quàm nautæ ad tenendum portum quem concupiuit, cynoſuræ, aut ſagittario ad collimandum ſigni inſpectio conducat. Non enim eodem modo nobiſcum, quo cum reliquis animantibus, egit natu-*

*ra. Sed cum illis rationem, & mentem non conceſ-ſiſſet, certum tamen, ac decentem, quem ferè ſemper conſequerentur, finem conſtituit. Nos tanto, tamq; excellenti munere, id eſt intelligentia ipſa donatos eò adegit, primum vt in fine deligendo facilè decipi poſſemus, deinde vt in vero, proprioquè aſſequendo plurimum laboris, plurimum diligentiæ adhibere co geremur, niſi à noſtra conditione recedere, atque in aliam, et quidem multò viliorem naturam cõuerti vellemus. Quare veriſsimè dixit Prodicus Chius tot, tantorumque bonorum, quæ nobis ſunt collata, non aliam à nobis Deos immortales mercedem exigere, quàm laborem, atque ſtudium: Et poetæ viam ad virtutem ducentem, per quam virtutem homines verè ſunt homines, aſperam, ſaxiſquè, & vepribus impeditam finxerunt. Inueſtigemus igitur quantum poſſumus, verum, atque proprium hominis finem eiuſquè bonum, & naturæ expletionem, quam ſolemus Felicitatem, & beatitudinem appellare: quanquàm iiſdem nominibus de Diis quoque immortalibus loquentes vtimur. Ipſis enim vitam feliciſsimam, & beatiſsimam attribuimus; de quorum tamen Felicitate, niſi rerum ſeries, atquè connexio eò nos trahat, ſermo nobis hoc tempore non eſt inſtitutus. Agamus igitur de humana beatitudine, quæquè de ea veteres Academici, & Peripa-*

*tetici, quorum potiſſimum ſententias adamamus, tradiderunt, colligamus, atquè pro viribus illuſtremus.*

Cap.3 *Ea, quæ in hac vniuerſitate locum habent, in duo ſumma genera à Philoſophis partiri ſolent. Vnum genus eſt earum rerum, quæ per ſe ipſæ conſiſtunt, vt cælum, elementa, plantæ, animalia: Alterum verò earum, quæ alteri cuipiam rei tanquàm ſubiectæ materiæ inhærent; cuiuſmodi ſunt candor, & frigus, quæ non per ſe, ſuisque viribus conſiſtunt, ſed in corpore nituntur; cuiusmodi etiam eſt ipſa, de qua nunc loquimur, felicitas. Non enim ipſa per ſe cohæret, ſed homini adhæret; neque verò illud præſtat, vt homo ſit homo (nam id ab animo & mente habemus) ſed hominis tantum naturam exornat, illuſtrat, abſoluit. Ea autem, quæ alteri inhærent, dupliciter definiuntur. Aut enim propria illorum genera, propriasquè differentias in definitione afferimus, vt ſi candorem definiremus colorem, qui radios oculorum disgregat, ſicquè Ariſtoteles primo Topico in omnibus decem generibus definitioni locum eſſe affirmabat: Aut non propriis generibus, neque differentiis vtimur, ſed cauſam à qua pendent, & per quam conſiſtunt, adducimus; vt cum Lunæ Eclipſim dicimus eſſe interiectionem*

*terræ inter ipſam, & Solem. Atque hæc adeò vera, & certa omnium propriarum affectionum definitio eſt vt ſi proprium illarum genus, & proprias differentias afferamus, nomen duntaxat explicaſſe videamur (vt ſi Eclipſim Lunæ diceremus eſſe priuationem luminis, quod à Sole accipiebat) neque mens noſtra quieſcat, niſi ad alteram illam definitionem, quæ cauſam aperit, perueniamus. Quapropter ex his definitionibus illa, quæ cauſam affert, principium argumenti neceſſarij ab Ariſtotele ſtatuitur, illa verò, quæ proprium genus, & proprias differentias afferre nititur, eiuſdem argumenti concluſio, aut ſi magis latinè dicendum eſt, complexio nuncupatur. Verum hæc attigiſſe ſit ſatis. Nunc ad id, cuius cauſa attigimus, reuertamur. Felicitas homini aduenit; quamobrem vtramquè recipiet definitionem, tùm eam, quæ nomen ex proprio genere, ac differentiis explicat, tùm perfectiorem illam, quæ cauſam affert. Nos igitur, ſi ſuſcæpto muneri deeſſe non volumus, vtramque tradamus oportet.*

Cap. 4. *Ac ſanè, ſi priorem definiendi rationem ſequamur, non malè, vt arbitror, hoc pacto Felicitatem definiemus. Felicitas eſt bonum perfectum, quod ſatis eſt homini, & propter ſe tantum expetitur. Hæc enim ferè ſunt, quæ ab Ariſtotele in Ethicis, & à Platone in Philebo ſunt attributa felicitati.*

*Perfectum*

*Perfectum quidem bonum ſtatuimus; quoniam cum homo ſit perfectiſſima quædam ſpecies, expletio quoquè ipſius bonum quoddam maximè perfectum exiſtat neceſſe eſt. Hoc ipſo autem quòd eſt perfectum, idcirco ſatis eſt homini, & propter hanc cauſam quòd homini ſatis eſt, ab eo votis omnibus exoptatur. Illud autem ne nos fugiat, triplicem ordinem eſſe earum rerum, quæ ab hominibus expetuntur. Alia alterius tantum finis cauſa, vt corporis exercitatio ob valetudinem ſubſtentandam, opes, & diuitiæ, vt omnia vitæ commoda facilius conſequamur. Alia & propter ſe ipſa, & propter aliud quiddam; vt formæ dignitatem, vires, ſenſuum integritatem non ſolum quia in omni officio, & munere obeundo mirabiliter nobis proſunt, expetimus, ſed etiã multò magis per ſe ipſa. Etenim cum natura omnium partium ſuarum expletionem deſideret; idcirco ſtatus corporis, qui ſit maximè è natura, per ſe ipſe à nobis, qui animo, & corpore conſtamus, eſt expetendus. Ex quo Piſo apud Ciceronem refert Cn. Aufidium eruditum hominem, cum oculis eſſet captus, dicere ſolitum fuiſſe, ſe lucis magis, quàm vtilitatis deſiderio moueri. Alia poſtremò, omnium ſcilicet præſtantiſſima, bonum omne, & amabile in ſe ipſis continent, idcircoquè propter ſe tantum expetuntur; cuiuſmodi ſola fortaſſe feli-*

*citas cenſenda eſt. Bonum enim plane perfectum exiſtat oportet, quod nullam extrinſecus abſolutionem, perfectionemquè expectat, ſed vniuerſam in ſeſe incluſam gerit. Boni autem perfecti notio (de humano loquor) ad ſolam felicitatem, vt iam dictum eſt, videtur pertinere. Quapropter ſi de me quæras, Ecquid cauſæ ſit, quamobrem diues, iuſtus, honoratus, prudens eſſe velim; non ineptè reſpondebo, vt ſim felix. At ſi me roges, cur felix eſſe poſtulem; cui reſpondeam, planè ſis indignus. Sit igitur Felicitatis, quam etiam beatitudinem ſi placet, appellare potes, hæc craſſa, & quaſi leui penicillo ducta deſcriptio (quamuis proprium genus, propriaſque differentias afferre conetur) bonum vndique expletū, & perfectum, quod homini ſatis eſt, ſuaque ipſius tantum cauſa, non extranea expetitur.*

Cap. v *Atque in tradita quidem definitione omnes ferè conſenſerint. Omnes enim hanc felicitatis notionem quaſi inſitam in animis habemus. At in altera ſtatuenda, quæ cauſam conficientem felicitatis explicet, maximè ſunt inter ſe diſcrepantes hominū opiniones, & ab imperita præſertim multitudine docti homines omnino diſſentiunt. Quapropter Anaxagoras Clazomenius à plebeio quodam homine interrogatus, quem nam beatiſſimum iudicaret; nullum, inquit, ex iis, quos tu exiſtimas, ſed eum, qui*

*tibi à felicitate remotiſſimas videatur. Alii igitur in eorum aliquo, quæ poſita ſunt in oculis omnium, felicitatem ponunt, vt in voluptate, in valetudine, in diuitiis, in gloria; atquè ex his idem perſepè in alio: dum enim ægrotat, in valetudine ſummum ponet bonum; dum ægeſtate premitur, in diuitijs. Alii verò, & ij præſertim, qui res acutius diſpicere conantur, aliquid, quod nòn ſit ità peruulgatum, afferunt, vt ſapientiam, prudentiam, virtutem. Atqui Ariſtoteles amputata ſententiarum multitudine tris adducit, quæ maximè extare videantur, vnam vulgi, alteram eorum, quorum vita omnis in actione, & adminiſtratione Reipub. verſatur, tertiam philoſophorum. Vulgus (ac vulgi nomine Reges etiã & Imperatores comprehendi volo, ſi plebeio, atque abiecto animo ſint) pecudum more vitam eligit delicatam, & voluptariam. Politici homines beatam vitam in honore ideſt in magiſtratibus, ac dignitatibus poſitam putant. Philoſophi contemplatione, & cognitione veritatis ſummum bonum definiunt. Eadem ferè vitæ genera Pythagoras, qui multis annis ante Ariſtotelem fuit, in illo celebri ſermone, quem apud Leontem principem Phliaſiorum habuit, animaduertiſſe videtur. Rationem enim redditurus, cur ſe philoſophum, nõ ſapientem, vt antea ſolebant, nominaſſet, & quæ illi voci ſu-*

*tius conſtitutionẽ, et deſcriptionem animaduerteret, ſentiens ſcilicet vix vitam optabilem eſſe ei, qui rerũ naturam non contemplaretur. Hæ igitur ferè ſunt, quæ præ cæteris eminẽt, multoſq́ ſectatores habent, de felicitate, & ſummo hominis bono opiniones.*

Cap. 6. *Cæterum voluptas (de illa loquor, qua ſenſus cõmouentur, & quaſi liqueſiunt. Nam aliud voluptatis genus eſt ad animum pertinens, de quo tertio libro copioſe diſſeretur) vt hominum vulgo eſt accæptiſſima, ſummèque expetitur, ita à probatioribus philoſophis, atq́ ijs, qui ſemper in honore, et laude vixerunt, multis, iuſtiſſimiſquè de cauſis malè audit; quã rem nos in noſtris de vera, et falſa voluptate libris latiſſimè perſequuti ſumus. Nunc illud tantum teneamus voluptatem hãc ad ſenſum pertinere, quo bruta etiam animantia prædita ſunt: Ex quo proprium hominis bonum, quod in præſentia querimus, & inueſtigamus, eſſe nõ poteſt. Nec vero politici homines, qui in ciuilibus rebus adminiſtrandis ſunt occupati, dum honorem, & gloriam ſibi pro fini, atque extremo proponunt, quò omnes ſuas referant cogitationes, nõ perſpicuè falluntur. Etenim cum felicitas ſummum bonum ſit, firmitatem, ſtabilitatemq́ habeat oportet, vixquè, aut ne vix quidem eripi poſſit. Ex quo ſunt illa Seuerini Boetii non ſatis quidem clari poetæ, ſed doctiſſimi tamen hominis carmina.*

Quid me felicem toties iactaſtis amici?
Qui cecidit, ſtabili non erat ille gradu.

*Honos verò ab ijs pendet, qui colunt; idcircoque multi ſæpe numero ſummis antea populi honoribus vſi in ſordibus, & ſqualore poſtea iacuerunt. Accedit eò, quòd honorem ferè videmur perſequi, vt noſtræ virtutis multos quaſi teſtes habeamus. Quare non à pueris, non ab ignotis, ſed à prudentibus viris, quiquè nos probè nouerunt, exhibitos honores maximi æſtimamus. Virtutem igitur tacito quodã naturæ iudicio magis expetere, quàm honorem, & gloriam videmur. Quòd ſi nullum ferè fuit hominum genus, cui virtus pro fini proponeretur, nõ enim vulgo, non politicis hominibus, non philoſophis, id aliunde proficiſci non potuit, quàm quòd virtutis dignitatem, atque pulchritudinem pauci tantummodo ingenio excellentes inſpicere queunt. Iidem autem quamuis virtutem voluptati, & honori præponant, cognoſcunt tamen, & in virtute aliquid ad felicitatis abſolutionem deſiderari, quod infra perſpicuè oſtendetur. Reſtat igitur ſententia eorum, qui ſe totos contemplationi tradiderunt, atque in ea ſummum, & perfectum bonum ſtatuerunt. Verum hi non modo in vulgi reprehenſionem incurrunt (ex quo Thales Mileſius à muliercula irriſus fuit, quòd oculis in cœlum ſublatis, vt cœleſtia indagaret, quæ*

*conſpectu eſſent poſita non vidiſſet, atque in foſſam cecidiſſet) ſed etiam ſummis, & præclaris viris nõ vſquequaquè probantur. Exiſtimant enim nihil melius, nihil præſtabilius, nihil diuinius reperiri poſſe, quàm prodeſſe quàmplurimis, atque hanc inter nos communitatem, & ſocietatem, ad quam natura nos videtur inſtituiſſe, præclaris actionibus tueri, atque conſeruare. Quod hoc vno argumento ſatis confirmari putant. Exiſtat enim aliquis rerum naturæ cognoſcendæ incredibili ſtudio inflãmatus, atque idem res cognitione digniſſimas tractans audiat interea de patriæ ſalute actum eſſe, niſi ipſe opituletur; an non eum nefarii ſceleris condemnaremus, niſi contemplatione poſthabita ad opem ferendam patriæ properaret? Præſtat igitur patriæ defenſio, quæ in actione poſita eſt, contemplationi, & cognitioni. Multis etiam alijs argumẽtis agunt, quæ vnà cum hoc, quod in præſenti adduximus, tertio libro expendemus, modumque duntaxat, et ſpeciem neceſſariæ demonſtrationis habere oſtendemus. Philoſophorum enim ſententiam, qui rationem ad veritatem reuocare voluerit, nullo pacto improbandam iudicabit. Diuitiarum autem nullam mentionem fecimus: quoniam, vt ſuperius etiam dicebamus, non per ſe ipſæ expetuntur, ſed ob vitæ commoda, atque voluptates. Ex quo Ariſtoteles vulgi*

*finem eſſe voluptatem dixit, Pythagoras vero opes, & diuitias: quaſi non multum voluptas, & diuitiæ inter ſe differrent. Quis autem niſi maximo cæcetur errore, aceruos pecuniæ, niſi ad vſum conferat, magni æſtimandos arbitretur? Scitè apud Xenophontem aiebat Cyrus, ſi uerè diuites ij appellãdi eſſent, qui plurimam argenti, atque auri uim in ar culis obſignatam haberent, eaque ſibi nunquam vtendum cenſerent, milites illos qui in aliqua vrbe excubias agerent, omnium ditiſſimos meritò iudicari debere: ab ijs enim innumerabiles plerumque theſauros cuſtodiri. Quando igitur res hæc minimè patet, multiſq; eſt obſtructa difficultatibus; agè iam ducibus vſi Ariſtotele, & Platone, veritatem ipſam indagemus, atque aſſequi conemur.*

Cap. 7. *Ex ijs quæ ſuperius poſita ſunt, ſatis conſtat, cum cuiuſqui ſpeciei propria, & ab aliis diſpertita natura ſit, hunc ſingulis propoſitum eſſe finem, vt ſua cuiuſq; natura expleatur, ſitque ſic affecta, vt optimè affici poſſit. Ita hominis illud ſummum bonum erit, vt ſtatum obtineat optimum, in quem ipſius natura peruenire queat, & obtentum cuſtodiat. Hominis autem natura non ſimplex, & vniuſmodi eſt, ſed ex duabus præcipuè partibus conſtans, mente, et corpore. Corpus igitur, & mens, quam optimè ſe habeant neceſſe eſt, ſi quis verè beatus nuncupari debeat,*

beat. Corpus autem optimè ſe habebit, ſi valetudo, ſi robur, ſi pulchritudo aderit, atque in ſingulis partibus præſtantia quædam elucebit, vt vis in manibus, celeritas in pedibus, in lingua diſtincta vocum formatio; atque vt ad corpus ſenſum etiam referamus, ſi integros, & vigentes habeat ſenſus, expediteque eas res percipientes, quæ illis ſubiiciuntur. Mens autem, quæ ratio etiam, & intelligentia nominatur, celeritatem ad inueniendum, & percipiendum præcipuè requirit, ſi in optimo naturæ ſuæ ſtatu ſit collocanda. Cæterum, cum in rebus omnibus, quæ ex multis, et diſſimilibus naturis conflatæ ſunt, vni ſemper naturæ ſit principatus tribuendus (Nam per ſe ipſæ diſſoluerentur, niſi aliquod quaſi imperans, et cohibens præſto eſſet) nullus dubitare meritò poteſt, in homine rationem eſſe, & intelligentiam, cui reliquæ ipſius partes parere, & obedire debeant. Eſt enim ſummum, quò ex vita, et ſenſu, tanquam per gradus natura peruenit. Quapropter, & ſi felicitas ab optimo, tum corporis, tum animi ſtatu proficiſcitur, in animo tamen propriam habere ſedem putanda eſt. Hoc poſito propius accedamus.

Cap.8 Illud in omnibus fermè rebus naturalibus cōſtans, perpetuumque cernere poſſumus, facultates actionū, non actiones facultatum cauſa eſſe comparatas. Non enim animantes idcirco herbas, & flumina

*ſpectant, vt facultatem videndi adipiſcantur: quinimo non aliam ob cauſam facultate iſta prædita fuerunt, quàm vt ſpectarent. Nec profectò iniuria. Actio enim, functioq; muneris nihil aliud planè eſt, quàm facultas ipſa ſe ſe prodens, & patefaciens: ex quo ab Ariſtotele acceſſio quædam, & perfectio facultatis nuncupatur. Sic tibicinis, ſic pictoris, ſic deniqne cunctorum artificum, vel omnium potius, quorum aliqua actio exiſtit, perfectio omnis, omneque bonum in ipſamet actione, non in habitu conſiſtere videtur. Hinc illud tritum eſt ſermone prouerbium, dum dormiunt, doctum ab indocto nihil differre, et illud, in ludis Olympicis non robuſtiſſimum quẽque, ſed eũ, qui in aciem, certamenq; deſcenderit, corona donari. Ergo ſi actio, munerisquè functio facultati perſpicuè præſtat; non eſt cunctandum profiteri in actione hominis propria, non in facultate, aut habitu reperiri felicitatem. Cuiuſque enim ſpeciei peculiaris, & ſua exiſtit actio, vt volatus auis, piſcis natatio, curſus equi. Ita propriam non deſiderari hominis actionem omnibus, credo, veriſimile fiet, qua tanquam certa ſede nitatur, & conſiſtat felicitas.*

*Nec enim ex artificum actionibus vlla propria hominis actio dicenda eſt. Abſurdum enim ſit, ſi homini per ſe conuenire dicamus, vt pingat, vt ædificet; cum ſimpliciter homini non conueniat,*

*ſed quia pictor, aut ædificator ſit. Plurimum autem differt hominem ſimpliciter, & pictorem hominem pronunciare. Huc accedit hominem eſſe, qui artes pariat; quamobrem alia ipſi multò prior actio tribuenda eſt, qua ſaltem artes poßit parere, & inſtituere. Hoc loco ab æquis lectoribus veniam mihi petendam duxi; ſi vt felicitatis vis, & natura facilius percipiatur, à re propoſita paululum digreſſus de homine, dequè ipſius actione vberius agā; hocquè tam varium, tàm multiforme, tam ex diuerſis rebus compoſitum, & coagmentatum animal quaſi in conſpectu omnium ponere conabor. Ex huiuſmodi enim cognitione tot, tantæquè vtilitates proueniunt in homines, vt Apollo Pythius omnium Deorum prudentiſsimus habitus humano generi ſalubrius præceptum non inuenerit; idcircoque illud in foribus templi Delphici inſcriptum legeretur, Noſce tē ipſum, & Creſo Lydorum regi fortunatiſsimo quonam pacto reliquas vitæ partes feliciter perageret, oraculū conſulenti illud ipſum conſilii ſit datum. Atqui rationi profectò non ſit conſentaneum, medicum quidem, vt corpus ſanum, valensquè aut efficiat, aut conſeruet, pictores item, & ſtatuarios, vt illud coloribus, & ſcalpello imitentur, atque inani quodammodo delectatione oculos noſtros paſcant, plurimum operæ, ſtudijquè in corporis cognitione cō*

*ſumere, nos verò vt animum virtute ornemus, vel potius vitiorum mole grauatum extingui ne ſinamus, animi naturam nulla ex parte contemplari.*

Cap. 9. *Tria ſunt in hac inferiore mundi parte animantium genera. Etenim aliqua viuunt duntaxat, id eſt aluntur, augeſcunt, & extenuantur, & ad gignendum quod ſibi ad ſimilitudinem formæ reſpondeat, apta ſunt. Aliqua ſentiente vi, & aliquo cognoſcendi iudicio prædita vident, audiunt, olfaciunt, guſtant, tangunt, rerum motus, & quietem, numerum, figuras, magnitudineſquè percipiunt; ac præterea interiore quadam facultate eorum, quæ ſub ſenſum cadunt, differentiam aſſequuntur; eorumquè imagines in memoria, tamquàm in theſauro recondunt: quæ imagines cum excitantur, & quaſi proſiliunt, mirabiles fiunt motus, variæquè emergunt appetitiones. Tertium verò, multòquè omnium præſtantiſſimum, & nobiliſſimum genus hominum eſt, qui mente, & intelligentia vigentes quaſi Dii quidam terreſtres omnibus rebus mundanis præfecti incedunt. Huius mentis munus proprium, precipuumq; eſt, res vniuersè contemplari, & ex rerum corporearum cognitione ad puras illas mentes, & ab omni concretione materiæ ſegregatas, quibus genere cognata eſt, atquè ad illum*

*ipſum preſertim omnium rerum conditorem, & effectorem Deum intuendum accedere; quòd ſi ſe ad agēdum conuertat, res haſce humanas ordinare, mouere, adminiſtrare. Cæterum, cum res omnes tùm natura, tùm arte factæ, vt initio dicebamus, ad bonũ ſuopte nutu ferantur, tãquàm ad extremum, & finem; infimo illi, & ignobiliſſimo animantium generi non aliud bonum propoſitum eſt, quã incolumitas, et ſalus; quã vt conſeruent, aut amiſſam recuperẽt, conuenientibus ad eam rem inſtrumentis à natura aptata fuerunt. Iam ſentientis generis non incolumitas, ſed voluptas bonum exiſtit, ad quã perfruendã nunquàm nõ inducitur, & rapitur. Poſtremum genus, quod hominum eſſe diximus, in quo quidem genere mens, & ratio imperium obtinet, ſi ipſius mentis vim, & naturam per ſe ſpectes, veritatem propoſitam ſibi habet, ſin autem ad agendum conuerſam, decus & honeſtatem; quæ tamen honeſtas, ſi acutè inſpiciamus, nihil aliud planè eſt, quàm veritas, quã ſequatur, & admittat appetitus. Nam quẽadmodũ Solis luce prata, atq; viridaria illuſtrante, mirabilis quidam decor, aſpectuq; iucundiſſimus in herbis, & floribus illis elucet; ſic recta, veraq; ratione appetitũ regente, & moderante incredibilis quædam venuſtas ex affectionibus noſtris ritè compoſitis exiſtit, quam, niſi fallor, honeſtatem ſolemus appellare.*

*Senſus autem, & intelligentia, vt animam vegetabilem in præſenti omittamus, in multis conueni re ſubtiliter conſideranti videbuntur. Traducitur enim ad actum vterquè ſuſcæptione ſpecierum. Tūc enim aſpectus candorem percipere poterit, cum in cā doris ſpeciem formatus erit; ſimiliter etiam mens noſtra antequàm iuſtitiam cognoſcat, iuſtitiæ ſpeciem recæpit, altèquè impreſſam, & inſculptam in ſe gerit. Nec verò, dum ſenſus, & mens rerum ſpecies recipiunt, mouentur, aut patiuntur; ſed perficiuntur potius, & explentur. Præterea, quod ad preſentem noſtram tractationem maximè pertinet, eodē modo conſectantur aliquid, et fugiunt. Senſus enim hoc aliquando cognoſcit tantùm eſſe flauum, aliquā do præterea dulce. Quamdiu ſimplex cognoſcit flauum, non ſequitur, non fugit: cum primum ſpecies dulcedinis adiungitur, vt in melle; continuò excitatur appetitio. Idem in intelligentia reperias. Quouſque ſanitatis, & pulchritudinis nudam, & ſolitariam naturam ſpeculatur, nullo tangitur deſiderio. Quòd ſi bonitatis eò notionem addat; primo quoq; tempore emergere deſiderium videbis. Atquè omnino, quod in ſenſu iucundum, & moleſtum poteſt, idem videtur in mente bonum, & malum poſſe. Inductio autem & propenſio illa facultatis ſentientis ad rem obiectam ſequendam, vel declinandam,*

*appetitus; inductio verò mentis, voluntas nuncupari ſolet: ac reapſe ab appetitu ſenſus non differt, neque mens à voluntate, ſed ratione quadam, cogitationequè ſecernuntur; quemadmodum etiam cum dicimus terrena, & aquea inferiorem locum appetere, appetitum iſtum à forma terræ, vel aquæ diſtinctum non intelligimus. Atquè hæc Themiſtii Peripatetici clariſſimi ſententia perſpicuè eſt, totidem penè verbis ex ipſo expreſſa; quæ tamem ex ipſiusmet Ariſtotelis ore mitti videtur. Inquit enim duodecimo libro Theologiæ* Quod quidem cupiditati propoſitum eſt, bonum eſt opinatum; quod autem primum voluntati, verum bonum. Appetimus autem potius, propterea quòd videtur, quàm videatur hoc ipſo, quòd appetimus. Principium enim cognitio eſt *Ex quo loco primum apertè colligitur voluntatem, cui quidem verum bonum propoſitum eſt, mentis propriam eſſe, appetitum verò, & cupiditatem propriam ſenſus, quem illecebra tantum, & voluptas, ſiue opinatum bonum afficit, & mouet; deinde voluntatem duci ab intelligentia, vel potius nihil aliud eſſe, quàm propenſionem mentis in rem, quam ſibi bonam, ſuæquè naturæ accommodatam cognouit. Quod item de ſenſu, & appetitu dicendum eſt. Id etiam clarius ab eodem*

*Ariſtotele tertio libro de anima eſt expreſſum; vbi inquit ὄρεξιν (quæ vox appetitui, & voluntati cõmunis eſt) nihil aliud eſſe, quàm motionem, et energiam mentis, & ſenſus. Quo loco illud animaduertendum eſt, in cunctis animalibus vnicum reapſe ſenſum eſſe; qui vt proprijs quibuſdam, & peculiaribus inſtrumentis ad res externas ſentiendas vtitur, viſus, auditus, tactus nuncupatur; vt in corde, tamquàm in regia manens, & centri inſtar obtinens, quòd ad ipſum res omnes extrinſecus obiectæ deferantur, dulcedinem à ſono, & odorem à colore differre percipit, dum tamen res ipſæ obiectæ adſunt ſenſus communis nominatur; vt verò rerum iſtarũ etiam abſentium imagines in ſe inſculptas retinet, deque ipſis cogitat, phantaſiæ adipiſcitur nomen. Appetitio igitur excitatur in ſenſu communi, & in phãtaſia. Percæptio enim ſenſus, qui in externis organis ineſt, non terminatur, nec quieſcit, niſi ad cõmunem ſenſum perueniat, in quo omnino ſentiendi fons eſt. Illud etiam teneri volumus non de illa mentis parte, quam Græci νοῦν ποιητικον dicunt, nos mentem efficientem rectius, quàm agentem, vt vulgo ſolent, appellare poſſemus, à nobis nunc verba fieri; quippe quæ alia fortaſſe in percipiendo, & expetendo ratione vtitur, ſed tantum de ea, quã Græci νοῦν δυνάμει, id eſt mentem capacem vocant; quæ rerum imaginibus*

*nibus informatur, atquè perficitur; quaſq; res bonas iudicat, illas expetit. Spinoſiora hæc fuerunt, quàm voluiſſem; ſed quid agas? Aptiſſima, et penè neceſſaria huic tractationi erant, & à nobis non potuit melius.*

Cap. xi *Cęterum, quoniam in anima ſentiente tria ineſſe dicebat Ariſtoteles, facultatem, affectionem, habitũ, agè expendamus quid vnumquodq; horum ſit; et primum de affectione. Affectiones Græci πάθη appellant, Cicero plerumquè perturbationes, & morbos; ſed quoniam ab hoc ipſo nomine ducto argumento omnes prauas eſſe, & mentem de ſtatu dimouere probat, oppugnatquè auream illam Peripateticorum mediocritatem; idcirco nos hanc illi de manibus ſicam extorquentes, affectiones potius nominemus. Affectionis verò definitio, vt Aſpaſius refert, nō eadem ab omnibus affertur. Stoici enim nihil aliud eſſe affectionem, quàm vehementem incitationem, vel appetitionem rationis expertem ſunt opinati; atque ita, dum affectionem definiunt, ſuo ſe gladio iugulant; nullamque cauſam fuiſſe oſtendunt, cur aliam ſectam à vetere Academica, & Peripatetica diſcrepantem conderent. Nam vehementem incitationem neque etiam Academici, & Peripatetici virtuti conuenire arbitrantur, ſed mediocrem, & eiuſmodi, vt ſequatur, quòcumquè ratio ducat.*

*Mediocrem verò aliquam exiſtere concitationem, & rationi obtemperantem, vulgòquè affectionem vſurpari, & ſatis per ſe conſtat, nequè ab ipſis aliquid contrà adducitur. Omnis enim appetentis animæ motus, quàntuluſcunquè ſit, modò non lateat, affectio nuncupari meritò poteſt. Rectius Andronicus, qui affectionẽ definiebat animæ motionem rationis expertem ex opinione vel boni, vel mali cuiuſdam excitatam; rationiſque expertem non idcirco dicit, quòd rectæ rationi aduerſetur, vt Stoici; ſed quòd à ſentiente anima, quæ per ſe ipſa ratione caret, proficiſcatur. Et hanc definitionem Alcinous etiam Platonicus, Damaſcenus, Gregorius Nicenus, omneſquè ferme noſtri Theologi ſequuti ſunt. Verumenimuero, vt ex Themiſtio dicebamus, & ipſe etiam Aſpaſius probat, omninoquè Ariſtoteles affirmat, appetitui, & affectioni, quæ in appetitu ineſt, congruere potius voluptas, & dolor, quàm bonum, & malum videtur. Inquit igitur Aſpaſius affectionem nihil aliud eſſe, quàm animæ ratione carentis motionem à dolore, aut à voluptate inductam. Quam definitionem non equidem reprehendo, probari enim doctis omnibus video, explicatiorẽ tamen, & quæ magis vim, et naturam ipſius affectionis explanet, ex Euſtratio excipi poſſe opinor. Is ſexto Ethico (quẽ librum, & etiam primũ, quan-*

*tum ego poſſum iudicare, eſt ipſe interpretatus, præterea nullum) dicebat appetitum, & affectionem hac potiſſimum ratione inter ſe diſtare, quòd appetitus facultatem ſignificet, affectio autem actum illũ, in quem facultas erumpit; quod etiam Plutarcho homini doctiſſimo in libello De virtute, quæ ad mores pertinet, maximè probatur. Naturâ enim ſumus quidem ſemper idonei, qui excandeſcamus, doleamus, lætemur: non tamen ſemper aut ira efferimur, aut dolore tabeſcimus, aut perfundimur lætitia. Sit igitur appetitus habilitas illa, & facultas, vt à voluptate ad conſectandum aliquid, aut à dolore ad fugiendum excitari poſſimus; affectio verò preſens iam excitatio, & commotio: ex qua commotione cum euidenter corpus afficiatur, & patiatur, idcirco à Græcis quidem πάθος, à nobis autem affectio appellatur. Videmus enim in ijs, qui aut ira, aut cupiditate, aut metu commoti ſunt, aut lætitia exultant, mirabiliter vultus, voces, motus, ſtatuſquè mutari. Explicauimus, quid affectio, quid facultas ſit. Facultas enim eſt ipſemet appetitus idoneus, qui à voluptate, & à dolore excitetur, affectio autem præſens iam commotio. Habitus verò, de quo dicere reliquum erat, eſt conformatio appetitus, qua ſæpius, aut rarius, vehementius, aut remiſſius in eandem prorumpat affectionem; atquè con-*

*ſuetudine acquiritur, cum facultatem, & affectiones à natura nobis inſitas geramus. Verum de habitu multa ſunt commodiore loco dicenda. Nunc affectionum, quod huic tractationi, vt ſecundo libro patebit, maximè neceſſarium exiſtimauimus, ſubtilem quantum poſſumus, & accuratam partitionem in medium afferamus.*

Cap. 12 *Ex definitione affectionis iam conſtituta illud videtur ſequi, vt voluptas, & dolor in affectionum numero non collocentur. Cum enim affectio ſit motio facultatis appetentis à voluptate, vel dolore proficiſcens, ſi voluptas, & dolor in affectionum numero eſſent, ipſa iam ex ſeſe orirentur: quo nihil poteſt cogitari abſurdius. Veruntamen, vt in libris de vera, & falſa voluptate copioſè diſſeretur, voluptas quidem & dolor propriè ſignificant perceptionem in ſenſu, hic moleſtam, illa iucundam; ſicq; initia potius affectionum ſunt quã affectiones: ſed ob maximam coniunctionẽ factum eſt, vt propenſionem quoq; vel receſſum appetitus ſignificarẽt; quod iam affectio eſt. Ex quo, & initia affectionum, & affectiones vocari queunt. Nos, vt tota res melius percipiatur, initia potius affectionum ſtatuemus. Eas igitur primum affectiones, quæ a voluptate ortum ducunt conſideremus, inſpecturi poſtea, quot item ex altero doloris fonte emanẽt. Appetitus ſenſum ſequitur, ſen*

*ſus autem, prout docuimus, à ſpecie rei obiectæ informatur: quocirca ſi res obiecta accõmodata conſentaneaquè ſit ſenſui, & afferat voluptatem, excitatur in facultate appetente amor. Afficitur enim iucunde anima illa, in qua ſenſus, & appetitus ineſt, ab eo quod ſibi ſimile, & accõmodatum eſt; iſtaquè affectio, vt dicebamus, amor nuncupatur. Sequitur conſequendi deſiderium, cum re illa quam ſibi conuenire, & voluptati eſſe cognouit, perfrui quantum poteſt exoptat. Inde ſpes exoritur. Quòd ſi ea aliquando fruatur, emergit gaudium, quod nunc à voluptate diſtinctum ſumimus. Voluptas enim illa eſt, ex qua, tamquàm è fonte omnes iſtæ affectiones fluunt. Gaudium verò eſt quædam facultatis appetentis quies (ſcio à Platonicis multò aliter accipi, ſed nos communem ſequimur loquendi conſuetudinem) in re exoptata; ita planè, vt quid amplius requirat, quod ad illam rem attinet, non habeat. Quòd ſi rem, quam cupiit, alicuius opera acquiſierit, affectio quædam innaſcitur, qua illi, à quo beneficium accæpimus, gratiam referre cogitamus; & à nonnullis gratitudo nominatur. Amor autem ad ea omnia pertinet, quæ ad voluptatem alicui ex quinque ſenſibus afferẽdã idonea ſunt, itemq; reliquæ omnes affectiones, quas ex amore pendentes recenſuimus.*

*His, cum anima ſentiens, & appetens dolore commouetur, ſua contraria reſpondent, primò odium, poſtea fuga, deinde timor, deinde ægritudo, poſtremò ira. Ut enim, cum voluptate ſenſus afficiebatur ex re conſentanea, ſuæque naturæ accommodata, appetitus excitatus eã amabat, cupiebat, ſperabat, poſſeſſa gaudebat, adiutori gratiam referre volebat: ita quã à ſe eſſe diſcrepantem putat, odio proſequitur, fugit, ne vel ingratis eueniat, timet, præſente triſtatur, iraſcitur ei, per quem euenerit. Id autem eſt animaduertendum, cum dolor, & voluptas, vt Plato dicebat, ita ſe habeant, vt alter alteri ferè ſemper anne ctatur, atquè commiſceatur, iſtas etiam appetitus facultates tùm illam, quæ à dolore, tùm alteram, quæ à voluptate excitatur, ſæpenumero inter ſe copulari, & quaſi confundi. Etenim ſi rem aliquã votis omnibus expetamus, quam tamen conſequi poſſe deſperemus, dolemus non mediocriter: quòd ſi, ſperata, aut iam poſſeſſa priuemur, torquemur acriter, atquè excruciamur. Ex quo omnia fermè animantia cernimus tùm maximè ira exardeſcere, cũ à pabulo repelluntur, aut ne corpora coniungant, cõmiſceantquè, impediuntur. Contrà ſi aliquid fugiamus, illudquè euitare ſperemus, aut ſi à præſentibus moleſtiis liberemur, maximè lætamur, & ſi ab aliquo in ea re fuerimus adiuti, magnas illi habemus*

*gratias. Hæ fermè affectiones ex iis rebus oriuntur, quæ nobis aut iucundæ, aut moleſtæ eueniunt. Multæ autem adhuc his, quas recenſuimus, implicatæ addi poſſent, vt in voluptate alacritas, elatio animi, inſolentia, oſtentatio, in dolore remiſſio, & contractio animi, mœror, innumerabileſque alij, quos ſi enumerare aggreſſus eſſem, & ſtultum opinor, et certe ſuperuacuum fuiſſet. Verum cum natura prouida, & ſagax ſtudeat, quantum fieri poteſt, rerum conſeruationi, animantibus ferè omnibus, quæ ſub eadẽ ſpecie continentur, hanc propenſionem ingenerauit, quò inter ſe arcto quodam vinculo coniuncta minus expoſita iniuriæ forent, vt alterum alterius cõmodis lætetur, incommodis offendatur. Quapropter eædem ferè affectiones, quæ in proprijs, in alienis etiam bonis, & malis apparent. Amore enim proſequimur non modo ea, quæ nobis futura voluptati videntur, ſed etiam, quæ reliquis hominibus: eaquè illis euenire cupimus, & euenientibus gaudemus. Contrà quæ illis detrimentum, ac dolorem minantur, repellimus quantum poſſumus, & ſi tamen accidant, triſtamur. Quod de ſpecie humana dictum ad reliqua etiam animalia transferatur. In multis enim animantium generibus hæc mutua cernitur propenſio, ac beneuolentia. Nemo tamen non ſibi omnibus alijs charior eſt, ſequè cæteris præſtare nõ cupit: itaq;*

*vulgò dici ſolet, vt ait Terentianus Birria omnes ſibi melius malle eſſe, quàm alteri. Quamobrem euenit in homine, cum praua opinione infectus, deprauatusquè, inſatiabili tenetur commodorum ſuorum cupiditate, vt minimè rarò ex alienis bonis dolorem, quaſi ijs ipſe excludatur, ex malis capiat voluptatem, quòd ita reliquis ſe fore ſuperiorem putat. Hoc igitur pacto ſint appetentis animæ affectiones diſtributæ. Illud autem animaduerti velim Platonem cum appetitum in duas partes tribuit, cupiditatem, & iram; nihil aliud, quantum ego poſſum iudicare, intellexiſſe, aut exprimere voluiſſe, quàm eam partem, quæ à voluptate, atquè item alteram, quæ mouetur à dolore. Cur autem cupiditatis & iræ nominibus fuerit vſus, non eſt profectò difficile videre. Omnibus enim animantibus, vt ſuperius diximus, illud à natura inſitum eſt, vt ſe, vitam, corpusquè tueantur, atquè ea, quæ ſibi ad viuendum neceſſaria, aut voluptatis efficientia exiſtimant, omnibus viribus comparent, vitentquè ea, quæ nocitura, quæquè dolorem illatura videantur; idcircoq́; ipſis cùm ad vtilia, & iucunda proſequenda cupiditas tributa eſt; tùm etiam quaſi ſtimuli quidam, & faces iracundiæ ſubditæ, quibus irritata facilius ſe defendant, & noxia moleſtaq́; repellant. Non immeritò igitur Plato non ſolum ſciendi, vt inquit ille,*

*ſed*

*ſed etiam loquendi magiſter optimus motionem illã appetitus, cum voluptatem ſequitur, cupiditatem illam verò, cum dolorem fugit, iram nominauit. Stoici verò ineptiſſimè quatuor principes affectiones ponunt, dolorem, voluptatem, metum, cupiditatem. Primum enim voluptas, & dolor non erant in affectionum numero reponenda; deinde, vt eſſent, metus tamen, & cupiditas non erant eodem ordine, quo voluptas, & dolor, collocanda. Metus enim, & cupiditas ex dolore, & voluptate pendent, atq; oriuntur. Sed ad propoſitum reuertamur.*

cap. 13 *Diximus tria eſſe in vniuerſum animantium genera, quorum primum in medio, medium in poſteriore continetur. Plantarum enim vita in ſentiente etiam genere, & ſenſus in homine rationis particepe eſt, atque ita eſt, vt perſæpè rationi ipſi aduerſetur, & quocumquè vult, hominem trahat. Quod fortaſſe, vt Philoponus cenſuit, non mediocre immortalitatis animorum indicium eſt. Videmus enim perpetuò, quæ pro materia formæ alicui ſubſternuntur, nunquàm illi repugnare, vt corpus animæ non repugnat (ex quo dicebat Ariſtoteles imperium animæ in corpus herile eſſe) non anima vegetabilis ſenſui, non lapis grauitati, nõ leuitati ignis. Quid ergo eſt, quòd appetitus rationi ſæpenumero reſiſtit, cum tamen ratio ipſa forma hominis ſit, reliqua*

*omnia materiæ locum obtineant? Mirum ni ratio, & appetitus ex diuerſo prorſus ſunt genere, & cum altera nihil natura ſua niſi diuinum, & cæleſte ſpectet, alter à rebus caducis, & corporeis moueatur, idcirco inter ſe pugnare, ac digladiari coguntur. Sed amabò videamus, cur non modo intelligentiam homini natura tribuerit, ſed reliquas etiam, vt dicebamus, animæ partes vegetabilem, & ſentientem; à quibus quidem multo ſæpius quàm vellemus, mentis actio perturbatur, & impeditur. Ita enim natura, quam diuinæ ſapientiæ lege, & conſilio gubernari credimus, in homine quod cupiebat, non videtur aſſequi. Etenim cum illum ad veritatem, atq; honeſtatem genuerit, fit tamen incommodo, atque adeò importuno ſentiẽtis, et vegetabilis animæ comitatu, vt omnibus cæcetur erroribus, omnibus vitijs inquinetur, deteriorquè brutis ipſis animalibus euadat; dum ratio miniſtrans, & ſubſeruiens ſenſui in ſceleribus, ac flagitijs nouis excogitandis continenter eſt occupata. Ex quo nullam agreſtem feram æquè capitalem, atquè funeſtam humano generi, atquè hominem, ſi rationis auxilio ad omnes ſuas explendas cupiditates abutatur, reperiemus. Hinc monſtra illa immania Caligulæ, Nerones, Commodi. Verumenimuero Naturam fortaſſe non accuſabimus, ſi hoc pacto hominem componendi neceſſitatẽ,*

*cui ne Dij quidem ut eſt in prouerbio obſiſtũt, conſiderauerimus. Materiæ enim informi, & corporeæ nõ cõtinuò mens iungi, & copulari poterat, quòd nimio inter ſe interuallo diſtarent; ſed medijs quibuſdam naturis opus fuit, quæ inſtar pacificatoris eſſent; vt cum mens ſolum ad ſublimia, vnde habuit ortum, ferretur, corpus infera ſemper peteret, inter ſe tamen per aliquod ſpacium temporis poſſent conuenire. Atque hunc ſanè ordinem in rebus gignendis ſeruat Natura, vt ab imperfectioribus incipiat; eaq; tanquàm ſolum & fundamentum perfectioribus ponat. Numeros enim, vt ait Ariſtoteles, imitatur, in quibus prior poſteriorem ingreditur, & conſtruit. Neceſſario igitur cùm vegetabilis anima, tùm ſentiens menti ſunt annexæ, & copulatæ. Ex qua animarum connexione factum eſt, vt ex vna in aliam, quaſi redundans perfluat aliquid; quod etiam in anima, & corpore accidit. Pro varia enim animæ percæptione, atquè affectione ſæpè in corpore calor, & frigus oritur, non raro morbus, & ſanitas, nonnunquam etiam mors. Scimus enim multos nimio dolore, multos nimia lætitia interijſſe. Contra ex varijs qualitatibus corporis anima immutatur; extatquè Galeni libellus, in quo probatur animi mores corporis temperationem ſequi. Eodem modo inter animæ facultates ſuperiores in inferio-*

*res, iſtæque in illas agunt. Quare ex acri, intentaq́; mentis contemplatione, ſenſus, & anima vegetabilis ſua munera, officiaquè relinquunt; itemquè ex vehementi concitatione ſenſus ratio perturbatur, et obcæcatur. Ergo quemadmodum anima vegetabilis aliter à ſenſu diſſociata, vt in plantis, ac ſenſui coniuncta, vt in animalibus, ſuo fungitur alendi, augendi, generandi munere (ex varia enim ſentientis animæ affectione, vt diximus, non mediocriter immutatur) atque altera ex parte ſenſus, quà animæ vegetabili coniunctus eſt, mirabiliter cõmouetur ab iis, quæ detrimentum vegetabili parti allatura perſpicuè videntur, vt ab media, ab immoderato calore, & frigore; exhilaratur autem ab illis, quæ vtilia, & ſalutaria ſunt, vt à calore, & frigore temperato, à ſaporibus dulcibus (cernitur enim hic naturæ conſenſus, & ſympatheia in guſtu maximè, atquè tactu, quoniam hi ſenſus animæ vegetabili proximè adhærent, & innituntur; ſuntquè nobis ferè ad cuſtodiendam animæ vegetabilis incolumitatẽ dati) quemadmodum igitur vegetabilis, & ſentiens anima ita ſunt à natura factæ, vt ex vna in alterã quaſi perfluat, & emanet aliquid; ſic in ſenſu, & mente rem ſe habere mirum videri non debet. Sentienti ſanè animæ, vt humanæ, ideſt quatenus rationi, & intelligentiæ coniungitur, duæ præcipuæ af-*

*fectiones inſunt, verecundia, & honoris deſiderium. Ingeneratur enim ſentienti animæ, & quaſi à ratione transfunditur neſcio quid, quamobrem reprehenſionem hominum vereatur, & honore tamquàm virtutis premio affici cupiat. Quòd ſi eò ratio ſe deiecerit, vt ſenſui, atquè cupiditati ſeruiendum putet; affectiones omnes, quas in appetitu reſidentes ſuperius recenſuimus, multò crebriores, multòquè vehementiores, quàm in reliquis animalibus, prout antea etiam diximus, inſpicientur. In illis enim Natura ſibi ipſa modum ſtatuit, certosquè fines præſcribit, quò progrediatur. In nobis verò ratio deprauata, & ſenſibus aſſidua voluptate afficiendis addicta nihil non excogitat, & anquirit, vt ſemper nouis voluptatibus titillentur ſenſus, & quaſi liqueſiant. Ita appetitus animæ ſentientis comes inita cum deprauata ratione ſocietate vim acquirit; crebriuſquè erumpit; contrà autem rectam rationem ducem ſequens, illiquè dicto audiens ab ea ordinem, moderationem, tranquillitatem accipit; in qua re bonam, magnamquè felicitatis noſtræ partem conſiſtere docebimus. Hinc, quid etiam de mente dicendum ſit, apparere poteſt. Nam ab immoderatis ſentientis animæ affectionibus, nimiaquè concitatione aufertur, polluitur, cæcatur; à moderatis autem, præclaraquè*

*inſtitutione, & conſuetudine rectè conformatis ad benè, virtutiquè cõgruenter agendum ſit promptior, & ardentior. Charitas enim erga humanum genus, & miſericordia liberalitatem, iuſtitiam, æquitatem, honoris auiditas animi magnitudinem, ira, & indignatio fortitudinem excitat. Tot igitur modis, quod ad agendum pertinet, mens à ſentiente, appetenteque anima affici poteſt. In cognoſcendo autem, cum per ſe, & à corporis ſocietate libera ſimplici quodam intuitu, vt cæteræ beatæ mentes, rerũ omnium vim, naturamquè percæptura foret, nunc ſenſui coniuncta componit, diuidit, ratiocinatur; & à communibus ad indiuidua deſcendit, contraquè ab indiuiduis ad cõmunia redit; ſicquè continenter iactatur, & in motu poſita eſt. Cum igitur tot, tamquè inter ſe diſcrepantes actiones ex tribus animæ partibus, præcipuè ſi inter ſe commiſtæ, atquè copulatæ conſiderentur, in homine prodeant; videamus iam quæ propriæ hominis, quia ſit homo, functiones, officiaquè ſint appellanda, vt ad intermiſſam de felicitate contemplationem, quæ felicitas in propria muneris functione hominis poſita erat, aliquando redire poſſimus.*

Cap. 14 *Homo à veteribus Græcis* μικρόκοσμος *eſt nuncupatus; quòd ea, quæ in hac vniuerſitate ſparſa, atquè diffuſa ſunt, in homine quaſi conglutinata, et ſimul*

*coniuncta reperiantur. Quod ex iis, quæ à nobis poſita ſunt, ſatis liquere poteſt. Corpore enim hoc craſſo, atque ex elementis concreto cum rebus inanimis conuenit, anima vegetabili cum plantis, cum brutis animantibus ſenſu; puras verò, & ſimplices mentes intelligentia, & ratione refert. Illud verò diligenter eſt attendendum, quod ſuperius etiam admonuimus, omnem naturam, quæ ſolitaria, ſimplexuè non ſit, ſed ex multis naturis coagmentata cohæreat, ad ſpeciem referri, propriumquè alicuius ſpeciei obtinere nomen ex illa parte ſui, quæ dignitate, & perfectione excellat; quòd in coniunctione plurium vni ſemper naturæ deferri principatus debet, quæ alias quaſi in officio contineat, nec diuelli, aut labi ſinat. In homine igitur, vt nemo non libenter concedit, dominatur ratio, tenetquè principatum. Propter hanc enim tamquàm poſtremò aduenientem formam, & operi inchoato faſtigium imponentem, propriam ipſe adeptus eſt ſpeciem à reliquis omnibus diſtinctam. Ergo ſi felicitas præſtantiſsimum, ac ſummum hominis bonum eſt, omnibus autem animæ facultatibus intelligendi facultas, & omni facultati, quemadmodum initio oſtendimus, actio præſtat, in actione ſine dubio felicitas cõſiſtet, nequè quacumquè actione, ſed propria hominis, id eſt à ratione, & intelligentia prodeunte. Verum*

*errat perſæpè ratio, atquè fallitur; quod non modo in artibus videre poſſumus (ex quo Timotheus vir in Muſicis peritiſsimus duplicari ſibi mercedem ab eo poſtulabat, qui ab alio prius didiciſſet; quod in falſis rationibus, quæ illius animo hæſiſſēt, dedocēdis labor primum ſuſcipiendus eſſet, deinde vera ars tradenda) ſed etiam in vita, & moribus omnino patet. Nemo enim ferè, niſi ignoratione boni, dederit ſe vnquàm vitiis conſtringendum. Quapropter ſi pictorem non propterea laudamus quòd pingat, ſed quòd rectè, & artificioſe pingat; idquè de vna arte dictum valet in reliquas; profectò et actiones noſtræ, quamuis à ratione proficiſcātur, niſi probæ ſint, reprehendi debebunt. Probæ igitur ſint oportet. Quòd ſi ſua quidquè virtute abſoluitur, & expletur (virtutem nunc voco habitum quēdam excellentem, vt Phidiæ in ſculpendo, Apellis in pingendo) ſequitur, vt felicitas ſit actio animi à ratione profecta, quæ quidem ratio ſit informata virtute, & ſi plures ſint virtutes, optima, ac perfectiſsima. Quod non ita intelligi volumus, vt aliæ etiam virtutes præter perfectiſsimam non requirantur in felicitate; Omnes enim planè requiruntur: ſed ita loquuti ſumus, vt conſuetudinem Ariſtotelis teneremus, qui ſolet, cum definit, res quàm maximè poteſt, in anguſtum concludere, atquè deterius, et ignobilius,*

*bilius, vt ipſe ſeptimo Politico inquit, ad id quod melius, & nobilius eſt, referre. Felicitas igitur, vt ad rem redeamus, eſt actio animi à ratione profecta, virtutiquè conſentanea.*

cap.xv *Cæterum, cum ratio in homine non ſit, vt oſtendimus, ſolitaria, ſed cum reliquis duobus animæ generibus, atquè ipſo corpore coniuncta, meritò & ea in felicitate exigi dicemus, quæ ſuperius afferebamus, valetudinem, robur, pulchritudinem, ſenſuum integritatem. Primò enim pertinent ad optimum humanæ naturæ ſtatum; idcircoquè à natura per ſe ipſa expetuntur: Deinde ad virtutes, quibus ratio muniatur, acquirendas, virtutumq́; officia præſtanda maximè conducunt. Quis enim corpore ægrotans animi aciem ad vllam præclaram cogitationem poteſt intendere? Quis niſi integros, & vigentes habeat ſenſus, aut munera ciuilia ſatis commodè obibit, aut ſcientias adipiſcetur, cum neceſſe ſit intelligentem in phantaſmata, ſiue, vt vocat M. Tullius, viſa intueri? Robur verò ad amicos propinquos, parentes, patriam deniquè ipſam tuendam, ac defendendam nonne multum proderit? Pulchritudo verò, & formæ dignitas mirificè animos hominum allicit ad amandum. Qui autem hominum beneuolentia munitus eſt, multos magnoſquè tumultus comprimet, plurimas, moleſtiſſi-*

*masquè ſeditiones ſedabit, infinita propè, ac ſingularia Reipub. commoda afferet, modò virtutem ducẽ ſequatur. Pompeij quidem pulchritudinem, & aſpectus dignitatem plus ad ipſius commendationẽ, quàm patris odioſam memoriam ad inuidiam, & offenſionem apud Populum Romanum potuiſſe ex hiſtorijs didicimus. Ac ſanè antiquis temporibus illos ad regiam dignitatem prouehi ſolitos eſſe refert Ariſtoteles, qui forma corporis pulchriore, atque in ſigniore eſſent; quod noſtra etiam tempeſtate in more, & inſtituto quarumdam nationum eſt: ex quo illud, Priami ſpecies digna imperio. Quapropter ſatis mirari non poſſum extitiſſe aliquando nonnullos, qui vt feliciores, ac beatiores euaderent, in ſitu, & ſqualore iacere voluerint, vulnera ſibi inflixerint, oculos eruerint. Sed horum de ſententia poſtremo libro planius agetur, & fuſius. Certum igitur, & exploratum ſit, corporis quæ appellantur bona duabus de cauſis ad felicitatem eſſe perneceſſaria; partim quia naturam humanam explent; partim quia ad virtutis munera obeunda plurimum proſunt. Bona verò externa; quæ præcipuè fortunæ accæpta referre ſolemus (nam corporis etiam bona fortunæ telis ſunt expoſita, ſed tamen ad naturam potius referuntur, vt poſtremo libro dicemus) nobilitas, diuitiæ, honor, propinquorum, & amicorum*

*copia poſteriore tantum de cauſa ad felicitatem abſoluendam concurrunt. Iis enim veluti inſtrumentis ad actiones virtuti conſentaneas exercendas vtimur. Quapropter reprehendebat Ariſtoteles in Politicis illos, qui in externis bonis præcipuè conſiſtere felicitatem arbitrabantur, nō aliter, atquè ſi quis ſcitè canendi fidibus cauſam eſſe diceret lyram potius, quàm artem. Non ſunt igitur in partibus felicitatis cenſenda externa bona; non enim per ſeipſa expetuntur; ſed tanquàm inſtrumenta felicitatis accipienda. Sunt autem bona quædam, quæ partim externa, partim interna nominari queunt, vt hominum charitas, veraquè præſertim, et germana amicitia. Nam ſi abeas ad oculorum iudicium, hominem ab homine diſtinctum cernens aliorum erga nos beneuolentiam externum quippiam cenſebis. At ſi mentem in conſilium adhibeas, illamquè dicentem audias, omnes homines quaſi membra quædam eſſe vnius corporis, naturalemquè inter ipſos ſocietatem, propenſionem, amorem eſſe, profectò poſſidere animos hominum, quod, dum amaris, aſſequeris, quiddam maximè internum, atquè intimam quandam animi tui expletionem eſſe non dubitabis Quod multò etiam facilius de vera ſtatues amicitia. Amicus enim vetere prouerbio alter ego. Verum hæc in eodem tertio libro latius explicabuntur,*

*H ii*

*in quem librum omnes magni ponderis quæſtiones reijcimus. Sunt autem iſta bona, de quibus nunc loquuti ſumus, cum per ſe expetenda, quoniam nos intrinſecus explent, atquè perficiunt, tùm propter innumerabilia commoda, quæ ab illis proficiſcuntur, præcipuè in virtutum muneribus fungendis. Nam qui amatur à ſuis ciuibus, habetquè apud illos magnam autoritatem, facillimè, quæ ſibi in rep. facienda videbuntur, illis perſuadebit. De Archita, & Batto refert in Politicis Plutarchus, quòd à ciuibus ſuis plurimum amarentur, vtrumquè fuiſſe patriæ ſuæ maximè ſalutarem. Præclarè autem à ſummo poeta viri magna autoritate prediti vis perſuadendi eſt expreſſa.*

Ac veluti populo in magno cum ſæpè coorta eſt
Seditio, ſeuitquè animis ignobile vulgus;
Iamquè faces, & ſaxa volant, furor arma miniſtrat;
Tum pietate grauem, ac meritis ſi fortè virum quem
Conſpexere, ſilent, arrectiſquè auribus adſtant.
Ille regit dictis animos, ac pectora mulcet.

*De vera autem amicitia, quàm per ſe optabilis, quàm fructuoſa, quàm ſuauis ſit, nihil attinet in preſenti dicere. Extant enim diuinitus de ea ſcripti libri.*

cap. 16. *His ita conſtitutis iam perſpici poteſt omnes illos,*

*quorum de felicitate ſententias initio examinaui-mus, ſi minus veritatem ipſam, at certè veritatis vmbram vidiſſe. Aliquis in virtute beatam vitam ponebat. Nos autem virtutem tamquàm partem maximè neceſſariam, primariamquè felicitatis recenſuimus. Alius voluptatem præ cæteris rebus omnibus amabat, ac tamquàm filiolam exoſculabatur ſuam. Nos bona corporis adeſſe volumus; quæ ſi adſint, maximæ ſemper voluptates percipientur: vt omittam in præſentia, quod nullo pacto eſt omittendum, in ipſiſmet actionibus virtuti conſentaneis ſummam ineſſe voluptatem. Iſtud enim in tertium librum differimus tractandum. Nequè etiam ab ijs, qui rerum externarum affluentia ſummum bonum definiebant, omnino diſſentimus. Externa enim bona, etſi in felicitatis vi, & natura non comprehenduntur, requiruntur tamen, & neceſſaria ſunt vt inſtrumenta. Ac veræ definitionis illud quidem vel maximè proprium eſt, vt ex ea profligentur quæſtiones omnes, & aliorum opiniones, vt verum aliqua ex parte attigerint, vt aberrarint, perſpiciatur. Recto enim cognito facillimè percipitur obliquum.*

cap.17 *Sed quoniã maxima inter Peripateticos et Stoicos, diſſenſio ſemper fuit, dum hi virtutis acerrimi, vt videri volunt, defenſores, eam ſe ipſa eſſe contentam,*

*nequè aliquid requirere ad felicitatem putant, illi verò ad virtutem multa adiungunt, Stoicorum rationes perpendere, atquè refellere ab re non erit. Quamquàm etſi illi quidem multa dicunt, pauca tamen ſunt, quæ egeant confutatione, ita leuia, atq; inania ſunt; quod ſi quis quartum M. Tullij librum de finibus bonorum, & malorum diligenter legerit, facilè cognoſcet. Vnum duntaxat eſt argumentum, quo illi potiſsimũ nituntur, non cõtemnendum. Dicunt enim felicitatem, ſi modò perfectum bonum ſtatui debeat, in eo ſtatu hominem collocare, vt nequè fortunæ temeritati, nequè inimicorum iniurijs ſit expoſitus, ſed totus ſit aptus è ſeſe. At ſi felicitas ex bonis corporis, et fortunæ conſtaret, iſtud præſtare non poſſet: Nemo enim hominum, qui viuat, eſt, cuius corporis, et fortunæ bona ex ſeipſo pendeant; quinimo fluxa, & commutabilia ſunt, atquè adeo ſæpiſsimè commutantur. Ergo ad felicitatis ſummam corporis, & fortunæ bona accedere concedendum non eſt: ſed ſola virtus ita beatam vitam efficit, vt nequè aliorum bonorum acceſsione ſit beatior, nequè diſceſsione minus beata. Ita enim qui felix ſemel fuerit, non commutabitur camæleontis cuiuſdam more; ſed eodem ſemper ſtatu manebit, illa quæ vulgi opinione ſunt ampliſsima, valetudinē vires, pulchritudinem, honores, diuitias pro nihilo*

*ducens. Atquè iſtud quidem ſtoicæ ſectæ firmamentum eſt. Quo fortaſſe poſteriores Peripatetici adducti beatam vitam à beatiſſima diſtinxerunt. Dicebant enim ad beatam vitam efficiendam ſatis eſſe virtutem: Beatiſſimam verò tunc appellabant, cum corporis bona eſſent adiuncta, & cætera, quæ tanquàm inſtrumenta diximus eſſe ad perfectæ virtutis vſum neceſſaria. Ariſtoteles autem hac diſtinctione non ferè vtitur, ſed cum felicitatē definit, externa etiam & corporis addit bona. Vt igitur Stoicis reſpondeamus, illud teneatur, hominis bonum humanæ naturæ cōueniens, atquè accommodatum eſſe debere. Nequè enim Dei Opt. Max. felicitas homini tribui poteſt, ſed prout diximus, quæ à natura hominis non ſit aliena. Hominis autem natura ſi in mētem, & intelligentiam intueamur, firma, ſtabilis, immortalis eſt: ſin autem corpus ſpectemus, mortalis, caduca, fragilis. Ergo & hominis bonum partim ſtabile, et firmum erit, quatenus refertur ad mentem; partim caducum, & fluxum, ſi corpus reſpiciamus. Nihil igitur mirum videri debet, ſi felicitas noſtra nō vſquequaq; ſtabilis permaneat. Illud autem ne nos fugiat, tantum præſtare mentem, & intelligentiam corpori, quātum rem diuinā mortali, id eſt infinitis propè partibus, itemq; bona mentis cæteris omnibus bonis. Præclare enim*

*Critolaus dicebat, ſi in altera libræ lance cuncta & fortunæ, & corporis bona ponerentur, in altera ſola virtus, hanc qua virtus contineatur, tantum ponderis habituram, vt terram & maria depreſſura ſit. Meritò igitur felicitas ex virtute, tunquàm ex longè præſtantiore, et maiore parte ſui ſtabile quoddã, & firmum bonum nominabitur. Quamobrem ſi quis erit mente bona, & firma, virtutiſquè præſidio fultus, difficulter ex felicitatis poſſeſsione deijci, deturbariquè poterit. Si enim leues aliquos, & exiguos caſus fortuna inuexerit, nihil de felicitate detrahetur (res enim exiguæ, vt magnus ille Arabs dicebat, nihili inſtar obtinent) ſin in Priami calamitates inciderit, nõ erit ille quidem abſolutè, omninoquè felix, ſed proximè tamen accedet ad felicitatem. Nam maiorem, & præſtantiorem felicitatis partem, virtutem ſcilicet posſidebit. Hoc loco ſatis commodè afferre poſſumus, quæ Ariſtoteles in magnis Ethicis de illius boni, quod ipſe ἄριστον, nos præſtantiſsimum dicemus, notione admonuit. Dicebat enim præſtantiſsimum bonum illud aliquando appellari, quod reliquis bonis collatum emineat, & eluceat maximè, vt ſi prudentiam cæteris omnibus bonis præſtare diceremus; aliquando verò quod omnia bona in ſe contineat, ſitquè ſingulis ſeparatim acceptis maius, & præclarius. Atque hac ſecunda*

*da notione ſola felicitas præſtantiſsimum, & abſolutiſsimum bonum nominari debet. Continet enim complexu ſuo bona animi, corporis, fortunæ, ita tamen, vt bonis animi tanquàm propria ſede nitatur: deinceps bona corporis requirit: quippe corpus pars hominis eſt, idcircoquè ſtatus ipſius optimus à natura expetitur. Poſtremo loco fortunæ bona, tanquã idonea ad virtutis munera obeunda abſoluunt felicitatem. Quare Speuſippus felicitatem definiebat bonum ex omnibus bonis cumulatum. Verum miretur fortaſſe aliquis quid ſit, quòd bona corporis, & fortunæ ſæpius in ore habeamus, docilitatis autem, & celeritatis ad cogitandum quæ ad animi bona pertinebat, nullam faciamus mentionem, nequè illam in felicitatis partibus recenſere videamur. Quod tamen non eſt ita. Cum enim dicimus rationẽ virtute perfecta eſſe informandã, ingenio eximio opus eſſe oſtẽdimus. Tardis. n. mẽtibus perfecta virtus non cõmittitur, quod ſuo loco ſatis conſtabit.*

Cap. 18 *Poſuimus felicitatẽ eſſe functionẽ animi virtuti cõſentaneam, bonorũq; corporis, et fortunæ copiã adiunximus. Nunc vitæ etiã perfectæ proſperitatẽ addamus. Neq; enĩ, vt eſt in prouerbio, vna hirundo, neq; dies vnus ver efficit. Sic vnus dies, aut perbreue tẽpus perfectæ vndiq;, et omnibus numeris abſolutæ felicitati nõ ſatis eſt. Vt enĩ vita humana, ſi perfecta*

*ſutura ſit, ad certum terminum peruenire debet ( ac ſanè res omnes naturales, quemadmodum certam molem habent, ita etiam certum habent ſpaciū temporis, per quod perdurent, vt de multis animantibus refert, in quodam Epigrammate Virgilius ) ſic hominis actio perfecta ſpacium temporis, et quādam longitudinem deſiderat. Etſi enim qui breui tempore felix fuit, optimè aliquando egiſſe potuit, æquè ac ille, qui diuturnam habuit felicitatem, fit tamen, vt productione temporis beata vita augeatur. Quemadmodum enim æternum eſt perfectū, ita quæquè res quò ab æternitate propius abeſt, niſi quid aliud ſit impedimento; perfectior, & abſolutior cenſenda eſt. Etenim tametſi tempus externum quiddam ſit, multum tamen ad rerum perfectionem facere videtur. Adde, qui ſpacium habet, eum multo plura, ac præclariora facinora aggredi valere. Atquè illud etiam non minimi ponderis eſt breuem felicitatem à nobis percipi, cognoſciq́ non poſſe. Tot enim latebras, tot receſſus humanus animus habet; vt veram ne, & ſolidam, an adumbratam, & fictam poſſideat felicitatem, breui tempore nequeamus iudicare. Quamobrem Solon princeps meo iudicio ſeptem Græciæ ſapientum in celebri illo ſermone, quem cum Creſo opulentiſſimo lydorum Rege habuit, expectandum tempus extremum*

*ætatis ad felicitatem diiudicandam cenſuit. Quòd non eſt ita intelligendum, quaſi tum deniquè ſit aliquis beatus, cum vitæ curriculum à natura datum confecerit ( de humana enim felicitate loquimur, cuius in hac vita compotes ſumus, non de ea, quæ nobis poſt mortem promiſſa eſt ) ſed quaſi tùm deniq; aliquis iudicari beatus rectè queat, cum ex hac vita exceſſerit, quæ omnibus fortunæ telis propoſita erat. Verum duæ hic potiſsimum explicandæ quæſtiones occurrunt. Prima quæſtio eſt huiuſmodi: ſi vitæ ſupremus dies eſt expectandus, vt quis verè felix iudicari queat, non quòd beatus tum ſit, cum moritur, ſed quòd antea fuerit, abſurdum planè videtur, tum cum erat beatus, felicitatem ipſius prædicari nõ potuiſſe. Nam ſi hodie hæc enunciatio vera eſt, heri Pompeius diues fuit, profectò heri pronunciare tutò poteramus: Pompeius diues eſt. Num fortaſſe varietatem fortunæ extimeſcimus? At felicitatem ſtabile aliquid, & firmum, vixquè mutabile putabamus. Perobſcura quæſtio: ſed tamen certum eſt, quid ex Ariſtotele reſpondeam. Si enim fortuna domina felicitatis eſſet, & non potius virtuti conſentaneæ actiones, nullus profectò dum viuit, beatus rectè iudicari poſſet. Facilè enim fortunæ impetu de ſtatu ſuo deiiceretur. Nunc in felicitate conſeruanda primas ad virtutem deferimus,*

*quæ quidem virtus ſtabilitatem, & firmitatē ſummam habet, cum inter habitus, vt ſecundo declarabitur libro, connumeretur ex quo poetæ, illam lapide quadrato inſiſtentem fingunt. Quare ſi quis perfecta, & abſoluta virtute, preditus exiſtat, iudicari non iniuria beatus poterit; quoniam principem partem obtinet felicitatis; & ſi reliquis omnibus bonis priuetur, quamuis parumper de perfectæ felicitatis ſtatu recedet, proximè tamen ſemper ad ipſam accedet. Poſſumus tamen, vt omnes ſcrupuli tollantur, eum duntaxat verè, abſolutèque felicem appellare, qui virtutis perfectæ perfecto fungatur munere, reliquis etiam bonis, affluens non in quantouis tempore, ſed in perfecta vita, quiquè rectè, laudabiliter, atquè anteactæ vitæ conuenienter ſit mortem obiturus. Sic enim aliquam felicitatis partem quamuis minimam in poteſtate fortunæ relinquemus, quam nonnihil, atquè adeo multum poſſe in rebus humanis nemo, opinor, dubitat. Non igitur quemadmodum in diuitijs, ita in felicitate vſu venit, vt heri aliquem abſolute felicem fuiſſe dicere poſſimus, niſi eodem ſtatu mortem obierit. Nam cum felicitatem dicimus, perfectum quoddam bonum, itaquè diuturnum animo concipimus, vt hominem debeat vſquè ad extremum vitæ diem co-*

*imitari: Ac fortaſſe cum ipſas etiam alicuius diuitias predicamus, non illas intelligimus, quæ puncto temporis euaneſcant, ſed quæ per omne vitæ tempus ſtabiles videantur permanſuræ. Atquè hoc pacto prima quæſtio ad exitum videtur perducta. Exiſtit & altera, an cum quis è vita exceſſerit, ſi eius poſteri, atquè amici in maximas calamitates incidant, amittat ipſe felicitatem. Verùm vt res aduerſas amicorum, poſterorumquè nihil ad mortuos pertinere ſententijs omnium repugnat, ita tanti momenti eſſe, vt ijs, ſi anteà felices erant, beatam vitam eripiant, non eſt, vt arbitror, concedendum. Minus autem accuratè hanc rem in præſenti tractamus, quoniam de alterius hominum vitæ felicitate in his libris diſputare non inſtituimus.*

cap.19 *Felicitatis definitione iam conſtituta, illius partes conſideremus. Aut enim ex honeſtis actionibus, pendet, aut ex contemplatione. Hinc autem exordium capiamus. Poſuimus felicitatem eſſe functionem muneris eius animæ partis, quæ ratione prædita eſt. Ex tribus autem animæ generibus vegetabilis, quæ infimum, & ignobiliſſimum locum tenet, rationem non audit, & in ſomno præcipuè ſua munera exequitur. Mens autē rationē in ſeſe incluſam cōtinet, vel ipſa potius ratio eſt. Senſus nō ipſe*

*quidem ex præſcripto rationis res ſibi ſubiectas perci pit (percipit enim pro facultatis ſuæ viribus) at appetitus ipſius comes eſt quatenus rationis compos poſſit euadere, menti ſcilicet, & intelligentiæ obtemperans. Etenim ſi vel immanes quaſdam beſtias, in quibus nullum rationis lumen elucet, inſtitutione cicures fieri videmus, & homini obedire: quis negare audeat humanum appetitum, qui ſuapte natura menti ſubiectus eſt, ratione regi, et gubernari poſſe? Adducit multa Plutarchus in libello de virtute quæ ad mores pertinet, quibus hoc confirmetur. Nos duo tantùm ex ijs afferemus. Videmus igitur primum, ſi quis puellam, quam deperibat, cuiuſquè incredibili cupiditate flagrabat, ſororem ſuam eſſe, aut filiam cognouerit, continuò appetitum quaſi rationis iudicium verentem ſe ſe contrahere, & priorem libidinem quantumuis ardentem reſtingui: Deinde illud etiam ſæpenumero animaduerſum eſt, in ijs qui cibum aliquem libentiſſimè ſumpſerũt, ſi reſcierint poſtea eius generis fuiſſe, à quo ſe abſtinere ob religionem conſueuerant, ita cõmoueri appetitum ita à cibo illo abhorrere, vt nauſea, & vomitus ſequatur. Ratione igitur, & intelligentia gubernatur appetitus, affectioneſquè omnes cohibentur. Qua quidem in re Stoici opinoſiſſimi homines turpiter lapſi ſunt. Non enim eam animæ partem,*

*in qua affectiones locarentur, à ratione diſpertitam eſſe cognouerunt, ſed perturbationes omnes ex falſa voluerunt oriri opinione. Quos miror & nutriendi, & creſcendi etiam facultatem rationis iudicio uti in ſuis fungendis muneribus non affirmaſſe. Etenim ſi ratio ita animam appetentem continet, vt hæc nunquam extet, certè & vegetabilem continere debebat. Certum igitur, exploratumque nobis, ſit, animam ſentientem, ipſiusquè comitem appetitum partem eſſe animæ noſtræ à ratione, & intelligentia diuerſam, atquè ſeiunctam, nec raro etiam ipſi repugnare, niſi præclara inſtitutio accedat. Quapropter Ariſtoteles, quem admiratione quadam cõmoti & ſæpiſsimè adhuc laudauimus, & poſthac laudabimus, imperium mentis in appetitum ciuile nominabat; quòd quemadmodum ciues adminiſtratoribus reip. ſuæ, ita appetitus rationi aduerſari & poſſit, & mehercle etiam ſoleat. Ergo ſi felicitas eſt actio animi à ratione profecta; ratio autem tùm in mente, tanquàm in propria ſede reperitur, tùm appetitui impertitur, ratio autem, ne labatur, atquè erret, debet informari virtute; ſequitur vt felicitas ſit actio tùm mentis, tùm appetitus, modo vtraquè animi pars virtute perficiatur, & exornetur. Virtus autem mentis, & perfectio, ſi non ipſa per ſe mens ſpectetur, ſed cum reliquis animæ viribus, atque cor*

*pore copulata, totiquè homini conſulens, φρόνησις à Latinis prudentia eſt appellata. Hæc enim in mente tãquàm in arce ſedens, appetitum mouet, dirigit, moderatur, & ob eam cauſam totum etiam regit corpus, quod appetitui, quod ad ſuas motiones pertinet, magna ex parte ſubiectum eſt. Quam virtutem qui ſibi non parat, is forma, & ſpecie humana præditus ab hominis natura planè deſciſcit. Amota enim prudentia continuò fiunt metamorphoſes illæ, de quibus Pythagorici, & Platonici multum pertractant, vt aliquando conuertamur in Plantas, aliquando brutorum animantium naturam, et animum induamus. Rationis enim integræ, ſynceræq́; auxilio priuati, aut incolumitati, & vitæ conſeruandæ nimis addicti plantarum planè naturam imitamur, aut voluptatibus emancipati deteriorem beſtijs ipſis vitam viuimus: Eſt igitur Prudentia propria virtus humanæ mentis, cum vniuerſo homini conſulit, & in ipſius bono acquirendo, aut conſeruando peruigilat. Appetitui autem ea virtus conuenit, quæ à Græcis ἠθικὴ à noſtris moralis nominari ſolet, multaſquè habet partes, vt iuſtitiam, liberalitatem temperantiam, fortitudinem, de quibus poſterius eſt agendum. Princeps verò harum virtutum quæ in appetitu conſiſtunt, & quaſi regina prudentia. Quamobrem ab Ariſtotele Architectus reliquarum*

*rum*

*rum omnium virtutum nuncupatur; à Platone autem quaſi genus ſtatuitur, non quò reuera virtutes morales prudentiæ partes ſint, hæc enim in mente reſidet, illæ in appetitu, ſed propter hanc cauſam, quòd ſemota prudentia nulla virtus exiſtit, prudentia autem omnes continet virtutes.*

cap. 20 *Qui igitur prudentiam fuerit aſſequutus, & appetitum etiam proprijs illius virtutibus ornarit; felicitatis, quæ in agendo conſiſtit, quæquè ciuilis appellatur, compos erit. Prudentia enim, & virtutes morales in hominum communione, ac ſocietate, non in ſolitudine conſpiciuntur; idcircoquè illorum propriæ ſunt, qui rempub. & ciuilia negocia adminiſtrant. Ignoſcent autem nobis æqui lectores, ſi actionis nomen non eadem ſemper notione accipiamus. Vix enim, niſi barbaris vocibus vtamur, facere aliter poſſumus. Aliquando igitur actionem dicimus, quam Ariſtoteles ἐνέργειαν, noſtri verò operationem, M. Tullius, quem nos plerumquè ſequuti ſumus, functionem muneris dicit; eaquè contemplationem etiam comprehendit: idcircoquè tametſi felicitatem ſtatuerimus actionem animi, nihilominus contemplationi etiam locus erit: Eſt enim contemplatio veriſſimè ἐνέργεια, & perfecta quædam motio noſtræ mentis. Aliquando autem illas tantum actiones appellamus*

*quæ in his rebus humanis verſantur, atque ab affe-ctionibus proficiſcuntur: quarum quidem actionum Prudentia, & virtutes morales dominæ eſſe debent, haſquè πράξεις vocat Ariſtoteles; quamquàm & ipſe nonnunquam his vocibus eſt abuſus. Hac igitur poſteriore actionis notione, felicitas, quæ in Prudentia, & virtutibus moralibus poſita eſt, in agendo conſiſtere dicitur & πρακτικὴ à Græcis nominatur. Nos enim verbum, quod illi reſpondeat, non habemus, ſed ſolemus deſcribere. Diximus prudentiam eſſe mentis virtutem, morales autem virtutes ad appetitum pertinere; prudentiamquè virtutibus moralibus longè præſtare. Quocirca Plato virtutum alias principes, alias quaſi pediſſequas, & miniſtras ponebat, principes quidem, quæ in ratione, & mente locarentur, inter quas Prudentia, quæ rebus agendis præeſt, & inferiores virtutes perficit, connumeratur; miniſtras autem, quæ appetitu rationis per ſe experte niterentur. Quæ diuiſio Ariſtoteli etiam maximè probata fuit. Quamobrem cum deterius, & imperfectius, vt ſuperius dicebamus, ad id quod melius, perfectiuſquè eſt, referri ſoleat, meritò, cum felicitatem ciuilem, quæ in agendo conſiſtit, definiemus; vnius tantum Prudentiæ mentio fiet, aſſeremuſquè felicitatem πρακτικὴν nihil*

aliud eſſe, quàm actionem animi prudentiæ congruentem cum reliquorum bonorum copia in vita perfecta, Artes autem nonnullæ maximi momenti, vt militaris, vt oratoria, quomodo ad hanc felicitatem non parum faciant, & ad prudentiam referantur, in ſequenti libro aperietur. Atquè hæc de ciuili felicitate: nunc ad alterum felicitatis genus deueniamus.

cap.21. Anus illa fatidica Stoicorum, prouidentia inquam Naturæ incommoda commodis compenſare ſolita, cum hominem ita componere coacta eſſet, animam vegetabilem, & ſenſum rationi connectens, vt à natura ſua diſcedere facilè poſſet, & in vıliorem multò, atquè ignobiliorem naturam conuerti, vitium hoc quaſi corrigens, & emendans effecit, vt nobiliorem, præſtantioremquè ſua ipſa naturam, & conditionem poſſet quoquè ſibi cum vellet, adſciſcere. Nam quemadmodum ſi mentem, ſenſui, & appetitui ſubijciat, proſternatquè, à ſua natura diſcedens deteriore loco conſtituitur, ita ſi illam non iam in cuſtodiendo appetitu, moderandiſquè noſtris affectionibus, ac rebus humanis gubernandis occupatam detineat (hæc enim vitæ ratio, atquè conditio, propria hominis, vt homo, conditio, proprius ſtatus eſt) ſed à ſenſu quantùm poteſt, exoluat, omniquè ſtudio, ac diligentia liberet; mortemquè in hoc

*etiam corpore, vt Plato dicebat, cōmentetur; iam non homo eſt, ſed Deus quidam. Iſtud autem ſapientia præſtat, quam à Theologia non differre poſtea oſtendèmus; eſtquè rerum maximarum, & planè diuinarum contemplatio, atq; agnitio. Etenim, dum contemplamur, quaſi è corpore euolantes, ab appetitu certè, & affectionum tumultu fermè liberi, mentibus illis immortalibus, beatisquè, quarum vita intelligentia eſt, quàm ſimillimi euadimus. Tribuimus autem hanc dignitatem ſapientiæ, ac Theologiæ præſertim, non ſcientijs reliquis; quamuis ipſæ etiam in contemplatione, verique perſpicientia verſentur; quoniam quemadmodum maximæ artes, ideſt militaris, & oratoria & virtutes morales ad prudentiã, ita ſcientiæ omnes ad ſapientiam referũtur. Verum hæc omnia alio loco ſunt copiosè differenda. Felicitas igitur, quæ in contemplatione verſatur, non malè fortaſſe hoc pacto definiatur, actio mẽtis ſapientiæ, vel ſi mauis, Theologiæ congruens cum reliquorum bonorum copia in vita perfecta. Verum hæc fortunæ, et corporis bonorum affluentia non eodem penitus modo hìc intelligenda eſt, atquè in ea felicitate, quæ in agendo conſiſtit. Illa enim cum eius hominis propria ſit, qui ad Reip. gubernacula ſedet, multoſquè ſibi cõciliare, & non modo opera, & conſilio, ſed etiam re iuuare debet, magna eget externorum bonorum co-*

*pia: contemplationi autem dedita vita paucis contenta eſt, ſperneretquè reliqua omnia bona, niſi illis omnino deſtituta à contemplatione auerteretur. Quæ igitur hoc primo libro nobis tractanda propoſueramus, iam ſunt abſoluta. Attulimus enim primò definitionem felicitatis proprio genere, proprijsq́ differentijs conſtantem, in qua omnes ferè homines conſentirent. Deinde cauſam conficientem felicitatis, aliorum confutatis ſententijs, ducibus Ariſtotele, & Platone inueſtigauimus. Poſtremò duo notauimus felicitatis genera, alterum quod honeſtis actionibus, alterum quod contemplatione conſtaret. Atquè harum quidem rerum primæ quaſi lineæ ductæ ſunt; in ſequentibus autem libris veris coloribus eaſdem perpolire, atquè clarius exprimere oportet. Ad quod eò quidem alacrius aggrediemur, quò magis humanitatem tuam, quaſi propitium numen nobis adſuturam ſperamus.*

# FLAMINII NOBILII DE HOMINIS FELICITATE AD PIVM QVARTVM PONT. MAX.

## Liber Secundus.

*Eliberanti mihi à primis temporibus ætatis, quam nam potiſsimum vitæ rationem ſequerer, quibuſquè ſtudijs me dederem, atquè ſummorum virorum exempla mihi ante oculos proponenti Philoſophia imprimis ad animi quietem, atquè oblectationem aptiſsima viſa ſemper eſt, & veræ felicitatis effectrix. Omitto illa, ab immoderatis animi affectionibus, libidine, odio, timore, ægritudine, quæ furias immittunt in vitam, immortaleſquè, & capitales inimicitias nobiſcum gerunt, ſolam Philoſophiã nos vindicare, ac ſine virtute, cuius eadem magiſtra eſt, ſi viuas, vitam iſtam iam non vitam, ſed mortem potius quandam cenſendam eſſe, cum mens vitijs obruta nullum oſtendere lumen queat, omitto inquam, quòd longiore egeant oratione, minuſquè ſint neceſſaria; Hoc vnum dico. Cum cæteræ artes omnes certis quibuſdam, & anguſtis fini*

*bus contineantur, ſola Philoſophia res omnes humanas, atque diuinas inueſtigãdas, & quatenus fert hominis conditio, perſpiciendas ſuſcipit; ſolaquè ad Dei Opt. Max. naturam contemplando accedit; in qua quidem contemplatione illius ipſius Dei, quem contemplamur, quodammodo participes nos fieri neceſſe eſt. Quemadmodum enim oculus, cum candorem percipit, & ipſe etiam exalbeſcit, omninoquè eodem ſemper colore, quem ipſe intuetur, coloratur; ſic animus noſter, cum omnia humana infra ſe ducens, & pro nihilo putans principem illum Deum contemplatur, in eaquè iucundiſſima contemplatione quaſi ambroſia, & nectare paſtus conquieſcit, iam non dico diuinus, ſed Deus ipſe planè euadit. Quo bono ſi quidquàm maius reperiri poſſet, eoquè vno non omnia continerentur, afferrem alia, & plurima, & maxima, quibus adductus hoc delegerim vitæ genus. Nec verò illud ab incæpto me deterrebat, quòd ſcirem & ſuperioribus temporibus doctiſſimorum hominum impias, & nefarias extitiſſe opiniones, & noſtra tempeſtate multos qui Philoſophiam profiterentur, non probatiſſimis eſſe moribus. Didiceram enim ex Platone, & Ariſtotele res fermè præter virtutem omnes, quæ ab hominibus expetuntur, diuitias, robur, pulchritudinem, eloquentiam ſcientiam, quamuis ſuapte natura in bonis ſint, pro*

*illius tamen ingenio, in quem inciderunt, aut maxima incommoda, aut ingentes utilitates afferre. Etenim ſi quis omiſſa recta, & honeſta viuendi ratione ſapientiam humanam diuinæ anteponat, ſequè religionis, & pietatis hoſtem profiteatur, quò ſe plurimum ab idiotis differre oſtendat; is dum in literas incumbit, in ſuam, aliorumquè perniciem profectò incumbit. Qui verò ad percipiendam Philoſophiam elegans, & ſalutare iudicium adhibens paucis illis, quæ religioni aduerſantur, repudiatis, ea quæ ferè innumerabilia ad vſum vitæ neceſſaria, & ad agnitionem animi pulcherrima ſunt, ex ea nititur haurire; is mihi vir et ſibi, & alijs vtiliſſimus in ſacraria rerum diuinarum abdita tuto, faciliquè itinere perduci videtur. Non enim profectò credendum eſt hanc admirabilem vniuerſitatem tot orbibus, tot elementis diſtinctam, tàm varijs metallorũ plantarum, animalium formis refertam non multũ facere ad cognitionem Dei, nõ plurimum ad ipſius amorem homines rapere. Quare mea quidem ſententia nihilominus Philoſophiæ ſtudendum eſt, etſi ea quidam abutantur; ſed fides ſemper, ac religio in Deos caſtiſſimè conſeruanda. Quo quidem conſilio me ad Philoſophiam acceſſiſſe, & ipſe mihi ſum conſcius, & omnibus dictis, factisquè meis per omne meum vitæ tempus ſedulo oſtendam. Quod*

*cum*

*cùm tibi Pie Quarte Pontifex Maxime tres ab hinc annos exponerem, illudquè tibi ſummopere placere intelligerem, mirificè ſum cohortatione tua ad eandem inſiſtendam viam confirmatus. Cum autem animaduerterem ea, quæ ſcribimus, neſcio quo pacto in animis noſtris altius imprimi, & quaſi inſculpta remanere, ad ea, quæ aut ipſe per me ex bonis autoribus collegeram, aut à præceptoribus meis, Vincentio præſertim Madio, quo nec vir melior, nec homo doctior vnquàm fuit, acceperam, literis mandanda me contuli. Placuit autem à Felicitatis tractatione initium ſcribendi ſumere; quoniam inter cæteros Philoſophiæ locos hic quaſi primas tenet; & felicitatis vi, naturaquè comprehenſa incredibili virtutis amore capimur, atquè ad rerum naturam inueſtigandam, et conſiderandam ſummo quodam ſtudio incitamur. In qua quidem quæſtione Ariſtotelem, & Platonem potiſſimum ſequimur; quod etiam in reliquis tractationibus obſeruare habemus in animo. Nam Zenones illi, Epicuri, Ariſtones, Herilli mouere fortaſſe hominum ſtudia potuerunt, retinere quidem certè non potuerunt. At Platonem, & Ariſtotelem, vt perfectos planè philoſophos, vt architectos beatæ vitæ, vt diuinos, & cæleſtes viros laudant omnes, & admirantur. Ille in naturali philoſophia tractanda non accuratiſ-*

*ſimus quidem fuit; verum ea quæ ad communem vitam pertinent, de virtutibus, & vitijs, omninoquè de bonis rebus, & malis copioſè, & enucleatè ſcripſit, diuina præterea planè diuinitus. Ariſtoteles verò cum in Phyſiologia, tùm in his ipſis cumulatiſsimè ſatisfacit. Ita enim vbiquè neruos induſtriæ contendit, vt nihil ex ijs, quæ alicuius ſunt ponderis, non diligenter examinatum relinquat. Optimè definit, cõmodè, dilucidèq; partitur, omnia firmiſsimis rationibus concludit, veras plerumquè rerum cauſas affert. Horum igitur ſummorũ philoſophorum de ſummo bono ſententias, quas magna ex parte conſentientes ducimus, explicare, atquè illuſtrare pergamus. Agemus autem in hoc ſecundo libro de virtutibus tùm ad appetitum, tùm ad mentem, & intelligentiam pertinentibus; quòd in his felicitatem conſiſtere docuimus, hoc ſequentes inſtitutum, vt quæ ab Ariſtotele apertè, perſpicuèquè tradita ſunt, attingamus duntaxat; quæ autem aliquibus ſunt obſtructa difficultatibus, diligentius expendamus, ac patefacere conemur: quamobrem erit hic liber quaſi compendium quoddam totius moralis Philoſophiæ. Atqui ſi res hæc longius fortaſſe ab Incæpto nos traxerit (id enim diu, multumquè conſiderauimus) facilè ab illis nos veniam impetraturos confidimus, qui huius tractationis magnam, per*

*gratamquè vtilitatem animaduertent, & quoties de virtutibus, de ſcientijs, de Theologia verba fieri à nobis audient, toties de veris, primisquè felicitatis cauſis verba fieri cogitabunt.*

cap. I. *Ciuilis felicitas tum prudentiam, quæ de bonis, & malis conſultat, eligitquè bona, tum virtutes facultatis appetentis moderatrices, vt ſuperiore libro diximus, requirit: ex quo de prudentia, & his virtutibus, quæ appetitum rationi obedientem præbent, & intra certos quosdam cancellos cōtinent, ſeparatim eſt agendum: Primumquè de his, nam poſtea ad prudētiæ vim intelligendam accedemus paratiores. Hæ morales appellantur, quoniam more, & conſuetudine comparantur, vt temperantia, fortitudo, iuſtitia. Nulla enim ex his virtutibus inſita nobis à natura eſt. Nam quæ natura conſtant, nunquā, vt Ariſtoteles dicebat, aliter, atque ſunt, aſſueſcāt. Ignis natura fertur ad cœleſtem oram: nunquàm, vt deorſum feratur, aſſuefacies. Terra ſuopte nutu inferiorem locum petit: etiam ſi millies illam ſurſum iacias, nihilominus priorem ſemper propenſionem retinebit. At hominis natura ita ad has virtutes perſpicuè ſe habet, vt illas ſuſcipere pariter & non ſuſcipere queat. Ergo quemadmodum neque præter naturam, ita neque natura nobis ineſſe virtutes credendum eſt: ſed ſic affectis, atque à natura fa-*

*ctis, vt illas ſuſcipere poſſimus, more, & conſuetudine ingenerari, & confirmari. Præterea naturales facultates non ex functionibus munerum illis facultatibus congruentibus acquiruntur; non enim eo, quòd ſæpe vidimus, & audiuimus, videndi, & audiendi facultatē, ac ſenſum adepti ſumus; ſed iſtas facultates à natura accipientes continuò ipſis vtimur, illarumquè officia ſine vlla inſtitutione commodiſſimè præſtamus. At virtutes conſequimur, virtutis prius functi muneribus. Suum enim vnicuiquè tribuendo, nulli iniuriam inferendo iuſtitiā, dolores tolerando, periculis ſe exponendo fortitudinem, libidinem coercendo, modeſtè, ac ſobriè viuendo temperantiam adipiſcimur. Atquè omninò actionum in vtramquè partem magna vis eſt. Nam ex bonis actionibus virtutes, ex malis vitia oriuntur. Quod & in cæteris fit artibus. Nam queādmodum benè, & ornatè dicendo artem oratoriam nobis comparamus, ſic peruersè, ineptèq́; dicendo illud nos conſequi. L. Craſſus dicebat, vt ineptè ſemper, ac peruersè dicamus. Eadem igitur virtutū ratio eſt. Bene enī, vel male agendo in iis rebus, quæ ab hominibus inter ſe cōtrahi ſolent, iuſti, vel iniuſti efficiuntur; Et oblatas voluptates ſine vlla cūctatione, atq́; ardenter proſequēdo, aut repudiādo temperātes vel intēperātes. Ergo, vt vno verbo dicā, quales*

actiones præceſſerũt,tales virtutũ,et vitiorũ habitus
ſequuntur. Quãbrem verisſimè à Platone,et Ariſt.
ſæpè dictum eſt,in puerorũ inſtitutione plurimũ eſſe
elaborandum,et hoc eorũ, qui leges ferunt,præcipuũ
eſſe munus,vt ciues in bonis,et virtuti conſentaneis
actionibus exercendo ad virtutem eos perducant.

cap.2. Vidimus à natura nõ eſſe nobis inſitas virtutes,
ſed cõſuetudine acquiri. Quare nec facultates,nec af
fectiones nuncupabimus(nam hæc,vt ſuperiore libro
diximus,à natura nobis tributa ſunt)ſed habitus eſ
ſe ſtatuemus(qui quidem habitus conſuetudine com
parantur)habitus autẽ facultatis appetentis. Habitũ
nunc intelligimus cõformationem quãdam ipſius ap
petitus,qua ſtabiliter,promptè,iucundè eiuſdem ge-
neris actiones obeat;quẽadmodũ temperantia eſt ha
bitus quidam appetitus,quoniã illa præditus, ſtabili
ter,expeditè,libẽter repudiat voluptates;ſimiliter in
tẽperãtia habitus eſt,quoniã ab ea confirmatus appe
titus firmè,prõptè,cũ voluptate ſequitur voluptates.
Nec verò eſt quod mireris,ſenſum ad ſuũ officiũ præ
ſtandũ habitu nõ egere,appetitũ egere. Nã ſenſus ita
pendet à re obiecta,vt ĩ ſpeciẽ illius formatus,nõ pos
ſit nõ ſẽtire. At appetitus,quẽadmodũ ſuperiore libro
oſtendimus, rationi obedire, et repugnare æq; poteſt.
Quare ne repugnet,ſed libentiſſimè ſequatur,quocũ
què ratio ipſum ducit,virtutis habitus adſit oportet.

*Ex tribus habitus cõditionibus, quas recẽſuimus, vt ſcilicet per illũ conſtanter, expeditè, iucundè agatur, facile actiones, quæ habitũ præeũt, ab illis quæ ſequũtur, diſtinguẽtur. Nam priores ſine quadã animi firmitate, non promptè, non multum etiam libenter obeuntur, idcircoquè imperfectæ ſunt; poſteriores autem illis præditæ conditionibus, ſunt perfectæ, & abſolutæ. Non fit autem ex vnica actione habitus (quæ enim cõſuetudine acquirũtur, nõ ſtatim fiunt) ſed ex multis; ita vt paulatim appetitus conformetur; quemadmodum plures è tecto cadentes guttæ ad cauandum lapidem requiruntur. Nec dubites, quomodo ex actionibus, quas eſſe imperfectas poſuimus, perfectus virtutis habitus poſſit comparari. Nam præceptoris, & parentis mens præſtò adeſt, quæ per has imperfectas actiones, cum ipſa ſatis perfecta ſit, poteſt perficere, rectèq; conformare appetitum, aut etiam, ſi quis multum ingenio valet, per ſe conformare, ac perficere ſuummet appetitum poterit. Non enim perfectio appetitus, ideſt virtus imperfectis actionibus, ſed perfectæ rationi accepta referri debebit. Quòd ſi quæras, ecquid cauſæ ſit, cur ignis, vt deorſum feratur, aſſuefieri non poſſit, appetitus autem varias habeat propenſiones, & ad res planè contrarias poſſit aſſuefieri; illud eſſe in cauſa reſpondebo, quòd ignis à forma*

*ſua certum habuit inſtinctum, atque impetum; qui forma incolumi tolli nequit; at appetitus non habet propriam quandam propenſionem; ſed illam à bona, aut mala ratione accipit. Fortaſſe etiam, ſicut Planetarum globi, & ſi peculiarem quendam habeant motum, tamen à ſtellifero orbe tanquam ab altera communi, multoque perfectione forma, longè diuerſo, nec tamen repugnante naturâ, voluuntur motu; ſic appetitus noſter, quanuis naturaliter ad ea, quæ ſenſui amica ſunt, propendeat, tamen à ratione tanquam à ſuperiore forma longè aliter, quàm ſenſus ſuadeat, moueri poteſt. Hoc inter Planetarum globos, & noſtrum appetitum intereſt, quòd illi libentiſsimè ſemper ſupremum globum ſequuntur; noſter autem appetitus quoniam multò prius exiſtit, quàm ratio expergiſcatur; idcirco tantas vires ſumit, vt rationi iam exortæ, principatumque ſibi vendicanti repugnare & audeat, & poſsit. Quare paulatim, vt obedire velit, eſt aſſuefaciendus; & bono quodam habitu, ideſt, virtute conformandus, & confirmandus; quod in Planetarum globis opus non fuit. Hinc fit, vt virtus ipſius appetitus rectè appellari poſsit, veſtigium quoddam rationis in appetitu impreſſum; ſed ita altè impreſſum ob frequentes actiones, vt vix tolli poſsit. Verum hæc diligentius à me in alijs huius philoſophiæ par-*

*tibus ( vniuerſam enim exponere inſtituimus ) & fuſius tractabuntur. Nunc eò, vnde diſceſsimus, reuertamur.*

cap. 3. *Statuimus virtutem ex bonis actionibus comparari: nunc quæ ſint iſtæ bonæ actiones, eſt declarandum. Qua in re iniuſtus ſit, qui rudiore quadam, & pinguiore oratione non ſit contentus; accuratam, & ſubtilem poſtulet, cum res ſubiecta non poſtulet, ac potius non ferat. Subiectæ enim nobis in præſentia ſunt res humanæ ſuapte natura mutabiles, atque incertos exitus habentes. Hac igitur quaſi conditione lectoribus poſita, vt populari, & probabili orationis genere contenti ſint, ad noſtrum penſum nos reuocemus. Virtutes morales ferè ab eo, quod nimium eſt, expelli, & corrumpi ſolent; quod etiam in viribus corporis, & valetudine vſu venit. Claris enim, & perſpicuis exemplis, vt inquit Ariſtoteles, ad ea, quæ in obſcuro latent, in lucem proferenda, declarandaque, tanquam teſtibus, vtendum eſt. Nam & à multis, immoderatisq; exercitationibus, & à paucis, ac remiſsioribus minuuntur, franguntur q; vires. Item poculenta, & eſculenta æque copioſius, ac parcius præbita valetudinem offendunt. Eodem modo in his virtutibus, quas morales dicimus, ſe res habet. Fugere omnia, & extimeſcere, et ſeu mobilibus, vt inquit ille, veris inhorruit Aduentus folijs, ſeu*

virides

*virides rubum Dimouere lacertæ, corde, et genibus tremere, ſimiliter autem ad omnia pericula præcipitem ruere Fortitudini mirabiliter officit. Item ſi omnes voluptates, præſertim quæ ad guſtum, tactumq́ pertinent, amplexeris, illarumq́ nullum modum ſtatuas, aut ſi tanquã truncus, & ſtipes quidem eſſes, ab omnibus abhorreas, omnes reſpuas, ac ne ſentias quidem, nullo pacto temperantiæ nomine eris laudãdus. Omnino, vt moderatæ exercitationes, moderatus cibus, & potus bonam valetudinem efficiunt, augent, tuentur; Ita mediocritas quædam in actionibus, virtutes parit, & conſeruat. Fortitudinem conſequemur, ſi quando, & quatenus, & quomodo oportet, fidamus, atq́, ſi quando, & quatenus, & quomodo oportet, metuamus. Quod de vna virtute dictum transferatur etiam ad reliquas. Non debent autem, vt etiam poſſint, planè funditus tolli affectiones ex animis noſtris. Exacuunt enim tanquàm cotes virtutem, vt ira fortitudinem, beneuolentia erga homines iuſtitiam, & æquitatem. Sed nec poſſunt. Nam non ſequitur; minuuntur affectiones: ergo, cum non ſint infinitæ, penitus aliquandò tollentur; quemadmodum etiam non ſequitur illud: Poteſt aquæ frigus minui, & calor ignis: ergo aliquandò prorſus tollentur. Dum enim aqua, aut ignis erit, ab illa prorſus frigus, ab hoc calor remoue-*

*ri non poteſt. Ita donec ſenſus in homine erit (erit autem quandiu in terris manebit) poteſt quidem illius propenſio quaſi frenari, & cohiberi, funditus extirpari non poteſt. Licet clament, quantum velint Stoici; ego tamen de hac ſententia, quam etiam Theologis noſtris probari video, nõ decedam. Cæterũ de hac mediocritate paulò poſt diligentius agemus.*

cap.4. *Diximus, ſi in affectionibus, & humanis actionibus modus quidam adhibeatur, eo quod nimium, & eo quod parum eſt, euitato, paulatim virtutis habitum comparari. Comparato autem habitu facilius deinde in affectionibus, & actionibus adhiberi modum; quemadmodum etiam multis perferendis laboribus robur comparatur; quo comparato, haud paulò facilius, quàm antea ac libentius multi, grauesq; labores ſuſtinentur. Quamobrem hoc ferè maximum eſt contracti habitus indicium, ſi libenter, atque cum voluptate functiones illi habitui congruentes obeantur. Ex his, niſi fallor, proximum virtutis moralis genus eſt inuentum. Nam cum in appetitu, vt ſuperiore libro declarauimus, ſit ipſa facultas, qua à re moleſta in fugam conijci, à iucunda ad proſequendum incitari poſſumus, ſit etiam affectio, id eſt præſens iam cõmmotio, & concitatio; reperiatur etiam neſcio quid à more, & cõſuetudine impreſſum in ipſa facultate, quo in eandem affectionem, vel le-*

*uiſſima oblata occaſione ſemper, atque expeditè pro rumpat; hoc autem habitum dicimus; profectò Virtus habitus quidam erit. Nam neq; ex facultate, & propenſione, quam ad iraſcendum habemus, aut ad lætandum, neq; ex præſente ira, & lætitia aut laudamur, aut Vituperamur (nõ enim quòd ob facinus aliquod patratũ iraſcamur, aut patriæ bonis lætemur, quiſquã nobis Vitio Vertet, ſed tantũ quòd aut uehemẽtiores, aut remiſſiores ſimus) at ex Virtutibus laudamur: ergo Virtutes neq; in facultatũ neq; ĩ affectionũ numero erant reponẽdæ. Præterea facultates, et affectiones; nobis inſunt à natura, Vt ſuperius diximus: Virtutes, et uitia nõ inſũt à natura; ergo aut facultates, aut affectiones eſſe profectò non poſſunt. Reſtat, Vt ſint habitus. Quare habitus tanquã Virtutis genus à nobis ſtatuetur. Verum non ſatis eſt ita dicere, Virtutem habitum eſſe: quinimo in eo maximè elaborandũ eſt, Vt qualis ſit habitus, intelligamus.*

cap.v. *Virtus igitur, ſi Vniuersè hoc nomen accipiatur, eſt huiuſmodi, Vt benè affectum reddat id, cuius eſt Virtus, & ad benè ſuo munere fungendum aptum, atque idoneum; quemadmodum Virtutem oculi dicimus Vim illam, qua oculus benè habet, benèque ſuũ cernendi officium præſtat. Ergo ſua etiam Virtute appetitus hoc adipiſcetur, Vt optimè ſe ha-*

*beat ſitque ad ſuum munus explendum aptiſſimus. Optimè autem tunc ſe habere cenſendus eſt, quando rationi rectæ obtemperat; quemadmodum etiam corpus in optimo ſuæ naturæ ſtatu collocatur, quando animæ imperata promptiſſimè facit. Obtemperabit autem rectæ rationi appetitus, cum non vehemẽtes nimiũ, aut remiſſas habebit affectiones, ſed quẽadmodum ſuperius diximus, moderatas. Quare mediocritas hæc affectionum veriſſima erit, & maxima facultatis appetentis virtus. Id etiam in artibus cernitur, vt ea opera, quæ ſcitè, et affabrè facta eſſe ſignificare volumus, hac potiſſimum oratione commendare ſoleamus, nihil illis neq; detrahi, neque addi poſſe; quaſi nimium, & parum omnem artis perfectionem labefactet, conſeruet autem mediocritas. Quamuis autem affectiones ſuapte natura quantitatis expertes, et indiuiduæ ſint; tamen propenſio ipſa facultatis appetentis habet gradus quoſdam, vt magis contenta, aut remiſſior eſſe poſſit, & vehementiores, aut remiſſiores parere affectiones; quemadmodum propenſionem ad inferiorem locum, & maiorem, vt in plumbo, & minorem, vt in ligno, ponere ſolemus. Idem de calore, frigore, & multis alijs qualitatibus dici poteſt. Sic igitur propenſio appetitus, & motio ipſa, ideſt, affectio, & vehementior eſſe ſtatuitur, & remiſſior, et moderata; qualis iam*

*illa eſt, quæ regitur à virtute, tāquàm à forma quadam à ratione impreſſa. Verum hæc mediocritas non eſt ita accipienda, vt, prout viridis color ex candidi, & nigri miſtione oritur, ita virtus ex vitijs, quæ extrema ſunt, compoſita intelligatur, Id enim planè eſſet abſurdum; ſed, prout tepidum inter ſummè frigidum, & ſummè calidum eſſe medium dicimus; quoniam ab vno diſcedit, ad alterum non peruenit, ſed medio quodam conſiſtit loco; ita ſe res habet in virtute, vt ab vno extremo recedat, nec tamen ad alterum accedat. Neque etiam ita virtutem eſſe mediocritatem ponimus, vt ſit moderata quædam affectio (iam enim non inter affectiones, ſed inter habitus eſſe connumerandam oſtendimus) ſed potius ſit forma quædam, vt diximus, à ratione per conſuetudinem in appetitu impreſſa, ex qua moderatæ ſemper, & rationi obedientes affectiones emergant. Ex quo nihil mirum ſi virtutem conſequi difficillimum ſit, cum in medio conſiſtat, à quo medio multis modis poſſumus aberrare; quemadmodum ſcopum ferimus difficillimè; facillimè autem, vel ſupra, vel infra, vel dextrorſum, vel ſiniſtrorſum. Verùm hanc virtutis conſequendæ difficultatem, quæ neceſſariò ob virtutis ipſius naturam contingit, eo bono, vt Plato dicebat, natura compenſat; quòd qui vnam adipiſcitur virtutem, omnes*

*poſsidet, quod in vitijs non euenit, vt ſuo loco apparebit. Eſt igitur virtus ex moderatis affectionibus parta, cuſtos etiam huius mediocritatis planè aureæ; ſimul autem, cum ſit perfectio, & abſolutio facultatis appetentis, erit etiam finis, extremum, vltimum, quò natura facultatis appetentis peruenire poteſt. Illud autem animaduertatur, non exquiſitum quendam, & certum locum à nobis virtuti aſsignari, in quo tanquã in medio conſiſtat, quemadmodum dicimus ſex inter duo, & decem interijci intermedia; (id enim eſſet planè ridiculum) ſed illud dicemus eſſe debitum virtuti medium, quod ex rationis rectæ præſcripto pendet. Non enim æquè aduerſus eos iraſci debemus, qui nobis, atq; eos, qui Dijs immortalibus inferunt iniuriam. Hæc igitur affectionum mediocritas, non ex natura ſua, ſed ex eo, quod nos recta ratio agere iubet, ſpectanda eſt. Quare hæc ſit virtutis moralis definitio, habitus à recta ratione per cõſuetudinem impreſſus in appetitu, qui quidem ipſius appetitus eſt finis, et perfectio, conſiſtit autem in ea mediocritate, quæ ad nos comparatur, quæquè ratione, & vt prudens definiret, eſt definita; ita vt capto conſilio ſtatim rationi pareat appetitus. Hanc definitionem cuique virtuti morali conuenire oſtendemus. Interim illud notemus, ex extremis vnum agis inconuenire cum medio, quàm alterum, vt au-*

*daciam magis cum fortitudine, quàm timiditatem: animi potius remiſsionem cum mãſuetudine, quàm excandeſcentiam. Id autem illa imprimis de cauſa accidit, quoniam in affectionibus illis, quæ ſuapte natura vehementes ſunt, vt libido, & ira; vis virtutis in cohibendo, ac frenando potiſsimum cernitur; idcircoq́ magis illi extremo quod parum eſt, quàm illi, quod nimium, adhæret; contrà autem in affectionibus illis, quæ ſuapte natura ſunt remiſsiores, vt confidentia magno impendente periculo, augere, atque incitare illas virtutis opus eſt; propterea ad illud extremum, quod nimium eſt, propius accedit, ab altero autem longius recedit. Hinc facilè apparet, diſtet ne magis ab vno extremo alterum extremũ, an medium. Nam certè ſi extremum, quà extremum conſideres, ab altero extremo longius diſtare, quàm à medio fateberis; Medium enim inter illa interiectum eſt. At ſi ſpectes virtutem nihil aliud eſſe, quàm moderationem quandam, extrema autem ambo in hoc conuenire, quòd ſunt immoderata, profectò vni extremo virtutem magis aduerſari, quàm alterum extremum non dubitabis. Ita vni extremo duæ res diuerſa tamen ratione opponũtur; quà extremum eſt, alterum extremum ſine dubio opponitur; quà ĩmoderatum, & inordinatũ; ipſa uirtus, quæ nihil aliud eſt, quam moderatio, & ordo.*

*mana ratione comprehendi poteſt, habitu nõ egere, ſed id, quod ſibi à mente proponitur, ſequi; verum ſi bonum aliquod vim naturæ humanæ excedat, qualis Deus eſt; vt illud voluntas amplexetur, atque ardenter amet, quantum debet, egere habitu; qui ipſam quodammodò voluntatem extollat: huiuſmodi autem charitas eſt, quam fortaſſe magis latinè pietatem diceremus; ſimiliter ſi non proprium bonum, ſed alterius ſit procurandum, vt in iuſtitia, & liberalitate vſu venit, in his etiam voluntatem eſſe quibuſdam habitibus confirmandam: iuſtitia, inquam, & liberalitate. Nos autem ſuperiore libro diximus, voluntatem nihil aliud eſſe, quàm inductionem, et propenſionem mentis in id, quod ſibi bonum eſſe cognouit; ex quo niſi mens fallatur, ipſa falletur nunquàm: idcirco mens ipſa eſt bono quodam habitu confirmanda, non voluntas. Procurare autem alterius quoq́, non modò noſtrum bonum; nullo modo fines egreditur noſtræ naturæ. Præclarè enim Chremes, cum Menedemum conſilio iuuare vellet, Homo, inquit, ſum: humani à me nihil alienum puto. Homo enim à natura factus ciuilis, & ſociabilis, nequè ſibi ſolum natus, ſed vniuerſæ penè hominum ſocietati, illam dum tuetur; propriam perfectionẽ, propriumquè bonum tuetur. Ergo cum mens, niſi falſa aliqua ratione decipiatur, aliorum bonum, ſuum*

*eſſe bonum cognoſcat, voluntas etiam in illud per ſe, ſuopteq; nutu ſine ullo habitu propendebit. Ita liberalitas, & iuſtitia ſuperuacui, atq; inutiles eſſent habitus, ſi in voluntate conſiſterent. Nos autem inferius illis etiam affectiones moderandas ſubijci oſtẽdemus. De charitate tantũ fortaſſe nõ male ſentiunt, vt ſuo loco conſtabit. Perſpicuè igitur, palàm, euidenter in hac re Latini lapſi ſunt. Omitto alios errores, ne in re ſatis clara nimis lõga ponatur oratio. Græci autem conniuentibus propè oculis hanc totam rem prætererunt. Quare bona cum hæc noſtra legẽtium venia quoddã inuentum meum proponere nõ verebor; quod ſi quis nõ probabit, melius aliquid reperiat, & mihi etiam communicet, vt ego cõmunico mea. Cõſideranti igitur mihi, quot eſſent virtutis huius partes, illud occurrebat, alias elucere potiſſimum in aliqua certa affectione moderanda, vt temperantiam in libidine, fortitudinem in dolore; alias, & ſi affectiones ſibi moderãdas proponant; tamen in externis quibuſdã actionibus maximè extare; quẽadmodum liberalitas auaritiæ moderatur, et alteri affectioni, ob quã prodigi euadimus; vt poſtea videbimus, verũ in re externa maximè cernitur, in donandis ſcilicet pecunijs; ſimiliter iuſtitia amorẽ, odiũ, miſericordiã, inuidiã frænat; cæterũ in tribuẽdo vnicuiq; ſuũ apparet Ex quo cũ fortitudinis, aut tẽperãtiæ no*

mine quępiam laudamus; affectionũ mentionẽ facimus potiſsimũ, illũ dolori, ac metui, hunc libidini dicẽtes restitiſſe: at cum liberalitate, aut iuſtitia præditũ eſſe aliquẽ probare volumus, illum dicimus cui oportet, et quando, & quantum, pecuniam donare; hunc nemini iniuriam inferre, ſuum vnicuique tribuere. Sit igitur hæc prima (non enim inuenio meliorem) virtutum moralium partitio, vt alias in affectionibus potiſsimũ moderãdis verſari ſtatuamus, alias autẽ ex quibuſdam potius externis factis ſpectari.

cap.7. Rurſus autem in priore membro diuidendo aliæ occurrunt difficultates; quæ latinos autores legenti apparebunt. Equidem exiſtimo, ſi rei natura ſpectanda fuiſſet, eundem ordinem fuiſſe in virtutibus recẽſendis ſeruandum, quẽ nos in affectionibus numerãdis ſuperiore libro ſeruauimus, vt cuiq; affectioni propria, & ſua responderet virtus. Verùm multa virtutum nomina fingere coacti fuiſſemus; & ad vſum ineptior, atq; inutilior fuiſſet oratio. Quare ſatius viſum eſt Ariſtoteli, quẽ nos ſequimur, quæ nam eſsẽt affectiones illæ, quæ in animis noſtris plurimũ vigerent, attendere, illarũq; proprias exponere virtutes & quæ notiſsimæ, atque in ore omniũ ſunt. Primæ autem affectiones, quæ nobis inſunt, quemadmodum ſecundo libro de vera, & falſa voluptate diligenter explicauimus, appellari ſolent voluptas, et dolor.

*Illa quidem noſtræ naturæ amiciſsima eſt; quod vel inde patere poteſt, quòd ſolo dulci, vt Galenus oſtendit, nutrimur; & paulò inutiliorem cibum, dummodò ſuauior eſſet, ægrotis eſſe præbendum Hippocrates cenſebat. Quòd ſi aliqua guſtatu dulcia vim aliquam veneni ſecum incluſam gerunt; ex duabus partibus illa eſſe compoſita Theophraſtus dicebat, quarum vna naturæ noſtræ ſit amica, altera aduerſetur. Ergo, cum voluptas ſit noſtræ naturæ maximè congruens, & conſentanea, mirandum non eſt, ſi ad eam maxime propendeamus; & vehemens quædam erga illam affectio nobis innaſcatur. Quãobrem grauiſsimum fuit, & veriſsimum illud Ariſtotelis præceptum, vt in omni negotio, quicquid iucundum eſt, ipſamq́; adeo voluptatem ſummo ſtudio vitaremus, itaquè erga illam eſſemus animati; quemadmodum Senes illi Troiani erga Helenam, quam cum multis primum laudibus affeciſſent, deinde ſubijciebant, attamen & quãuis ſit talis, claſſe redito. Sumus igitur mirabiliter appetentes voluptatis; quare hæc propenſio regi, & moderari à temperantia debebit. Non tàm autem ad voluptatem propendemus, quàm abhorremus à dolore, tanquam à capitali quodam hoſte; ex quo multi à capiendis voluptatibus abſtinentes, dolori tamen reſiſtere nõ potuerunt, ac de gradu deiecti ſunt. Hercules ipſe,*

cum morte ad immortalitatem perueniret, dolore fractus miſerabiles voces, vt eſt apud Sophoclem in Trachinijs edebat; vt de omni planè dignitatis ſede dimoueri videretur. Maxima igitur virtus habenda fortitudo eſt, quæ dolori moderatur. Præter dolorem, & voluptatem, aliæ duæ ſunt in nobis maxime vehementes affectiones, auiditas honoris, & ira. Preclarè enim de honoris auiditate eleganti plane iudicio vir Cornelius Tacitus dicebat, poſtremū hunc morbum eſſe, qui à ſapiente decedat. Nam, vt inquit ille, Dedecus ambitio pulchrum eſt, populique fauentis laudatum ſtudio, atq; omnino honos ipſe, & cultus Dijs Immortalibus nos ſimiles reddere videtur. Ambitio igitur ex voluptate oritur, quam ex honore capimus, ſicuti ira ex dolore, quem contempti, ac ludibrio habiti ſentimus. Hic vero huiuſmodi eſt, vt in corpore etiam euidentia ſigna interioris perturbationis appareant. Color, vox, oculi rabiem quandam ſpirant. Aiacem quidem, vt alios omittam, quem, & quantum virum? ira ad furorem, mortemquè perduxit. Expedit igitur, vt iram cohibere poſſimus, lenitatem, & manſuetudinem (quāuis hoc verbum nimiam ferè præ ſe fert animi remiſſionem, & infractionem; ſed caremus commodiore) vt autem coerceamus ambitionem, moderatum honoris deſiderium (hæc etiam virtus

proprio ferè caret nomine) vel animi magnitudinē adhibere. Hæ igitur principes virtutes, quæ affectionibus perſpicuè moderentur, à nobis ſtatui debebūt, Temperantia, Fortitudo, moderatum honoris deſiderium (à qua virtute animi magnitudinē ſpecie non differre conſtabit) & manſuetudo. De his igitur nõnulla ſigillatī dicamus, ad illas deinde, quæ in actionibus cernuntur, explicandas aggreſſuri. Breuiſſimi autem erimus, ne à re propoſita longius diſcedamus.

cap.8. Temperantiam diximus eſſe mediocritatē, quæ in voluptatibus verſatur; de ijs autem potiſſimū voluptatibus intelligi volumus, quæ guſtu, tactuq; capiuntur; nam eos, qui fabellis, ſpectaculis, cantilenis delectantur, etiam ſi nimij in eo ſint, non tamen ferè ſolemus intemperantes appellare; niſi ob ſimilitudinem quandā. Propriè autem illos dicimus intemperātes, qui vehementius, quā par ſit, illas, quæ ad guſtum, tactumq; pertinent, & vt clarius loquar, obſcænas, ac venereas voluptates amplectuntur. Has igitur voluptates omninò repudiare ſtuporis cuiuſdā eſſet, quē perrarò in hominibus reperias; ardenter autem perſequi intēperātiæ, ad quā quidē ferè omnes procliues ſumus. In medio tēperantia cōſiſtit, quæ moderatus quidā amor, rationiq; rectæ obediēs, et moderatū odiū harū voluptatū ponitur, ita vt hæc illius extre

*ma cōſtituantur ĩmoderatus amor, id eſt intemperā tia, et immoderatum odium, id eſt ſtupor, ac vacuitas quædam ſenſus. Dolor autem nō pertinet ad temperantiam, niſi quatenus temperans carere ſe voluptatibus nō moleſtè fert, quod intemperanti eſt moleſtiſſimum: ita vt ob voluptatem aliquando diſcrucietur. Propriè autem dolor pertinet ad Fortitudinem, quamuis in hoc me ab omnibus tùm græcis, tùm latinis diſſentire ſciam; verùm ab Ariſtotele, niſi fallor, non diſſentio, quod ex verbis illis, quæ in tertio libro de moribus capite de Fortitudine leguntur, intelligi poteſt* Ex eo igitur fortes appellantur, vt ſupra à nobis dictum eſt, quòd res moleſtas, atque aſperas fortiter ferant: Itaq; doloris, & moleſtiæ plena res eſt fortitudo, eoque iure laudatur: Difficilius ení eſt res moleſtas toleranter pati, quàm ſe à iucundis abſtinere. *Præterea de temperantia tractans dicebat alio pacto ſubijci dolorem fortitudini, alio pacto temperantiæ. Nam fortitudo dolori, qui pungit, & fodicat animum, reſiſtit; temperantia autem illud efficit, vt voluptatibus carere non nimis moleſtè feramus. Hac ratione fortitudini etiam voluptas ſubijcietur; præſtabit enim, ne lætitia nimium efferamur, ex eo, quòd nullis doloribus, & cruciatibus torqueamur. Duobus*

*igitur modis in rebus iucundis temperantia cernitur, & ea, quæ abſunt, non nimium expetendo, & abijs quæ in poteſtate ſunt, quantum ratio poſtulat, abſtinendo. Totidem modis in rebus moleſtis fortitudo verſabitur, & venientibus, atque impendentibus malis obſtando, & illud quod iam adeſt, tolerando, ac perferendo; quãquam hæc ſecunda huius virtutis pars a M. Tullio magis propriè patientia appellari ſolet, quam tamen ad fortitudinem ab Ariſtotele referri ex illis verbis, quæ ex tertio lib. attulimus, patere poteſt. Præcipuum autem fortitudinis munus eſt morti, qua nihil eſt horribilius, non propter pœnas à legibus fortaſſe conſtitutas, non propter præmia, & honores, non experientia, & quadam ſcientia fretum, non ira concitatum, non ſpe, ac periculi ignoratione deceptum, ſed propter vnam honeſtatem libenter ſe exponere. Idcirco autem hoc præcipuum fortitudinis officium ſtatuimus, quoniam nullum præſens malum tantum nobis dolorem inferre poteſt, quantum mors impendens; cum hæc tanquàm noſtræ naturæ corruptela nobis ſit maximè aduerſaria. Videturquè omninò metus quàm præſens malum nos magis perturbare, atque concutere, quod multis exemplis Tigranes apud Xenophontem cum Cyro diſceptans probabat. Videmus enim afflictiores, ac deſperatiores, qui ne in exilium mittantur,*

*tur, aut in ſeruitutem abducātur, timent, quàm qui iam ſunt exules, ac ſeruitutē vel iniquiſſimam ſeruiunt. Dicemus igitur fortitudinem, perfectiſsimum ipſius munus ſpectantes, eſſe animi habitum, qui efficit, vt impēdente morte neque multum cōfidamus, (quamuis hoc natura ipſa ferè per ſe præſtat) & mediocriter extimeſcamus, vt metus rationi non officiat, ac tenebras offundat; imò alacriter, ſi ita honeſtas poſtulet, mortem oppetamus. Extrema autem fortitudinis ſunt ex vna quidem parte vacuitas metus, & inconſiderata quædam confidentia, & audacia, qui animi habitus aut ſtuporem quendā, aut inſaniam indicant; ex altera autem parte, ignauia, ac deſperatio; qualis habitus illorum eſt, qui vt paupertatem, vel amorem, vel ſeruitutem fugiant, ſibi ipſi mortem conſciſcunt, quòd res ærumnoſas, ac moleſtas ſe perpeti poſſe diffidant. Hæc de fortitudine.*

cap.9. *Tertiam in hoc ordine virtutem numerabamus, moderatum honoris deſiderium. Quemadmodum enim peculiari libro oſtendimus, multæ cauſæ ſunt, & naturæ congruentes, quamobrem honos ſit expetendus; & à ratione ortum ducit, quæ excellentem quādam præſtantiam appetit; ingeneratur autem, vt ſuperiore libro declarauimus, in appetitu. Quare apud eundem Xenophontem Simonides hoc potiſsimum inquit inter homines, et bruta animantia in-*

tereſſe: quòd homo ſit honoris appetens, pecudes verò non ſint. Quare ſi nullo teneamur honoris deſiderio, à pecudibus nõ multum diſtamus. Contra nimia honoris auiditas ita nos aliquando à recta ratione auerſos agit, vt omnia humana, ac diuina permiſceamus. Quare inter hæc duo extrema, quorũ primum honoris contemptio, & deſpicientia, ſecũdum verò ambitio dicitur, erit interiecta virtus, quam moderatum honoris deſiderium, ac ſtudium appellauimus: quæ efficiet vt, quantum recta ratio poſtulat, honores appetamus, atque oblatis mediocriter lætemur, inde nullo pacto, vnde non oportet, aucupantes. Fortaſſe hæc virtus ſatis aptè à nobis modeſtia appellaretur. Ab hac non forma, ſed gradu quodam differt virtus illa, quam animi magnitudinem dicimus. Nam & ille, qui magnanimus eſt, precipuè in expetendis honoribus cernitur. Verùm cum is eſſe iam intelligatur, qui excellenti, ſingulariq; virtute ſit præditus, magniſq;, et illuſtribus beneficijs Remp. affecerit, nõ in quibusuis honoribus aucupandis, erit occupatus; ſed magnis tantum, & ijs, qui à viris bonis deferentur, modice delectabitur; cum videat maius ſibi præmium ab hominibus tribui nullum poſſe; hoc tamen affectus animo, vt ſi ob improborum inuidiam nullos honores in Republ. adipiſcatur, ac pro benefactis ignominiam accipiat;

*ipſe tamen ſe non frangat, & conſcientia benè actæ vitæ, eximiæque virtutis ſuæ ſatis ſit aduerſus omnem ſeuientis fortunæ impetum munitus. Quare ſi apud hunc ne ipſe quidem honos maximum pondus habet, profectò nec principatus, nec diuitiæ habebunt; cum iſta propter honorem maximè ſint optabilia. Ergo, & ſecundam, & aduerſam fortunam belliſſimè feret. Verùm magnanimi vim omnem, & naturam diligentius perſcribere huius temporis non eſt. Huius autem præclaræ virtutis extrema videntur eſſe ſuperbia in extollendis animis, cùm omnes præ nobis contemnimus, & magnos nobis deberi honores arbitramur, cum debeatur nullus, aut exiguus; & deſpicientia in contemnendis honoribus, vel potius demiſſio quædam, atque infractio animi; vt honores cum mereatur, ijs tamen ſe eſſe indignum exiſtimet. Supereſt virtus illa, quam lenitatem, & manſuetudinem nominari poſſe dicebamus. Ea inter iracundiam, ſiue excandeſcentiam malis, & lentitudinem, ſi hoc vocabulum ſatis placet, tanquàm extrema collocatur. Qui enim iracundus eſt, & quibus, & propter quas cauſas iraſci non debet, & vehementius, & citius, quā debet, iraſcitur. Lentus autē homo, quaſi ſenſu careat, ita iniuriam quantumuis inſignem*

*ſibi inferri permittit, nec ulli quo tempore, & quo loco oportebat, ſuccenſet, quamobrem vnam facillimè ferendo iniuriam, aliam inuitat, quod mancipij, non ingenui hominis eſt. Manſuetus autem, ac lenis ab omni animi tumultu liber, ut ratio, atque honeſtas præcipiet, & quantum patientur leges, ita, & his de cauſis, et tandiu iraſcetur, ſemper tamen ad ignoſcendas iniurias, quàm ad ulciſcendas propenſior.*

cap.10 *Expoſitis virtutibus illis, quæ affectionibus potiſſimum moderandis cernebãtur, ſequitur, vt illas etiã exponamus quas ex rebus externis quodammodo ſpectari, & in communione eſſe poſitas diximus. Has autem diſtribuendi ratio (cũ illæ, quæ ab alijs afferuntur, nullo pacto mihi probantur) hæc teneatur, ut aliæ ſint eiuſmodi, ut illis ſine flagitio, & ſcelere carere non poſſimus, qualis eſt iuſtitia, aliæ autem potius in euitanda turpitudine cõſiſtant, quales ſunt liberalitas, & conſtans veritatis ſtudium, & alij quidam habitus, de quibus poſtea agemus. Nemo enim ſordidum, aut arrogantem ſceleſtos nominabit, ſed in illis turpitudinem tantum quandam notabit. Quiſquis autem iniuſtè agit, ſceleſtè agit. Agamus igitur primum de iuſtitia, tanquã de maxima, maximèquè neceſſaria virtute deinde de reliquis. Cæterum animaduertendum eſt, aliam eſſe*

*iuſtitiam, vt ita dixerim, generalem, quæ omne alias virtutes continet, aliam autem, quæ certam quandam ſibi ſubiectam habet materiem, & ab alijs virtutibus diſtinctam. Illa, quam generalem dicimus, in eo conſiſtit, vt pareatur legibus; de qua re præclarè Plato in Critone. Leges autem ſi à bonis, prudentibusq; uiris latæ ſint, & viri fortis muneribus fungi imperant, vt non deſerere locum, atq; ordinem in acie, neque arma abijcere; & temperantis, vt virginem non vitiare, matronæ ſtuprum nõ inferre; & lenis, ac manſueti, vt neminem verberare, neque cuiquàm maledicere; itemquè in cæteris virtutibus, ac vitijs partim iubendo, partim vetando. Ergo qui legibus paret, omnes virtutes colet; quare cum iuſtitia illa generalis nihil aliud ſit, quã obſeruantia legum, profectò tota ipſa, atque integra virtus cenſeri poteſt, hac tantum ratione differens, quòd cum virtutem dicimus, ipſius animi perfectionem ſpectamus, atque optimum quendam habitũ; at cum dicimus iuſtitiam, de aliorum etiam bono cogitamus, quod ab hac iuſtitia procuratur: Tuetur enĩ ciuilem ſocietatem, cum leges tuetur, in quibus rerũ publicarum ſalus eſt poſita. Verùm hac generali, communique iuſtitia in præſenti omiſſa, alia virtus eſt integræ virtutis pars, quam proprie iuſtitiam dicimus, & ipſa aliorum bonum ſpectans, & illis, qui*

*bus cum viuit, conſulens. Ea autem vel in pecunia cernitur, vel in honore, vel alijs in rebus, quæ ijs, qui eiuſdem Reipub. communione cõiuncti ſunt, videntur eſſe communes, et in quibus ſecunda, vel aduerſa fortuna locum habet. Huius virtutis vim intelliges, ſi ipſius nomen conſideres. Dicitur enim iuſtitia quaſi ius tenens, & ſeruans. Ius autem æqualitas quædam eſt, vt ex communi quodam hominum ſermone perſpicitur. Iure enim illum plecti dicimus, qui pœnam facinori ſuo parem accæpit; iure etiam illum æqueſtri ſtatua eſſe donatum, cuius virtuti hic honos æquari quodammodò videtur. Verſatur autem hoc ius tum in diſtributione rerum, quas diximus, tum in emendatione, ſi quid non rectè inter homines contractum eſt. Contractuum autem (vtemur hoc verbo, quando commodiore non licet) alij ſponte, ac voluntate noſtra, alij nobis inuitis fiunt. Sponte fiunt exempli cauſa hi, venditio, emptio, mutuum, fideiuſſio, commodatum, depoſitum, locatio, & conductio. Dicuntur verò ſponte fieri, quia horum contractuũ principium noſtra ſponte inſtituitur. Eorum autem, qui nobis inuitis fiunt, alij ſunt clandeſtini, vt furtum, adulterium, veneficium, ſerui alieni decæptio, aut corruptio, cædes dolo commiſſa, falſum teſtimonium; alij ſunt violenti, vt verbera vincula,*

*mors, rapina, debilitatio corporis, maledicentia, contumelia. Nam etſi qui iniuriam facit, ſponte facit, cæteroqui non eſſet iniuria, tamen qui patitur, inuitus omninò patitur; idcircoquè nobis inuitis fieri iſti contractus dicuntur. Non eſt autem prorſus eadem iuris illius, quod in diſtributione cernitur, & illius, quod in emendatione, ratio, et vt ita dixerim, proportio. Ius enim quod in diſtributione verſatur, dignitatem, & merita perſonarum ſpectat, vt quanto benefacta Achillis ſunt Aiacis benefactis maiora, tanto Achilli, quàm Aiaci maiora, atque ampliora premia tribuantur. Nam in hoc iure æqualitas eſt non ſeruare æqualitatem, niſi perſonæ, quibus diſtribuitur aliquid, ſint virtute, & meritis pares. In hoc enim æqualitas huius iuris conſiſtit, vt hominis merito, quàm maximè fieri poteſt, præmium reſpondeat, ac pàr ſit. Ius autem, quod in contractibus verſatur, alio pacto tuetur æqualitatem. Non enim in eo dignitas perſonarum expenditur, nec refert vtrum vir bonus malum fraudarit, an malus bonum, neque vtrum vir bonus, an malus adulterium fecerit, ſed tantum iniuriæ magnitudo conſideratur, quam æquali dano, & multa ius eſt compenſari. Dicitur autem damnum pati, non modò, qui pecunia, qui bonis fraudatus eſt; ſed etiam qui percutitur;*

*cuius vxori ſtuprum infertur: ſimiliter lucrum facere ille etiam dicitur (non enim ſemper proprijs nominibus abundamus) qui percutit, qui ſtuprum infert, quòd pulſando quaſi domini partes ſibi vendicare videatur, ſtuprum inferendo amorem vxoris erga virum ſuum, qui quidem amor eſt ex rebus maximè expetendus, ab illo in ſe transferat: quo nomine adulterium eſſe viris odioſiſsimum Hieron apud Xenophontem aſſerebat. Ius igitur in hoc conſiſtet, vt ab eo, qui quæſtum fecit, aliquid auferendo, damnum alterius reſarciamus. A iure autem diſcedimus in diſtribuendo quidem, ſi æqualibus, et pari virtute præditis non æqualia, aut non pari virtute hominibus æqualia premia tribuamus, & omninò ſi aut parum, aut nimium tribuamus, quæ extrema illius partis iuſtitiæ erunt, quæ in diſtribuendo cernitur; in emendando autem ſi maior, aut ſi minor multa ſit, quàm lucrum factum poſtulet; quæ item erunt extrema alterius partis iuſtitiæ. Intelligamus autem iuſtum eſſe illum, qui non modò inter alios, ſed inter ſe, & alios, recta proportione diſtribuat, quæ ſunt diſtribuenda, iuſquè ſeruet & ipſe cum alijs contrahens, & inter contrahentes iudex, aut arbiter electus. Iuſtitia igitur duplici ratione in mediocritate conſiſtit, tùm quia odio, amori, iræ, miſericordiæ, atque alijs affectionibus ita moderatur,*

vt

*ut ab illis auferri hominem non ſinat ( ab huiuſmodi enim ferè perturbationibus ducti à iure diſcedimus ) tùm quòd in ipſo iure æqualitas quædam exiſtit, inter nimium, & parum interiecta intermedia. Extrema autem ambo, ideſt nimium, & parum, unico iniuſtitiæ nomine continentur. Nihil autem prohibet in eadem re nõ modò iniuſtitiæ, ſed etiam alterius uitij crimine nos eſſe accuſandos: quemadmodum ſtuprum matronæ inferentes, & intemperantes, & iniuſti ſumus. Diſtinguuntur autem ratione quadam hæc uitia. Nam ſi ſpectes, ut libido non coercetur, intemperantiam dices eſſe: ſin, ut nimium nobis arrogamus, & alteri damnum inferimus, iniuſtitiam. Ita etiã perſæpè auaritia, & alia uitia cum iniuſtitia cõfunduntur, ſed cogitatione ſecerni queunt. Hoc igitur pacto ſit adũbrata iuſtitia. Aequitas autem nihil aliud eſt, quã iuris legitimi correctio, & emendatio. Cuius rei illud eſt in cauſa, quòd lex omnis generalis eſt, idcircoque, quod plurimum ſolet euenire, tanquam perpetuum, & generale ſumere cogitur: quanuis in hoc ſe peccare legiſlator intelligat: nec propterea minus recta lex eſt. Non enim culpa in lege eſt, neque in eo, qui legem tulit, ſed in natura rerum. Res enim, quæ ſub actionem cadunt, & mutabiles, & infinitæ quodammodo ſunt. Cum igitur lege generaliter*

*loquuta, aliquid euenit poſtea præter genus illud vniuerſum; tunc par eſt, vbi pretermiſit aliquid lator legis, cum illud præſcire non poſſet, id quod omiſſum eſt, ſupplere, & corrigere neceſſarium legis peccatum: quemadmodum et lator legis, ſi adeſſet, corrigeret. Hoc autem æquitatis eſt; quare æquitas erit iuſtitia non tamen ius legitimum, & ſcriptum adamuſſim ſeruans, ſed potius non ſcriptum, quod æquum bonum ſolemus appellare.*

Cap. xi. *Iuſtitiam diximus maximam eſſe, præſtantiſſimamq́ virtutem, cum ea ſine ſcelere carere non poſſumus. Omnes enim iniuſti ſceleſti ſunt. Sunt autem aliæ quædam virtutes, quibus oppoſita vitia nō ſceleris, ſed turpitudinis cuiusdam notam inurunt: inter quas principem locum obtinet liberalitas, quæ mediocritas quædam eſt in vſu pecuniarum: nam diuitiæ, cum in bonis vtilibus numerētur, ad vſum ſemper ſunt conferendæ. Vſus autem pecuniarum duplex eſt, ſumptus, & donatio; quamuis perſæpè Ariſtoteles donationis nomine etiam ſumptum comprehendat, quem nos more noſtro imitari non recuſabimus. Liberalis igitur viri eſt, honeſtatis cauſa & quibus oporret, & quantum, & quo tempore oportet, reliquis etiam, ſi quæ ſunt, honeſti formulis ſeruatis, non grauatè, aut potius libenter iucundèque pecunias largiri. Quòd ſi aliquando acci-*

*piat, aut neceſsitate quadam impulſus accipiet, aut eam certè ob cauſam, vt illi, à quibus accipit, maius aliquod poſtea beneficium à ſe petere non vereantur. Hic igitur rectus eſt pecuniarum vſus. Vtimur autem non rectè, quando aut nimium donamus, nihil accipientes, nequè etiam vnde non turpiter poſſumus, cæteris etiam honeſti formulis neglectis; aut parum, vel nihil donamus, vndiquè cupidiſsimè accipientes, iiſdem honeſti formulis non ſeruatis. Ergo liberalitas etiam ſua habet extrema, inter quæ collocatur; nimium inquam, & parum. Illud effuſio, aut græca voce asôtia, hoc auaritia, & illiberalitas nominari ſolet; quæ quidem cum iniuſtitia perſæpè coniuncta eſt. Nam auarus quæſtum maximè ſibi proponit, ac ſæpenumero cum alterius damno, quod iam eſt iniuſti. Quare, vt illos, qui propter exiguum quæſtum, turpitudinem, ac dedecus ſubeunt, adhuc auaros, & illiberales appellaſſe ſatis nobis ſit, illos certè qui magna, à quibus, & quæ non debent, auferunt (quales ſunt Tyranni, qui vrbes euertunt, templaquè expilant) non iam auaros, ſed improbos, iniuſtos, impios dicimus. Ex quo auaritia omnium fermè malorum mater à ſapientibus uiris appellatur. Liberalitate altior potius gradu quodam eſt, quàm forma differens*

*magnificentia;quemadmodũ etiam de modeſtia, et animi magnitudine ſtatuebamus.Non enim magnificentia ad quemcunq; vſum pecuniarum pertinet, ſed ad magnos ſumptus, ac decoros; quos quidem honeſti gratia vir magnificus faciet, & prolixè, iucundèq; faciet. Hæc enim omnium virtutum ſunt communia.Tales autem ſumptus erunt, dona, quæ Dijs dicantur, templorum conſtructiones, ſacrificia, ludi ob Reipub: dignitatẽ maximo apparatu editi, magiſtratuum de ſuo adminiſtratio, epulum ciuitati præbitum.Omninò enim ſumptus, quos pro Deorum cultu, pro Reipub: dignitate, pro concilianda hominum beneuolentia, dum modò ea non velimus abuti, facimus, decori, atque honeſti ſunt exiſtimandi. Quare in nuptijs etiam, in recipiendorum, dimittendorumque hoſpitum officio, in donis, & remunerationibus magnifici eſſe debemus. Hæc enim vel maximè ad Reipub: dignitatem, atque ad hominũ conciliandam beneuolentiam faciunt. Hoſpitibus autem magnificè tractandis, Ioui etiam, quem hoſpitalem dicunt, nos gratum facere rectè Aſpaſius dicebat. Decorum autem & perſonæ, & loci, & temporis, & rerum, in quas pecunia impenditur, ſemper magnificus ſpectare debebit: & potius quomodò opus quàm pulcherrimum, maximeq; decorum, quàm quanti, & qua ratione minimo efficiatur, cogitare.*

*Huius virtutis extrema ſunt illud quidem, quod eſt parum, indecora quædam, & minuta parſimonia, quod autem eſt nimium, glorioſa quædam, & inſolens ſuarum opum oſtentatio, nulla temporis loci, perſonarum, rerum, in quas impenditur, habita ratione. Illud autem eſt animaduertendum, cum magnificentia ſit quaſi quidam exceſſus virtutis, magnificentiæ quoque extrema inclinationes potius eſſe virtutis, quàm mera vitia.*

cap.12 *Poſt liberalitatem, ſub qua magnificentiam comprehendimus, quæ quidem virtus in pecunijs impendendis eſt occupata, moderans tamen & ipſa affectiones; vt vidimus, auaritiam inquàm, & quandam animi effuſionem, ſequuntur aliæ quædam virtutes, quæ in ſermonum potiſſimum communicatione cernuntur. Prima eſt, qua eorum, quibuſcum verſamur, neque laudamus omnia, neque vituperamus; ſed quæ probanda, & vt probanda ſunt, probamus; contraria autem non probamus. Appellatur autem hæc virtus ab Ariſtotele amicitia, quoniam ad veræ amicitiæ ſimilitudinem proximè videtur accedere: hoc tamē differens, quòd amicitia magnum habet amoris affectum adiunctum; quo hæc virtus caret. Eo enim pacto verſatur in ſermonibus nō quòd ardenter amet, ſed quòd ita decere, atque honeſtum eſſe iudicat. Habebit*

P iii

*autem ſemper & loci, & temporis, & perſonarum præcipuè rationem, & reliquas honeſti formulas ſeruabit. Huius virtutis extrema ſunt, illud quidem, quod nimium eſt, auribus audientium inſeruire, omniaquè ad illorum voluptatem referre (quod quidem vitium, ſi ob quæſtum, & emolumentum ſuſcipiatur, ab auaritia ortum ducit, & eſt illa Gnatonis ars; ſin vt placeamus, Nam obſequium amicos, veritas odium parit, aut ex inſulſo quodam amore, aut ex mutui amoris deſiderio naſcitur) illud autem, quod parum eſt, in omni re aduerſari, atquè contentioſum, & moroſum eſſe; quod quidem vitium ſuperbiam, & animi elationem comitari ſolet. Alia virtus eſt inter arrogantiam, & diſſimulationem poſita, quæ quanuis præcipuè ſermone, tamen quibusdam etiam factis cernitur; appelletur autem perpetuum quoddam veritatis ſtudium; vt etiam in rebus, in quibus nihil refert, vtrum tales ſimus, nec ne, veritatem colamus; & ea, quæ in nobis inſunt, habere non negemus, nequè ea verbis augeamus; nequè multum extenuemus. Augere autem, ſiue res ſibi glorioſas, quas non habet, vendicare arrogantia eſt; quod illud eſt exremum, quod nimium dicimus. Multum autem extenuare, & pertinaciter quæ bona habet, negare, odioſa quædam diſ-*

*ſimulatio eſt, quæ alterum extremum peccans in eo, quod eſt parum, ſtatuitur. Sunt autem mendaces tùm arrogans, tùm diſsimulator. Mendacium autem omne, niſi fortè tanquam medicina, vt Plato dicebat, adhibeatur, malum, & vituperabile eſt. Naſcitur arrogantia aut ex ambitione, & ſuperbia, aut ex leuitate quadam animi; diſsimulatio autem vel ex remiſsione quadam animi, vel quòd putemus nos ita gratiores in colloquijs futuros, vel ex occulta quadam ſuperbia. Sic à Platone Diogenica illa rerum humanarum deſpicientia ſumma quædã ſuperbia fuit iudicata. Medius igitur habitus laudabilis erit, quã quã non ſit, quemadmodũ neq; reliquæ virtutes, exquiſitè medius. Ad extenuanda enim noſtra bona, quàm ad amplificanda oratione propenſiores eſſe debemus. Cæterum cum ſit in vita ſuus etiam requieti locus, & animi ſint ab aſsiduo labore recreandi, & relaxandi, ideò fit, vt ludere, atquè iocari aliquandò liceat. Quare etiã in luſu, atq; iocis elucere poterit virtus, ſi cõcinnè, & lepidè ſalibus, ac iocis vtemur, eaque, quæ viro bono, liberoq; conueniunt, & dicemus, et verò libenter audiemus. Hãc virtutẽ vel vrbanitatẽ, vel ingenij dexteritatem, vel cõmoditatem, ſi placet, appellemus. Fugiamus autẽ ſemper tùm omnia, & in omnes ſalsè dicendi licentiam, hoc enim*

*ſcurræ eſt, tùm habitum illum animi, quo neque nos quicquam facetè, ridiculeq́; dicere volumus, neque alium dicentem ferre poſſumus. Hæc enim ſunt huius virtutis extrema; & prius quidem aut à ſuperbia, & omnium contemptu, aut ab ingenij oſtentandi cupiditate, poſterius autem, vel ab alterius generis ambitione, vt ſcilicet graues viri videamur, vel à ruſtica quadam natura proficiſci ſolet. Tres igitur ſunt illæ, quas diximus in vita mediocritates, quæ omnes in ſermonum, actionumq́; communitate quadam verſantur. Sed eò differunt, quòd vna veritatem, reliquæ duæ honeſtam quandam iucunditatem ſibi proponunt. Atque harum ipſarum, quæ ad iucunditatem pertinent, altera in iocis, altera in congreſſionibus, & reliquæ vitæ communitatibus vertitur. Ita omnes ferè ſunt virtutes, quæ ad mores pertinent, expoſitæ; vel propoſitæ potius, non autem explicatæ. Nam id alterius eſt inſtituti.*

cap. 13 *Pertinent autem quædam alia ad mores præter virtutem, & vitioſitatem. Sunt enim proceſſus, & progreſſiones quædam ad vitioſitatem, vt incontinentia, ſiue mauis impotentia ad temperantiam; ſunt item progreſſiones quædam ad virtutem, vt continentia ad temperantiam. Nam incontinentem illum dicimus, qui magna ex parte incolume ha-* *

* beat, ac rectū rationis iudiciū, verū vehemēti perturbatione incitatus de gradu deiicitur; ī tēperātē autē, qui ita deprauatā habet *

*bet intelligentiam, vt omnes ſemper voluptates ſibi amplexandas putet. Ita concitat ipſe potius affectiones, quàm ab illis cõcitetur. Quare hoc integrum vitium eſt, impotentia verò gradus quidam ad hoc vitium. Contrà temperãtem illum appellamus, in quo appetitus libenter paret rectæ rationi; continentem, in quo non libenter, ſed repugnans vincitur, & victus non obedire nõ poteſt. Quam obrem temperantia verè virtus eſt, continentia autem progreßio ad virtutem. Quod in ipſa temperantia, & intemperantia euenit, idem in reliquis virtutibus, ac vitijs euenire cenſendum eſt, vt inter integrum vitium, integramquè virtutem ſint gradus, et proceſſus quidam; quamuis non ſint ijs fortaſſe poſita nomina. Reperiũtur etiam mores ita immanes, atquè ferini, vt in ijs ne radius quidem vllus mentis, atque intelligentiæ illuceſcat; quales barbararum quarundã nationum ſunt, quæ humanis carnibus veſcuntur, & proprios filios dant in mutuas epulas; quales etiam ex grauißimis quibuſdam morbis exiſtere cõſueuerunt. Feritas hæc à vitioſitate differt, quoniã in hac mentis apparet lumen, quanuis infectum, et deprauatum, in illa receßiſſe omnino videtur ratio, & mens. Et vitioſitas quidem pernicioſius malũ eſt, quàm feritas (multò enim plus nocet improbus homo, quàm fera) ſed tamen ab hominis natura*

*minus remotum. Quare multò ſæpius vitioſitatem, quàm feritatem induimus. Feritati opponitur non virtus ſimpliciter, ſed virtus heroica, atque diuina, cum ſcilicet maximè glorioſis, atque illuſtribus factis, qualia Herculis fuerunt, humanam conditionem videmur ſuperare. Huius virtutis eſſe dicebat Ariſtoteles in Politicis, regnum filijs, qui ſint improbi, eò quòd ſint improbi, non relinquere. Non caret autem hæc virtus affectionibus, quinimò, vt inquit Proclus in commentarijs ſuis in Politiam, finguntur heroes à poetis maximè obnoxij amori, et iræ, & huiuſmodi alijs perturbationibus; quoniam ſine quadam animi concitatione, res magnæ, & & præclaræ geri non poſſunt. Poteſt autem fortaſſe hæc virtus ad animi magnitudinem referri, vt in alijs libris oſtendemus. Hæc de habitibus, qui ad mores pertinent. Similitudo autem bonorum morum veram amicitiam parit, quæ quidem tùm ad voluntatem pertinet (boni enim mores alicuius, & virtus à ratione, & mente comprehenduntur, idcircoquè mens eodem pacto affecta naturali quadã propenſione illam virtutem amat, quod voluntatis eſſe diximus) tùm ad appetitum; quoniam ex magna voluntatis propenſione quædam etiam redundat propenſio in appetitu. Oportet autẽ, vt amor ſit vſu, ac tempore cõfirmatus. Sequitur ergo virtutem*

*amicitiã, tanquã vmbra corpus. Hoc ſi ſpectemus, amicitiã nõ virtutẽ, ſed cũ virtute dicemus eſſe. Sin autẽ amicitiã certis cõſtare legibus, atq; inter ſua extrema eſſe cõſtitutã (nõ enĩ omnia, neq; nihil amici cauſa facere debemus) animaduertamus, virtutem potius quãdã, id eſt, vt vult Aſpaſius, et M. Tullius in partitionibus oratorijs, iuſtitiæ partẽ ſtatuemus.*

cap. 14 *Quoniam autem ſæpenumero diximus, in omni virtute medium eſſe deligendum, non nimium, aut parum, medium autem ita eſſe, vt ratio benè cogitata prudentis viri præſcribit, agè de hac recta ratione, atquè prudentia perquiſitius, ac diſtinctius diſſeramus. Initio huius libri virtutes animi ita diſtribuebamus, vt alias in appetitu, alias in mente collocari diceremus. Prudentiã in appetitu non eſſe collocandam ſatis ex ijs, quæ dicemus, apparebit; ex quo vt illius naturã melius percipiamus, de reliquis etiam virtutibus, quæ ad mẽtem pertinent, differere oportet; quãquã ob illã etiam cauſam de his agere neceſſariũ erat, vt in quo poſita ſit felicitas illa, quã contemplando conſequimur, intelligeremus. Dictũ eſt antè duas eſſe animi partes, vnã rationis expertem alteram compotem, vel ipſam potius rationem. Hæc rurſus duas habet quaſi partes, vnam qua res neceſſarias & perpetuas cernimus, alteram, qua res mutabiles, quæque hoc, vel illo modo poſſunt euenire.*

*Prior appelletur ſi placet, pars, in qua ineſt vis ſciẽdi, poſterior, quæ ad ratiocinandum, & cogitãdum valet; quanquam hæc nomina ſæpè confunduntur, minimèque raro ſcientia ſub ratiocinatione comprehendi ſolet: atque de hac dicamus primum, de altera etiã poſtea tractaturi. Pars igitur, quæ cogitat, vel in ijs rebus verſatur, in quibus eſt etiã impetus quidam facultatis appetentis, & affectiones emergere ſolent, quæ perſæpe rationem perturbant; atque hæ res ſunt illæ, quæ ſub actionem cadere dicuntur; aut in ijs rebus verſatur, in quibus nulla apparet affectionum concitatio, quæ rationi ſit impedimento, ſed corporis potius, ac præcipuè manus opera requiritur; atque hæ ſunt illæ, quas ſub effectionem cadere dicimus. Hanc optimam iudicauimus hæc inter ſe diſtinguendi rationem. Verùm vt mens in his rebus mutabilibus, quæquè varijs modis ſeſe habere poſſunt, id quod bonum eſt, ſemper aſſequatur, habitu indiget, quo quid in quaquè re bonum, & conſentaneum ſit, inſpiciat. Habitus hic virtus appellatur, quoniam ipſam mentẽ perficit, atque vt illa ſuo munere benè fungatur, præſtat. Duplex autem eſt, altera ad res illas, quæ ſub effectionem cadunt, pertinens, & ars dicitur, altera ad res, quæ cadunt ſub actionem, quam propriè ſolemus prudentiam appellare. Illud autem etiam, atque etiam attendendum*

*eſt, quod ſuperiore libro admonuimus, alia eſſe homini quà homo eſt, bona, & mala; alia non homini ſimpliciter, ſed tali homini. Homini ſimpliciter bonum eſt, vt appetitus rationi obediat, ac ſeruiat; ſimpliciter malum, vt repugnet, & dominetur; Tali autem homini, puta tu vel pictori, vel ſtatuario, bonum eſt, vt hæc tabella ſit egregiè picta, ſtatua illa admirabili artificio facta; malum autem, vt opera ſua artis expertia exiſtimētur. Ex quo cũ prudentiam poſuerimus in rebus ſub actionem cadentibus verſari, in quibus appetitus etiam ſe ſe infert, atque intrudit, & perſæpe rationi aduerſatur, ſequitur, vt illa de ſimpliciter homini bonis & malis cogitet, & ratiocinetur, ars autem de ijs tantũ, quæ tali homini bona ſunt vel mala. Sunt autem ferè incertiora, quæ prudentiæ, vt Philoponus in poſterioribus analyticis dicebat, quàm quæ arti ſubijciuntur. Nam arti, et rebus artificioſis conſuetudo, & vſus leges imponit, & quo quicque modo faciendum ſit, præſcribit. Quod in rebus ſub ãctionem cadentibus non euenit. Semper enim incertæ ſunt, & infinitis, vt ita dixerim, modis facultas appetẽs aduerſus rationem inſurgit, & diuerſa reipub. tempora diuerſas viuendi rationes poſtulant. Quare conſultationem, quæ quidem in rebus incertis verſatur, maximè ad prudentiam pertinere dicebat*

*Ariſtoteles: & Philoponus in cõmentarijs ſuis in tertium librum de anima hac ratione prudentiam ab arte diſtingui putabat, quòd prudentia in rebus verſaretur, quæ conſultatione, ac deliberatione egerent, ars autem nequaquam. Quod non ita eſſe intelligendum exiſtimarim, vt nunquã in artibus cõſultationi, deliberationiquè ſit relictus locus (perſpicuè enim artes illæ, quæ στοχαστικαὶ à Græcis, à nobis coniecturales non incommodè dici poſſunt, vt ars militaris, rhetorica, medicina, in deliberando perſæpè ſunt occupatæ) ſed quòd maiorem partem artes & certum finem, & certa habeant inſtrumenta, quibus propoſitum ſibi finem conſequi poßint; quod nunquàm ferè in prudentia euenit. Imò verò artes illas coniecturales, quà coniectura vtuntur, prudentia, & quadam iudicij elegantia egere ſolemus affirmare.*

cap. 15. *Cæterum vt melius hæc res vniuerſa intelligatur, quid conſultatio, quid conſilium ſit (non enim aptiorem vocem habemus, qua græca illa προαίρεσις exprimatur) et ſi quæ alia ſunt, quæ ad prudentiam pertinent, exponamus. Quid ſponte, quid non ſponte, ſed inuitè à nobis fiat, ſatis apertè ab Ariſtotele tertio libro de moribus eſt explicatum. Non ſponte enim factum dicitur, quod vel violentum eſt, vt ſi aliquem ferias, manu tua ab alio immiſſa, vel per*

*inſcientiam admiſſum, vt ſi amicum vulneres, exiſtimans hoſtem eſſe. Sponte autem agimus, cum nõ coacti, & res ſingulares, in quibus actio verſatur, non ignorantes agimus. Sed hæc, vt iam dixi, Ariſtoteles nõ modò ſubtiliter, ſed etiam apertè tractauit. Sequitur illud, quod Cæſariano & etiam Tulliano loquendi more conſilium capere dicemus, id eſt pluribus rebus, quæ ſub actionem cadunt, propoſitis, vnam, quã agamus, & ſequamur, cum diu, multumque deliberauerimus, eligere. Quamobrem id quod ſponte fit, ad belluas etiam, & pueros pertinet: non enim coacti, neq; inſcienter perſæpè agunt; conſilium autem capere hominis tantum eſt, qui conſultare, ac deliberare poteſt. Conſultamus autem nõ de ijs, quæ naturâ ſine vlla noſtra opera, atque auxilio conſtant (ridiculi enim habeamur, ſi deliberemus debeat ne mundus æternus eſſe, aut aqua ſummè frigida, ignis ſummè calidus) ſed de humanis rebus, neque ijs omnibus. Non enim quemadmodum Scythæ optimè ſuam Rempub. aut Thracij ſuam adminiſtrare poſſint, nos Lucenſes deliberamus. Reliquum ergo eſt, vt ea veniant in deliberationem, quæ à nobis ſunt agenda; quorum exitus incertus eſt, & in quibus nihil eſt definiti. Quare in ſcientijs, & artibus, in quibus ſit quædam diſciplinæ elegantia, & certa principia, ex quibus*

*effecta oriantur, conſultationi nihil relictum eſt loci; ſed in ijs tantùm artibus, quas conIecturales vocari diximus, & in ipſa præſertim prudentia delibe ratio plurimum poteſt, neceſſariòque eſt adhibenda. Conſultamus autem non de extremis finibus, ſed de ijs, quæ ad fines pertinent. Neque enim aut medicus, an ſanaturus ſit, conſultat, aut orator an perſuaſurus, aut vir, cui Reipub. procuratio ſit demandata, an bonas leges conditurus, neque alius omninò artifex de fine ſuo deliberat, ſed omnes illum ſibi proponunt, tanquàm vltimum, quò omnes ſuas referant cogitationes, quemadmodum ſcilicet, & quibus rebus illum aſſequi poßint, ratiocinantes; quòd ſi pluribus rationibus ad id quod volunt ſe peruenire poſſe credant, quam facillimam, & optimam iudicant, eam ſequuntur, cæteris repudiatis: & ſi quid ad eam ſequendam obſtet, non quieſcunt, quo ad omnia remouerint impedimenta. Illud autem, quod eſt retexenti poſtremum, ideſt agenti primum Quando autem cæteris repudiatis, ſi plures rationes occurrant, vnam potißimum ſequimur, vel vnam tantum inuenientes viam, eam inſiſtere ſtatutum cum animo, ac deliberatum habemus, hoc iam capere conſilium eſt. Id enim de quo conſultatur, & id de quo conſilium capitur, eadem ſunt inter ſe, niſi quod definitum iam, ac deciſum eſt id, de quo conſilium*

*ſilium capitur. Quod enim conſultatione adhibita reliquis præponimus, atque ad agendum nos paramus de eo conſilium cæpiſſe dicimur. Quamobrem conſultatio, & deliberatio ad ſolam mẽtem pertinet. At cum conſilium capimus, neceſſe eſt, vt facultas appetens rationi coniuncta ſit illique aſſentiat, & adhæreat: ita vt conſiliũ capere nihil aliud ſit, quàm appetitum adærere rationi poſt adhibitam conſultationem. Vltimi autem, & finis voluntatem eſſe dicebamus, non conſilium. Vltimum autem bonũ ipſum eſt; et reuera ſub voluntatem cadit verum bonum, ſed ſub cuiuſque voluntatem cadit id, quod illi ſpeciem habet boni. Virò autem bono illud ſolum ſpeciem habet boni, quod reuera bonum eſt, quẽadmodum guſtus noſter in vniuerſum dulci delectatur. Verum aliud alij videtur dulce. Illi duntaxat, qui corpus benè conſtitutum habebit, quiq; exquiſito ſenſu præditus erit, quod reuera dulce eſt, etiam videbitur.*

cap. 16 *Ex his, quæ diximus, conſtare poteſt, & in virtute, & in vitioſitate conſilium capi. Vir enim temperans exempli cauſa, oblata ſibi pulcherrima muliere, tametſi voluptas, vt illa fruatur, ſuadeat, rationem tamen in conſilium adhibebit, & de ea re deliberabit. Cognoſcens autem omne adulterium eſſe malum, & hanc mulierem alterius vxorem eſ-*

*ſe, ab illa ſibi abſtinendum cenſebit: ita cum appetitus rationem ſequatur, iam de ea re captum conſiliũ eſt. Contrà in temperans & ipſe cum ratione deliberat, verùm deprauata ratione, tanquàm cum improbo ſophiſta: quæ quidem illi omne iucundum eſſe amplectẽdum proponit, ſtultumq́uè illum eſſe, qui quæ ſuauia in preſenti ſunt, prima non habet. Quamobrem cõtinuo conſentiente appetitu conſilium capit de pulchra illa muliere potiẽda: ex qua re sũmam ſe putat voluptatem conſequuturum. Verè igitur dicebamus virtutem eſſe habitum quendam à recta ratione impreſum, mediocritatem in affectionibus ſeruantem, ita tamen, vt ſemper de eo, quod agendum erat, conſilium capi oportere diceremus. Cæterùm de in continente ambigi fortaſſe poteſt, an conſilium capiat. Ad capiendum enim conſilium rationem, & appetitum coniungi dicebamus, quòd quidẽ in incontinente nõ euenit. Nã, vt de Medea Ouidius inquit,*

Sed trahit inuitam noua vis, aliudque cupido,
Mens aliud ſuadet, video meliora, proboque,
Deteriora ſequor,

*Sic appetitus cum ratione pugnat, neque illius vult conficere mandata. Attamen videmus etiam in incontinente appetitum quandam rationem ſequi. Nam propoſita aliqua re iucunda, in qua potienda flagitium committatur, et ſi melior ratio ab illa*

*abſtinendum ſuadeat, altera tamen non deeſt, quæ omne iucundum eſſe proſequendum clamat; cui cũ ſtatim ſe coniungat appetitus, & impetu ſuo meliorem illam rationem fuget, atque expellat, nihil mirum ſi incontinenter agatur. Ergo mens hominis incontinentis, à cupiditate cæcatur, vt verum non diſpiciat, quod ante cupiditatis impetum diſpiciebat: eodemque modo ſcientiam amittere videtur, quo ebrij, & dormientes amittunt. Quod ſi dum à cupiditate oppugnatur, nullum inquiat, eſſe flagitium admittendum, quamuis afferat voluptatem; hæc verba, non intelligens, aut certè non benè, atque expedite intelligens ſententiã, pronunciat, vt ſi ebrius Homeri carmina memoriter recitaret: eamquè ſibi non accommodat, quemadmodum hiſtriones, cum ſumpta Hectoris, vel Achillis perſona loquuntur, ea tamen, quæ dicunt, non ſibi aptant, nequè ſibi dicunt. Non capit igitur conſilium vllo modo incontinens: niſi fortaſſe iam ad intemperantem proximè accedat. Quamuis enim aliquam pro cupiditate rationem afferat, eam tamen nullius eſſe ponderis, atq; omninò falſam cognoſceret; niſi iam eſſet à cupiditate cæcatus. Culpa ergò eſt in moribus. Nam ſi appetitus ita eſſet aſſuefactus, vt nõ inſano quodam impetu ferretur, nec mẽti vim afferret, ſed illi potius dicto audiẽs eſſet, profectò nõ eſſemus incontinentes.*

*Quam ob rem verè dicebat Ariſtoteles virtutem, eam ſcilicet quæ ad mores pertinet ( nam hæc ſimpliciter, & propriè virtus dicitur ) vt rectum capiatur conſilium efficere.*

cap. 17 *Sed accuratius explicanda ſunt nonnulla Ariſtotelis verba ex eodem ſexto libro de moribus, quæ mihi diu negotium faceſſerunt. Sunt autem hæc* Virtus quidem ſcopum, qui agenti proponitur, rectum efficit; prudentia verò ea, quæ ad ſcopum referuntur, quibuſque illũ conſequi poſſumus, *quæ etiam ſententia ſæpè ab eo eſt repetita; quæ tamen multis falſa videri poterit. Querent enim, Quid? virtutes morales, quæ ueſtigia quædam ſunt ipſius mentis in appetitu impreſſa, menti ipſi prudentia vigenti bonum finem proponent? ergo, quemadmodum finis nobilior, & præſtantior eſt, quàm ea, quæ conducunt ad finem, ita virtutes morales, quæ finem proponunt, nobiliores prudentia erunt, quæ ad finem conducentia proponit. Sic radius nobilioris naturæ erit, quàm lux, vnde emanauit. Prudentia enim luci, virtutes morales radijs quibuſdam rectè comparari queunt. Verùm, ne ab Ariſtotelis ſententia temerè diſcedamus, intelligendum eſt, res agendas ſingulares eſſe; idcirco primum occurrere ſenſibus, & inde ſtatim excitari appetitionem; quæ ſi vehemens nimium,*

*aut nimium remiſſa erit, aut cæcabitur, aut languebit mens. Id exemplis illuſtrari poteſt. Videt Paris Helenã; continuò ita vehemens excitatur amor, quoniam appetitus non eſt temperantia conformatus, vt menti vim afferens illi hunc finem proponat, Helenæ rapinam. Mens autem cupiditati ſeruiens rationem, & viam ſedulò anquirit; quò hunc finẽ conſequatur. At ſi affuiſſet temperantia, non tàm vehemens excitatus fuiſſet amor; ita aut bonus, aut certè non malus finis fuiſſet menti propoſitus ad conſequendum. Item uidet auarus probum, atque optima indole Adoleſcentem paupertate impediri, ne bonis artibus det operam. Nulla tamen in eo ob auaritiã emergit miſericordia, nullum benignè illi faciendi deſiderium. Quòd ſi affuiſſet liberalitas, continuo honeſtum iſtud deſiderium benignè faciendi menti tanquam finem propoſuiſſet; deinde mens quantum, & quomodo benignitate vtendum fuiſſet, expendiſſet. Iam ſatis apparet, quo pacto virtus moralis ſcopum efficiat rectum, prohibens ne à cupiditate, aut ira, aut alijs huiuſmodi perturbationibus offeratur aliquid menti, atque immittatur potius ea vi, vt mens id ſibi tanquàm finem proponat, vel etiam efficiens, vt honeſta deſideria emergant, quemadmodum diximus. Animaduertendũ tamen eſt, ex virtute quidem morali exiſtere hone*

*minus remotum. Quare multò ſæpius vitioſitatem, quàm feritatem induimus. Feritati opponitur non virtus ſimpliciter, ſed virtus heroica, atque diuina, cùm ſcilicet maximè glorioſis, atque illuſtribus factis, qualia Herculis fuerunt, humanam conditionem videmur ſuperare. Huius virtutis eſſe dicebat Ariſtoteles in Politicis, regnum filijs, qui ſint improbi, eò quòd ſint improbi, non relinquere. Non caret autem hæc virtus affectionibus, quinimò, vt inquit Proclus in commentarijs ſuis in Politiam, finguntur heroes à poetis maximè obnoxij amori, et iræ, & huiuſmodi alijs perturbationibus; quoniam ſine quadam animi concitatione, res magnæ, & & præclaræ geri non poſſunt. Poteſt autem fortaſſe hæc virtus ad animi magnitudinem referri, vt in alijs libris oſtendemus. Hæc de habitibus, qui ad mores pertinent. Similitudo autem bonorum morum veram amicitiam parit, quæ quidem tùm ad voluntatem pertinet (boni enim mores alicuius, & virtus à ratione, & mente comprehenduntur, idcircoquè mens eodem pacto affecta naturali quadã propenſione illam virtutem amat, quod voluntatis eſſe diximus) tùm ad appetitum; quoniam ex magna voluntatis propenſione quædam etiam redundat propenſio in appetitu. Oportet autẽ, vt amor ſit vſu, ac tempore cõfirmatus. Sequitur ergo virtutem*

*amicitiã, tanquã vmbra corpus. Hoc ſi ſpectemus; amicitiã nõ virtutẽ, ſed cũ virtute dicemus eſſe. Sin autẽ amicitiã certis cõſtare legibus, atq; inter ſua extrema eſſe cõſtitutã (nõ enĩ omnia, neq; nihil amici cauſa facere debemus) animaduertamus, virtutem potius quãdã, id eſt, vt vult Aſpaſius, et M. Tullius in partitionibus oratorijs, iuſtitiæ partẽ ſtatuemus.*

cap. 14. *Quoniam autem ſæpenumero diximus, in omni virtute medium eſſe deligendum, non nimium, aut parum, medium autem ita eſſe, vt ratio benè cogitata prudentis viri præſcribit, agè de hac recta ratione, atquè prudentia perquiſitius, ac diſtinctius diſſeramus. Initio huius libri virtutes animi ita diſtribuebamus, vt alias in appetitu, alias in mente collocari diceremus. Prudentiã in appetitu non eſſe collocandam ſatis ex ijs, quæ dicemus, apparebit; ex quo vt illius naturã melius percipiamus, de reliquis etiam virtutibus, quæ ad mẽtem pertinent, diſſerere oportet; quãquã ob illã etiam cauſam de his agere neceſſariũ erat, vt in quo poſita ſit felicitas illa, quã contemplando conſequimur, intelligeremus. Dictũ eſt antè duas eſſe animi partes, vnã rationis expertem alteram compotem, vel ipſam potius rationem. Hæc rurſus duas habet quaſi partes, vnam qua res neceſſarias & perpetuas cernimus, alteram, qua res mutabiles, quæque hoc, vel illo modo poſſunt euenire.*

*Prior appelletur ſi placet, pars, in qua ineſt vis ſciẽdi, poſterior, quæ ad ratiocinandum, & cogitãdum valet; quanquam hæc nomina ſæpè confunduntur, minimèque raro ſcientia ſub ratiocinatione comprehendi ſolet: atque de hac dicamus primum, de altera etiã poſtea tractaturi. Pars igitur, quæ cogitat, vel in iјs rebus verſatur, in quibus eſt etiã impetus quidam facultatis appetentis, & affectiones emergere ſolent, quæ perſæpe rationem perturbant; atque hæ res ſunt illæ, quæ ſub actionem cadere dicuntur; aut in iјs rebus verſatur, in quibus nulla apparet affectionum concitatio, quæ rationi ſit impedimento, ſed corporis potius, ac præcipuè manus opera requiritur; atque hæ ſunt illæ, quas ſub effectionem cadere dicimus. Hanc optimam iudicauimus hæc inter ſe diſtinguendi rationem. Verùm vt mens in his rebus mutabilibus, quæquè varijs modis ſeſe habere poſſunt, id quod bonum eſt, ſemper aſſequatur, habitu indiget, quo quid in quaquè re bonum, & conſentaneum ſit, inſpiciat. Habitus hic virtus appellatur, quoniam ipſam mentẽ perficit, atque vt illa ſuo munere benè fungatur, præſtat. Duplex autem eſt, altera ad res illas, quæ ſub effectionem cadunt, pertinens, & ars dicitur, altera ad res, quæ cadunt ſub actionem, quam propriè ſolemus prudentiam appellare. Illud autem etiam, atque etiam attendendum*

*eſt, quod ſuperiore libro admonuimus, alia eſſe homini quà homo eſt, bona, & mala; alia non homini ſimpliciter, ſed tali homini. Homini ſimpliciter bonum eſt, vt appetitus rationi obediat, ac ſeruiat; ſimpliciter malum, vt repugnet, & dominetur. Tali autem homini, puta tu vel pictori, vel ſtatuario, bonum eſt, vt hæc tabella ſit egregiè picta, ſtatua illa admirabili artificio facta; malum autem, vt opera ſua artis expertia exiſtimētur. Ex quo cū prudentiam poſuerimus in rebus ſub actionem cadentibus verſari, in quibus appetitus etiam ſe ſe infert, atque intrudit, & perſæpe rationi aduerſatur, ſequitur, vt illa de ſimpliciter homini bonis & malis cogitet, & ratiocinetur, ars autem de iјs tantū, quæ tali homini bona ſunt vel mala. Sunt autem ferè incertiora, quæ prudentiæ, vt Philoponus in poſterioribus analyticis dicebat, quàm quæ arti ſubijciuntur. Nam arti, et rebus artificioſis conſuetudo, & vſus leges imponit, & quo quicque modo faciendum ſit, præſcribit. Quod in rebus ſub āctionem cadentibus non euenit. Semper enim incertæ ſunt, & infinitis, vt ita dixerim, modis facultas appetēs aduerſus rationem inſurgit, & diuerſa reipub. tempora diuerſas viuendi rationes poſtulant. Quare conſultationem, quæ quidem in rebus incertis verſatur, maximè ad prudentiam pertinere dicebas*

*Ariſtoteles: & Philoponus in cõmentarijs ſuis in tertium librum de anima hac ratione prudentiam ab arte diſtingui putabat, quòd prudentia in rebus verſaretur, quæ conſultatione, ac deliberatione egerent, ars autem nequaquam. Quod non ita eſſe intelligendum exiſtimarim, vt nunquã in artibus cõſultationi, deliberationique ſit relictus locus (perſpicuè enim artes illæ, quæ στοχαστικαὶ à Græcis, à nobis coniecturales non incommodè dici poſſunt, vt ars militaris, rhetorica, medicina, in deliberando perſæpè ſunt occupatæ) ſed quòd maiorem partem artes & certum finem, & certa habeant inſtrumenta, quibus propoſitum ſibi finem conſequi poßint; quod nunquàm ferè in prudentia euenit. Imò verò artes illas coniecturales, quà coniectura vtuntur, prudentia, & quadam iudicij elegantia egere ſolemus affirmare.*

cap.15. *Cæterum vt melius hæc res vniuerſa intelligatur, quid conſultatio, quid conſilium ſit (non enim aptiorem vocem habemus, qua græca illa προαίρεσις exprimatur) et ſi quæ alia ſunt, quæ ad prudentiam pertinent, exponamus. Quid ſponte, quid non ſponte, ſed inuitè à nobis fiat, ſatis apertè ab Ariſtotele tertio libro de moribus eſt explicatum. Non ſponte enim factum dicitur, quod vel violentum eſt, vt ſi aliquem ferias, manu tua ab alio immiſſa, vel per*

*inſcientiam admiſſum, vt ſi amicum vulneres, exiſtimans hoſtem eſſe. Sponte autem agimus, cum nõ coacti, & res ſingulares, in quibus actio verſatur, non ignorantes agimus. Sed hæc, vt iam dixi, Ariſtoteles nõ modò ſubtiliter, ſed etiam apertè tractauit. Sequitur illud, quod Cæſariano & etiam Tulliano loquendi more conſilium capere dicemus, id eſt pluribus rebus, quæ ſub actionem cadunt, propoſitis, vnam, quã agamus, & ſequamur, cum diu, multumque deliberauerimus, eligere. Quamobrem id quod ſponte fit, ad belluas etiam, & pueros pertinet: non enim coacti, neq; inſcienter perſæpè agunt: conſilium autem capere hominis tantum eſt, qui conſultare, ac deliberare poteſt. Conſultamus autem nõ de ijs, quæ naturâ ſine vlla noſtra opera, atque auxilio conſtant (ridiculi enim habeamur, ſi deliberemus debeat ne mundus æternus eſſe, aut aqua ſummè frigida, ignis ſummè calidus) ſed de humanis rebus, neque ijs omnibus. Non enim quemadmodum Scythæ optimè ſuam Rempub. aut Thracij ſuam administrare poſſint, nos Lucenſes deliberamus. Reliquum ergo eſt, vt ea veniant in deliberationem, quæ à nobis ſunt agenda; quorum exitus incertus eſt, & in quibus nihil eſt definiti. Quare in ſcientijs, & artibus, in quibus ſit quædam diſciplinæ elegantia, & certa principia, ex quibus*

*effecta oriantur, conſultationi nihil relictum eſt loci; ſed in ijs tantùm artibus, quas conjecturales vocari diximus, & in ipſa præſertim prudentia delibe ratio plurimum poteſt, neceſſarióque eſt adhibenda. Conſultamus autem non de extremis finibus, ſed de ijs, quæ ad fines pertinent. Neque enim aut medi- ſus, an ſanaturus ſit, conſultat, aut orator an per- ſuaſurus, aut vir, cui Reipub. procuratio ſit demandata, an bonas leges conditurus, neque alius omninò artifex de fine ſuo deliberat, ſed omnes illum ſibi proponunt, tanquàm vltimum, quò omnes ſuas re ferant cogitationes, quemadmodum ſcilicet, & qui bus rebus illum aſſequi poßint, ratiocinantes; quòd ſi pluribus rationibus ad id quod volunt ſe peruenire poſſe credant, quam facillimam, & optimam iudicant, eam ſequuntur, cæteris repudiatis: & ſi quid ad eam ſequendam obſtet, non quieſcunt, quo ad omnia remouerint impedimenta. Illud autem, quod eſt retexenti poſtremum, ideſt agenti primum Quando autem cæteris repudiatis, ſi plures rationes occurrant, vnam potißimum ſequimur, vel vnam tantum inuenientes viam, eam inſiſtere ſtatutum cum animo, ac deliberatum habemus, hoc iam cape re conſilium eſt. Id enim de quo conſultatur, & id de quo conſilium capitur, eadem ſunt inter ſe, niſi quod definitum iam, ac deciſum eſt id, de quo conſi-*

*lium*

ſilium capitur. Quod enim conſultatione adhibita reliquis præponimus, atque ad agendum nos paramus de eo conſilium cœpiſſe dicimur. Quamobrem conſultatio, & deliberatio ad ſolam mētem pertinet. At cum conſilium capimus, neceſſe eſt, vt facultas appetens rationi coniuncta ſit illique aſſentiat, & adhæreat: ita vt conſiliū capere nihil aliud ſit, quàm appetitum adærere rationi poſt adhibitam conſultationem. Ultimi autem, & finis voluntatem eſſe dicebamus, non conſilium. Ultimum autem bonū ipſum eſt; et reuera ſub voluntatem cadit verum bonum, ſed ſub cuiuſque voluntatem cadit id, quod illi ſpeciem habet boni. Virò autem bono illud ſolum ſpeciem habet boni, quod reuera bonum eſt, quēadmodum guſtus noſter in vniuerſum dulci delectatur. Verum aliud alij videtur dulce. Illi duntaxat, qui corpus benè conſtitutum habebit, quiq; exquiſito ſenſu præditus erit, quod reuera dulce eſt, etiam videbitur.

cap. 16 Ex his, quæ diximus, conſtare poteſt, & in virtute, & in vitioſitate conſilium capi. Vir enim temperans exempli cauſa, oblata ſibi pulcherrima muliere, tametſi voluptas, vt illa fruatur, ſuadeat, rationem tamen in conſilium adhibebit, & de ea re deliberabit. Cognoſcens autem omne adulterium eſſe malum, & hanc mulierem alterius vxorem eſ-

*ſe,ab illa ſibi abſtinendum cenſebit:ita cum appetitus rationem ſequatur,iam de eare captum conſiliũ eſt.Contrà in temperans & ipſe cum ratione delibe- rat,verùm deprauata ratione,tanquàm cum improbo ſophiſta:quæ quidem illi omne iucundum eſſe amplectẽdum proponit, ſtultumque illum eſſe, qui quæ ſuauia in preſenti ſunt, prima non habet. Quamobrem cõtinuo cenſentiente appetitu conſilium capit de pulchra illa muliere potiẽda:ex qua re ſũmam ſe putat voluptatem conſequuturum.Verè igitur dicebamus virtutem eſſe habitum quendam à recta ratione impreſum,mediocritatem in affectionibus ſeruantem,ità tamen,vt ſemper de eo,quod agendum erat,conſilium capi oportere diceremus. Cæterùm de in continente ambigi fortaſſe poteſt,an conſilium capiat.Ad capiendum enim conſilium rationem, & appetitum coniungi dicebamus,quod quidẽ in incontinente nõ euenit.Nã,vt de Medea Ouidius inquit,*

Sed trahit inuitam noua vis,aliudque cupido,
Mens aliud ſuadet,video meliora,proboque,
Deteriora ſequor,

*Sic appetitus cum ratione pugnat, neque illius vult conficere mandata. Attamen videmus etiam in incontinente appetitum quandam rationem ſequi. Nam propoſita aliqua re iucunda,in qua potienda flagitium committatur, et ſi melior ratio ab illa*

*abſtinendum ſuadeat, altera tamen non deeſt, quæ omne iucundum eſſe proſequendum clamat; cui cũ ſtatim ſe coniungat appetitus, & impetu ſuo meliorem illam rationem fuget, atque expellat, nihil mirum ſi incontinenter agatur. Ergo mens hominis incontinentis, à cupiditate cæcatur, vt verum non diſpiciat, quod ante cupiditatis impetum diſpiciebat: eodemque modo ſcientiam amittere videtur, quo ebrij, & dormientes amittunt. Quod ſi dum à cupiditate oppugnatur, nullum inquiat, eſſe flagitium admittendum, quamuis afferat voluptatem; hæc verba, non intelligens, aut certè non benè, atque expedite intelligens ſententiã, pronunciat, vt ſi ebrius Homeri carmina memoriter recitaret; eamquè ſibi non accommodat, quemadmodum hiſtriones, cum ſumpta Hectoris, vel Achillis perſona loquuntur, ea tamen, quæ dicunt, non ſibi aptant, nequè ſibi dicunt. Non capit igitur conſilium vllo modo incontinens: niſi fortaſſe iam ad intemperantem proximè accedat. Quamuis enim aliquam procupiditate rationem afferat, eam tamen nullius eſſe ponderis, atq; omninò falſam cognoſceret; niſi iam eſſet à cupiditate cæcatus. Culpa ergo eſt in moribus. Nam ſi appetitus ita eſſet aſſuefactus, vt nõ inſano quodam impetu ferretur, nec mẽti vim afferret, ſed illi potius dicto audiẽs eſſet, profectò nõ eſſemus incontinentes.*

*Quam ob rem verè dicebat Ariſtoteles virtutem, eam ſcilicet quæ ad mores pertinet (nam hæc ſimpliciter, & propriè virtus dicitur) vt rectum capiatur conſilium efficere.*

cap. 17 *Sed accuratius explicanda ſunt nonnulla Ariſtotelis verba ex eodem ſexto libro de moribus, quæ mihi diu negotium faceſſerunt. Sunt autem hæc* Virtus quidem ſcopum, qui agenti proponitur, rectum efficit; prudentia verò ea, quæ ad ſcopum referuntur, quibuſque illũ conſequi poſſumus; *quæ etiam ſententia ſæpè ab eo eſt repetita; quæ tamen multis falſa videri poterit. Quærent enim. Quid? virtutes morales, quæ veſtigia quædam ſunt ipſius mentis in appetitu impreſſa, menti ipſi prudentia vigenti bonum finem proponent? ergo, quemadmodum finis nobilior, & præſtantior eſt, quàm ea, quæ conducunt ad finem, ita virtutes morales, quæ finem proponunt, nobiliores prudentia erunt, quæ ad finem conducentia proponit. Sic radius nobilioris naturæ erit, quàm lux, vnde emanauit. Prudentia enim luci, virtutes morales radijs quibuſdam rectè comparari queunt. Verùm, ne ab Ariſtotelis ſententia temerè diſcedamus, intelligendum eſt, res agendas ſingulares eſſe; idcirco primum occurrere ſenſibus, & inde ſtatim excitari appetitionem; quæ ſi vehemens nimium,*

*aut nimium remiſſa erit, aut cæcabitur, aut languebit mens. Id exemplis illuſtrari poteſt. Videt Paris Helenã: continuò ita vehemens excitatur amor, quoniam appetitus non eſt temperantia conformatus, vt menti vim afferens illi hunc finem proponat, Helenæ rapinam. Mens autem cupiditati ſeruiens rationem, & viam ſedulò anquirit; quò hunc finẽ conſequatur. At ſi affuiſſet temperantia, non tàm vehemens excitatus fuiſſet amor; ita aut bonus, aut certè non malus finis fuiſſet menti propoſitus ad conſequendum. Item uidet auarus probum, atque optima indole Adoleſcentem paupertate impediri, ne bonis artibus det operam. Nulla tamen in eo ob auaritiã emergit miſericordia, nullum benignè illi faciendi deſiderium. Quòd ſi affuiſſet liberalitas, continuo honeſtum iſtud deſiderium benignè faciendi menti tanquam finem propoſuiſſet; deinde mens quantum, & quomodo benignitate vtendum fuiſſet, expendiſſet. Iam ſatis apparet, quo pacto virtus moralis ſcopum efficiat rectum, prohibens ne à cupiditate, aut ira, aut alijs huiuſmodi perturbationibus offeratur aliquid menti, atque immittatur potius ea vi, vt mens id ſibi tanquàm finem proponat, vel etiam efficiens, vt honeſta deſideria emergant, quemadmodum diximus. Animaduertendũ tamen eſt, ex virtute quidem morali exiſtere hone*

ſta deſideria, prudentiam autem eſſe, quæ honeſta eſſe cognoſcat, illa ſibi tanquam finem proponat, & ad ea explenda ſe conuertat. Ita, vt rectè Euſtratius dicebat; duplex in rebus agendis exiſtit appetitio, duplex etiam ratio. Prima enim appetitio eſt, quæ nulla adhibita conſultatione ex re obiecta excitatur. Sequitur ratio, quæ huic appetitioni vel reſiſtendum, vel obſequendum demonſtrat: rurſus rationis iudicium comitatur appetitus, quod capere conſilium dicitur. Poſtremò rationem, vt id, de quo conſilium cæpimus, conſequi poſſimus, inuenire oportet. Ergo non ſunt nobiliores, & præſtantiores virtutes morales prudentia. Nam verè non proponunt finem prudentiæ, ſed potius efficiunt, vt mens noſtra in deligendo fine non fallatur, ſed prudenter deliberet, idq; etiam habent ab inſtituentis recta ratione, ac prudentia. Ex quo conſtare poteſt, quomodo prudentia virtutibus moralibus, & virtutes morales prudentia indigeant. Nam affectiones immoderatæ, vehementesquè libidines, tenebras menti offundunt, ita vt prudens eſſe non queat: quãobrem rectè à grecis temperantia eſt appellata σωφροσύνη, quaſi prudentiæ cuſtos. Contra virtutes morales, quod Plato in Memnone oſtendebat, ſine prudentia virtutes non eſſent. Non enim ſi temerè aliquid iuſte actum ſit, continuò iuſtitiam adepti ſumus, ſed

*illud imprimis requiritur, vt conſilium ſit captum, omneſquè honeſti formulæ ſeruentur, quæ omnia ad prudentiam pertinent. Quo fit, vt qui vnam habet virtutem perfectam, atquè abſolutam, omnes virtutes habeat. Perfecta enim virtus ſine prudentia eſſe non poteſt. Qui autem prudentiam poſſidet, is rectiſſimum rationis iudicium habet, & appetitum rationi obedientem. Vbi autem hæc duo adſunt, ibi omnes adeſſe virtutes neceſſe eſt. Prudentiam igitur ſtatuemus mentis habitum, quo de ijs, quæ ſub actionē cadūt, id eſt, de ijs, quæ homini ſimpliciter vel bona, vel mala ſunt, optimè deliberamus, & de eo, quòd optimū eſt: conſilium capimus. Repugnant enim hæc inter ſe, vt aliquis prudens ſit, & in eo appetitus rationi non obediat: cum ſemper appetitiones immoderatæ prudentiam tollant, menti tenebras, vt ſupra diximus, offundentes. Quamobrem incontinens ſolerti, ac vafro ingenio eſſe poteſt, prudens eſſe non poteſt. Quemadmodum autem eſt bonitas quædam naturalis (videmus enim inter homines alium alio ad iuſtitiam, temperantiam, fortitudinem propenſiorem, atque habiliorem) quam tamen conſuetudine, & ratione confirmare oportet; ita eſt vis quædam naturalis ad conſultandum benè, ac celeriter, quam ſolertiam, vel*

*ſagacitatem poſſumus appellare, id eſt acumen quoddam mentis, quod ſi doctrina excolatur, bonuſquè finis proponatur, iam prudentia extiterit. Ergo bonitas naturalis conſuetudine, & ratione confirmata propriè virtus eſt, item ſolertia, & ſagacitas, ſi bonus finis proponatur, ac magiſtra vitæ philoſophia acceſſerit, iam prudentia euaſit. Bonitatem autem naturalem, & ſolertiam ſimul eſſe coniunctas nihil opus eſt, virtutem autem, et prudentiam prorſus eſt neceſſarium.*

cap.18. *Quòd nam ſit prudentiæ officium, ferè ex ijs, quæ diximus, patere poteſt; clarius tamen eſt explicandum: ab eo enim potiſſimum pendet felicitas ciuilis. Diximus prudentiam in ijs, quæ homini ſimpliciter bona, & mala ſunt verſari, bonaque deligere. Bona ſimpliciter homini ſunt virtutes morales, mala autem, vitia. Ergo uis prudentiæ in eo primum elucebit, vt virtutem colamus, vitijs omnibus quantum fieri poteſt, expulſis. Deinde cum ad aliquam artem, vel ſcientiam nos animum appellere deceat (non temerè enim apud Athenienſes lege cauebatur, ne cui ocioſo eſſe liceret) cui nam arti potiſſimū, vel militari, vel rhetoricæ, vel alteri cuipiam danda opera ſit, nos admonebit. Nam hoc quoque homini ſimpliciter bonum eſt: Optimam viuendi rationem, optimamque artem, in quam incumbat, deligere.*

*ligere. Habebit etiam ratiõẽ corporis, fortunæquè bonorum; quatenus faciũt ad felicitatem. Verè enim & ſeptimo Politico, & in extrema pagina librorũ de moribus ad Eudemum dicebat Ariſtoteles, viro duntaxat bono, ac prudenti bona eſſe ea, quæ ſimpliciter, & natura bona ſunt, robur, valetudinem, nobilitatem, diuitias, opes. Nam homini improbo ex bonis mala fiunt. Iam verò, in iiſdem rebus, in quibus ſibi prouidet, familiæ etiam, ac Reipub. prouidebit; omni ſtudio enitens, vt virtutes colantur, vtque bonis artibus opera detur; vt ciuitas bonis omnibus abundet, ac floreat. Nam hoc etiam homini, qui à natura ciuilis & ſociabilis factus eſt, ſimpliciter bonum eſſe diximus. Prudentia autem hæc ciuilis tùm in ferendis legibus, tùm in deliberationibus, tùm in iudicijs potiſſimum cernitur. Non enim verè ab Euripide dictum eſt, eos qui pluribus ſe rebus implicant, Ioui odio eſſe; quin imo nihil illi gratius facere quiſquam poteſt, quàm hanc hominum ſocietatem omnibus officijs tueri, atquè conſeruare. Philoponus autem in Analyticis artem militarem prudentiæ nomine, cum propriè etiam accipitur, comprehendiſſe viſus eſt; quod mihi non probatur. Nam arti militari victoria propoſita eſt; quæ & honeſta, & etiam turpis eſſe poteſt. Prudentiæ autem honeſtiſſimus ſemper, atque optimus finis propoſitus eſt.*

*Quare ars etiam oratoria à prudentia diſtinguetur, cum illi perſuadere propoſitum ſit, quod & bonum, et malum eſſe poteſt: qualis etiã naturæ reliquarum rerum, quæ vulgo in bonis numerantur. præter prudentiam, et virtutes morales eſt. Illud autem veriſſimum eſſe affirmauerim, præclarũ, atque egregium ciuem eſſe illum, qui ad prudentiam artem militarē atque oratoriam adiunſerit, illam vt Reipu. in bello, in quo quidem ſumma illius agitur, hanc, vt in pace prodeſſe queat. Quanuis enim mores dicentis maximam, vt Menander inquit, vim habeant ad perſuadendum, non mediocriter tamen in animis hominum valere ſapientibus ſententijs, grauibuſque verbis ornatam orationem iam ſatis vſu compertum eſt. Ergo qui in principibus ciuitatis haberi voluerit, has duas artes præcipuè ſibi comparabit; quibus prudentia apparebit ornatior, atque illuſtrior. Ita maximam ſine dubio ciuilis felicitatis partem poſſidebit. Tales fuerunt antiquis temporibus Pericles Athenis, Romæ Scipio Africanus minor. Nihil dico de ſcientia ciuili, quàm maximis laudibus vbiquè commendat Ariſtoteles. Eam enim cũ ad prudentiam neceſſariò requiratur, prudentiæ nomine cõprehendimus. Nec verò quenq̃ mirari velim, ſi diligentius de boni viri quàm de boni ciuis virtutibus egiſſe videamur. Nam in benè inſtituta Re-*

*pub. idem ferè eſt bonus vir, & ciuis probatus, cum quæ vnius hominis naturæ conueniunt, conueniant etiam ciuili ſocietati. Ciuem autem illum intelligamus, cui non modò cura, ſed, etiam procuratio Reipub. ſit demandata. Nam mercennarij, & ſordidi artifices, quemadmodum etiam pueri, & mulieres, imperfecti quoddammodò ciues ſunt; ſed tamen in ſuo genere boni. Hi perfecta virtute præditi eſſe, vt cenſuit. Ariſtoteles, ferè non poſſunt, & prudentiæ in primis ſunt expertes; vera quadam duntaxat opinione, atquè ſententia reguntur. At principes ciues, ſi boni ciues futuri ſunt, perfecta virtute ac prudentia floreant oportet. Qua de re tertio Politico ab Ariſtotele diuinitus eſt pertractatum.*

*His de vi, et natura prudentiæ animaduerſis, ad* cap. 19 *illos mentis habitus pergamus, quibus inſtructa in rerum neceſſariarum contemplatione verſari poterit. Sunt autem tres potiſsimum, ſcientia, intelligentia, ſapientia; ſed de ſcientia, atque intelligentia primum agamus. Res neceſſariæ, aut cauſam habent, aut non habent; quemadmodum, exempli cauſa, hominem eſſe docilem, neceſſarium, perpetuumquè eſt; cæterum cauſam habet, rationem ſcilicet, & mentem humanam, à qua proficiſcitur; At cur homo ſit rationis compos, nulla cauſa afferri poteſt; quemadmodum nequè cur homo ſit homo.*

*Atque omnino definitio rei, quæ definitur, ἀμέσως ineſt. Ea, quæ cauſam habent, ſine cauſæ cognitione benè compræhendi non poſſunt. Quæ autem cauſa carent, ea ſuapte ui, atque natura ſatis eſſe nota dicuntur; quoniam ut perfectè cognoſcautur, alterius rei cognitio non requiritur. Euenit tamen, ut à nobis rudibus, atquè imperitis non ſatis cognoſcantur; quemadmodum, quod dulce reuera eſt, ægrotanti tamen non uidebitur dulce. Quod ſi morbum auferas, cum primum dulce aliquid offeres, dulce iudicabit. Ita in cognitione euenit. Sunt non nulla ſuapte ui aptiſsima ad intelligendum, uerùm menti noſtræ inſcitiæ morbo laboranti, ac cæcucienti obſcuriſsima apparent. Morbum iſtum expellas, & ſuum menti lumen reſtituas, quod quidem uel inductiò, uel probabiles rationes, uel argumentationes ab effectis, & conſequentibus præſtabunt, iam illi, ut reuera ſunt, ſic perſpicua, atquè aperta uidebuntur. Habilitas hæc, & promptitudo mentis, ad ea, quæ ſuapte natura nota ſunt comprehendenda, intelligentia ab Ariſtotele nominatur. Habilitas autem, & promptitudo ad ea percipienda, quæ cauſam habent (quod quidem argumentum illud neceſſariò, & ex ueris, proprijsq́ principijs demonſtrans efficit) ſcientia appellatur. Exemplo hanc rem ſatis obſcuram illuſtremus. Sunt in oculo duæ facultates;*

*vna cernendi colores intercedente luce, altera lucem ipſam cernendi ſola contortione aſpectus. Ita in mente duæ facultates ſunt; altera, qua poteſt effecta intercedentibus cauſis cognoſcere, altera, qua principia ipſa nullius alterius rei interuentio, ſed ſimplici quodam obtutu comprehendere. Verum oculus à natura has habet perfectas, & integras facultates: idcirco aduentitio habitu non eget. In mente ſunt quaſi inchoatæ: perficiuntur autem extrinſecus aſſumptis habitibus: quamobrem ſcientiæ habitu ea, quam priore loco poſuimus, facultas eſt perpolienda; & perficienda; habitu autem intelligentiæ poſterior. Ergo in omnibus diſciplinis, in quibus cauſæ, & effecta conſiderantur, tùm intelligentiæ, tùm ſcientiæ locus eſt. Nam cauſæ quidem ad intelligentiam, effecta autem ad ſcientiam pertinent. Sunt autem multo plura effecta, quàm principes cauſæ. Idcirco diſciplinæ omnes potius ſcientiæ, quã intelligentiæ appellantur: Solent enim res ex maiori parte nominari. Quòd ſi aliqua diſciplina ſit, quæ prima omnium rerum initia, primaq; effecta pertractet, ea profecto nomen ſapientiæ ſibi vendicabit. Nam quemadmodum in peculiari aliqua arte ſapientem illum appellamus, qui optimè illam tenet, veriſſimequè rerum, quæ ſub illam artem cadunt, principia cognoſcit; ita vniuersè, ac ſimpliciter ſa-*

pientem illum dicemus, qui prima omnium rerum initia, primaquè effecta, quæ ab illis initijs prodeũt, cognoſcet. Huiuſmodi autem Theologus eſt, Theologia enim tùm de Deo pertractat, ſumma, ac præſtantiſsima omnium rerum cauſa, tum de primis effectis, quæ ab illo proficiſcuntur, cuiuſmodi ſunt ens, verum, bonum, vnum. Illi enim ſupremæ cauſæ reliqua omnia, quòd ſint, quòd intelligi poſsint, quòd ſint bona, quòd ſint vnum quiddam, referunt accæptum. Reliquæ autem præter Theologiam ſcientiæ duæ ſunt, mathematica, & naturalis, Illa quantitatem, tanquam quiddam per ſe ſubſiſtens conſiderat; hæc verò corpora, quæ interna agitantur vi, corporumque illorum inſitas, innatasq́; formas, & affectiones. Quantitatis duo genera ſunt, numerus, & magnitudo. Vtrumque & per ſe, & cum quodam etiam motu ſpectari poteſt. Magnitudo per ſe ſpectata ad Geometriam pertinet; vt autem mouetur, ad Aſtrologiam. Similiter numerum per ſe, Arithmeticus; vt autem motum quemdam in aurium ſenſu efficit Muſicus contemplatur. Philoſophiæ naturali cælum, elemẽta, miſta ex his corpora, ſtirpes, animalia ſubijciuntur. Negligentius autem hoc tempore Philoſophiã in ſuas partes diuidimus, quoniam alibi totam hanc rem diligẽtiſsimè ſumus perſequuti. Verũ vt ad Theologiã redeamus, quam

*ſimpliciter ſapientiam appellari admonuimus, illa quidem duplex eſt. Altera, quam ex rebus naturalibus ſenſu percæptis acquirimus; idcircoquè ſuã Theologiam Ariſtoteles inſcripſit.* τα μετα τα φυσικα, *altera autem, quam ab ipſo Dei filio didicimus, & hauſimus. In priore illa cognoſcimus Deum eſſe naturam ſimpliciſſimam, ac ſincerum actum ab omni concretione mortali ſegregatum, ſe ipſum intuentem, in ſe ipſo reliqua omnia perfectiſſimè intelligentem, atquè illis conſulentẽ, et prouidentẽ; cognoſcimus etiã cæteras res, quatenus cauſæ ſuæ naturam, actum, bonitatem, vnitatẽ omnes referunt; quãquã hæc clarius, illa obſcurius. Id circo cum & principes cauſas, et prima effecta ſapientia conſideret, meritò ab Ariſtotele ex intelligentia, et ſcientia, tanquã ex duabus partibus dicitur eſſe conſtituta; eſſeque & excellens ſcientia, quà prima effecta cõtemplatur, & excellens intelligentia, qua ad principem cauſam intuendam accedit. At in Chriſtiana Theologia multò magis Dei naturam attingimus; ſcimus enim & infinitam vim habere, omniaque ex nihilo generare, poſſe; & vnum, & trinum eſſe; multòquè verius illius benignitatem, ac iuſtitiam cognoſcimus. Cognoſcimus etiam, quorum efficiendorum ſibi tantum poteſtatem reſeruarit, quorum ſecundis quibuſdam cauſis communicarit.*

*Ita & ipſam principem cauſam, et ipſius prima effecta multò diſtinctius, ac plenius in noſtra Theologia comprehendimus; quam philoſophiæ nomine cõtineri qui Baſilium, ac Grægorium legerit, non dubitabit.*

cap.20. *Vt autem in hac vera Theologia proficere poſsimus, tris potiſsimum virtutes requiruntur; quæ ob hanc cauſam Theologicæ appellantur. Fides, Spes, Charitas; quæ quidem à benignitate diuina menti ac voluntati noſtræ (Nihil enim illis cum appetitu rationis experte negocij eſt) impertiuntur; vt de futuræ vitæ ſtatu, quem naturali ratione aſſequi non poſſumus, certi, per Chriſtum Dei Filium noſtra nos frui poſſe beatitudine & credamus, & ſperemus; id circoquè & illius, & aliorum, qui ab ipſo amantur amore, & charitate ardeamus, facti ciues cœleſtis Hieruſalem, & domeſtici Dei, vt inquit Apoſtolus. Nam, quemadmodum teſte Ariſtotele in Politicis is bonus, atque egregius ciuis cenſendus eſt, qui ciuitatis ſuæ bonum ſemper ſibi proponit, proprijs commodis perſæpè neglectis; ita Deo accæptos, Deumquè imprimis, in cuius ciuitatem adſciti ſumus, non vtilitatis noſtræ cauſa amare debemus, ſed per ſe ipſum, omni voluntatis ardore; atquè vt illius bonitas in omnes res ſe ſe fundat, atquè inſinuet, quemadmodum facit, optare. Hoc pacto ſi*

*Deum amemus, difficillimè in vitia labi poſſumus: quòd hæc ex nimio rerum humanarũ caducarumq́, honoris, pecuniæ, corporis amore naſcantur omnia; quarum rerum non modò nimius amor, ſed vix deſiderium vllum in nobis reperietur; quouſq; tota mēte, atq; animo Deum diligemus. Idcircò verè dicitur à Theologis noſtris omne inſigne facinus, ac flagitium charitatem expellere: quòd illa tanquam puriſſima caſtiſſimaq́; virgo ſordes omnes vitet, ac fugiat. Probè etiam illud, charitatem eſſe formam omnium virtutum, prudentiæ, iuſtitiæ, temperantiæ, fortitudinis, fidei ſpei: cum omnes hæ eatenus virtutes ſint, quatenus veri boni cauſa, atq; amore à nobis coluntur. Nam ſi à voluptatibus abſtineas, ac dolores multos, feras; vt occupes tyrànnidem; nihil cauſæ eſt, quamobrem temperantiæ, ac fortitudinis te laudem aſſequuturum putes. Honeſtatis, id eſt veri boni cauſa temperatè, ac fortiter te egiſſe, ſi verè laudari cupiebas oportebat. Verum bonum aut Deus eſt, aut certè veſtigiũ quoddã illius, et imago. Quare cum verum bonum amas, Deum amas, quod iam charitas eſt. Fides item, quanuis ſit in mente, pendet tamen quodammodo ex nutu volontatis (nullus enim credit, niſi volens) quæ quidem voluntas efficit, vt mens omnibus iis, quæ aut à Dei filio dicta ſunt, aut à Pontificibus, legitimiſquè*

*Catholicæ Eccleſiæ concilijs decreta, quanuis naturalem captum excedant, aſſentiantur. Hoc autē vult atque hoc menti noſtræ mandat, quoniam bonum eſſe diuino ſpiritu afflata videt, & bonum nō amare, atque appetere minimè poteſt. Ita ex boni amore id eſt caritate, exoritur fides. Exoritur & ſpes quæ non ſolum ex nutu voluntatis pendet, ſed in ipſa volũtate conſiſtit. Quemadmodum enim ſpes illorum bonorum, quæ ſub ſenſum cadunt, ad appetitum pertinet: ita ſpes hæc theologica nihil aliud eſt, quam elatio quædam voluntatis alacriter bona credita expectantis ex Dei benignitate. Gratia enim Dei, vt inquit Apoſtolus, vita æterna. Non poteſt autem ſperare, niſi amet. Spes enim boni amati expectatio eſt. Perfectiſſima igitur virtus Charitas eſt, cui cæteræ uirtutes, vt veræ, ac germanæ virtutes ſint, propè referunt acceptum. Diximus autem vnà cum ſpe, & fide charitatem eſſe virtutem, id eſt bonum habitum; quoniam Thomæ Aquinati Theologorū principi aſſentimur, ſpiritum quidem ſanctum affirmanti charitatis perennem fontem eſſe, qui etiam ſemper nos in charitatis muneribus fungendis iuuet: Sed tamen in anima noſtra quemdam habitum eſſe ponendum; quo formati diligamus, atque amemus: ne tanquam inſtrumenta quædam omnem vim extrinſecus accipientia videamur. Cum au-*

*tem hæ tres virtutes in Deo, tanquàm in re obiecta verſentur, in Deo autem nihil ſit neque nimium, neque parum, nullus profectò eas in medio, quemadmodum in virtutibus moralibus eueniebat, conſiſtere, arbitrabitur. Euentu potius quodam fit, vt fides inter duas hæreſes contraria incedat, & ſpes inter nimiam confidentiam, ac deſperationem. De Charitate autem præclarè Bernardus modus charitatis eſt non habere modum. Quod autem de virtutibus Theologicis diximus in medio illas non conſiſtere, conuenit etiam virtutibus ad intelligentiam pertinentibus, Nam cum illæ in vero, bonoquè inſpiciendo ſint occupatæ, in veritate autem, ac bonitate non ſit, neque nimium, nequè parum; profectò, vt rectè monebat Aſpaſius, non mediocriter, ſed quàm maximè poſſumus, veritatem, ac bonitatem cognoſcere omni ſtudio niti debemus. Quod ſi Apoſtolus præcepit, non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem, idem his verbis ſignificari puto, quod illis Terentianis. Hæ iſti faciunt, vt multum intelligẽdo nihil intelligãt. Non enim quod Apoſtolus appellat nimium ſapere, ac Terentius multum intelligere, ab excellenti cognitione prouenit, ſed potius ex tenui quadam, planequè ſophiſtica ſubtilitate.*

*Prudentiam fortaſſe ea ratione in medio collocatā eſſe ſtatuere poſſumus, quòd idem ferè, vt præclarè in extremo cap. primi lib. μεγάλων ἠθικῶν docebat Ariſtoteles, prudentiæ, ac virtutibus moralibus eſt propoſitum. Prudentia enim ea eſt, quæ appetitui, vt mediocritatem in affectionibus ſerues, imperat: ac fines præſcribit, quos vltra, citraquè nequit conſiſtere rectum. Seruatur autem hæc mediocritas ex virtutis moralis habitu. Cæterum, vt eò redeamus, vnde temerè digreſſi videri poſſumus, virtutes Theologicæ, veræ omninò, & perfectæ virtutes cenſendæ ſunt, veræq́ felicitatis effectrices, veraq́ item, ac germana Theologia illa, quam de Chriſto Dei filio accæpimus; ad quam tamen, priorem illam naturali ratione fultam multum conducere ex Theologis noſtris, qui innummerabilia propemodum ab Ariſtotele accipiunt, patere poteſt. Illud modò ſtudio caueamus, ne rationi naturali, quàm diuinæ autoritati maiorem fidem habeamus. Nullum enim firmius argumentum, ac grauius reperiri poteſt, quàm Dei teſtimonium, qui nec fallere propter bonitatē, nec falli ob ſapientium poteſt.*

cap. 11. *Humanæ autem Theologiæ tractationem in id tempus differre neceſſarium ferè eſt, cum & bonis moribus præditi erimus, & in ſcientijs mathematicis, ac phyſiologia magnos progreſſus fecerimus.*

Nam boni mores efficient, vt animus à cupiditatũ tumultu liber, attentius, incumbere in contemplationem queat, & ſcientia rectè vtatur. Mathematicæ autem diſciplinæ mentem noſtram exacuunt, & ad incorporea intelligenda reddunt expeditiorẽ, atq; habiliorem. Phyſiologia autem, & ipſa per ſe eſt expetẽda: nulla enim ex rebus naturalibus adeò exigua, ac vilis eſt, quin in ea aliquid interluceat diuinitatis; & ab ea ducuntur argumenta ferè omnia; quibus inſtructi in humana Theologia Dei naturam aliqua ex parte aſſequi poſſimus. Miniſtra autem, & comes omnium diſciplinarum eſt Dialectica; qua, antequã ad vllam diſciplinam capeſſendam aggrediamur, præcultos, & præparatos nos eſſe oportet. Hæc enim, dum nos res omnem apta explicare definitione, atq; in ſuas partes diſtribuere, & certas argumentandi rationes docet; ad rerum omnium naturam inueniendam clariſſimũ lumen præfert, atquè iter patefacit. Addit M. Tullius eloquentiam; ſed ea homini politico eſt accommodatior. Sapienti quidem ſatis eſſe debebit, ſi purè loquetur; & proprijs, & maximè ſignificantibus verbis vtemur; pompam quidem oratoris, & inſignem ornatum conſultò fugiet. Tot igitur ſunt mentis noſtræ virtutes, id eſt habitus, quibus illa confirmata in rebus, quæ ſub intelligẽtiam ſuam cadunt,

egregiè præſtat officium ſuum. Propriè tamen, vt ex eodem primo libr. μεγάλων ἠθικῶν colligi poteſt, prudentia, ac virtutes morales virtutis ſibi vendicant nomen; quòd ijs carere nulli homines debeant; atq; ex ijs laudem aſſequantur. Quòd ſi omnium animi habituum vis, & natura per ſe ſpectetur, & expendatur, nihil ſapientia diuinius, nihil optabilius reperiri poſſe exiſtimare debemus; quod ſequenti libro conſtabit.

cap. 22. Hæc de animi virtutibus, vt vis felicitatis benè perciperetur, tractanda eſſe duximus; Addamus aliquid de honore, et voluptate, quoniam hæc etiam non parum felicitatem faciunt, capita tantum earum rerum, quas alibi copiosè tractauimus, perſtringentes. Voluptas nihil aliud eſt, quàm expletio facultatis cognoſcentis ex perceptione rei obiectæ, quæ ipſi facultati apta quadam proportione reſpōdeat, et ſit quã maximè cōſentanea. Sic tactus, ſic guſtus ſic oculorum ſenſus, ſic mens maxima tunc voluptate perfunduntur, quando rem ſuæ naturæ familiarem, atquè accommodatam percipiunt. Nam quemadmodum Ariſtoteles octauo Politico dicebat, id cuiquè iucundum eſt, quod eius naturæ proprium eſt, & accommodatum. Ea autem voluptas, quæ ad tactum pertinet, omnium impuriſſima eſt, ac diligenter ab ea, tanquàm ab aureo poculo, in quo ve-

*nenum lateat, cauendum. Ea autem, quam mens ex virtute agendo, aut res preſtantiſsimas contemplando capit, vera, ac germana voluptas eſt, ac diuino illi beatarum mentium gaudio quam ſimillima. Differt à felicitate eo pacto, quo in ſecundo lib. de vera, & falſa voluptate, & copioſius etiam in ſequente libro oſtendemus. Honos autem indicium eſt opinionis, quam is qui colit, de eius, quem colit, bonitate, ac beneficentia habet. Indicia autem ſunt, deducere, reducere, aſſurgere, ſtatuam ponere, templa ædificare, quæ omnia tùm demum veri honores cenſeri debebunt, cum à ſumma quadam colentium beneuolentia, charitate, obſeruantia proficiſcentur. Hoc enim illud eſt, quo amplius, maiusq́; premium virtuti tribui non poteſt. Omnia, niſi me mea fallit opinio, expoſuimus, quæ ad felicitatis naturam comprehendẽdam neceſſaria erant; quamobrem ad illam explicandam aggredi iam tutò poſſumus.*

# FLAMINII NOBILII DE HOMINIS FELICITATE AD PIVM QVARTVM PONT. MAX.

## Liber Tertius.

MAGNAM Pie Quarte Pontifex Maxime rerum optimarum, pulcherrimarumq; copiam ſuperiore libro propoſuimus; quas ſi non per verborum inuolucra, atq; integumenta perſpiceremus; ſed per ſe res ipſas quales, quantæquè ſunt, intueremur; mirifico quodam animi ardore incitaremur ad conſequendum. Nec verò, vel tenuem illarum umbram in nobis non multum poſſe exiſtimarim. Nam, quemadmodum ſolis lux, etiam ſi nubibus impediatur, emicat tamen nonnihil, viasquè, & itinera, quibus proficiſcamur, commoſtrat: vita virtutis natura præſtans, atq; egregia forma leui tantum penicillo adumbrata animos tamen noſtros mirabiliter illuſtrat, aditumq; nobis aperit ad veram, germanamq; felicitatem. Quãquã non defuturos arbitror, qui mediocritatem illam, quam non ſemper eandem eſſe diximus, ſed pro temporum, perſonarumq;

*rumq́; diuerſitate variari, formulasq́; illas, quibus omnem vim virtutis definiumus, vt in omni re, cui, quomodo, quatenus aliquid fieri deberet, obſeruaremus, irridebunt. Vt enim medicus ille parum ab imperito, atq́; idiota differre videatur, qui bonam te valetudinem conſeruaturum aſſerat, ſi qualibus cibis expedit, & quando expedit, vtaris, neque præterea addat aliud; ita nos ridiculi iudicabimur, qui in virtutis natura declaranda formulas illas cuiuis è populo notas afferamus; quibus autem modis illæ ſeruentur (quod vt non factu facillimum, ita multò neceſſarium erat) non oſtendamus. Qui igitur nos reprehendant per multos fore, tantum ab eſt, vt metuam, vt potius ſperem. Cupio quidem certe. Impudens enim ſim, ſi meliore conditione, quã Ariſtoteles, cui idem vitio datum eſt, eſſe poſtulem. Facile autem ille & ſuam, et meam, qui illum ſequor, cauſam defendit. Concedit enim nimium vniuerſe dici, ſi illæ tantum conditiones afferantur. Verum duo imprimis præcepta ponit, quæ ſi ſeruentur, vix fieri poterit, vt erremus vnquàm, atque à rectà deflectamus via. Primum eſt, vt partem illam animæ noſtræ, quæ ratione caret, ita cohibeamus, vt rationis vix eſſe expertem ſentiamus, quũ rationi ſemper obediat, dictoquè audiens ſit. Id ſi conſuetudine, præclaraq́; inſtitutione quã quidem ipſe magna ex*

parte docet, aſſequemur; facilè mens nulla à ſenſibus cupiditatequè, caligine interpoſita, quid in vnaquaque re verum, bonũque ſit, diſpiciet, illaſquè, honeſti formulas ſeruabit. Alterum præceptum eſt, vt ea ſequamur ſemper, quæ, vt Deum colere, atque contemplari valeamus, efficiunt; fugiamus autem illa, quæ à Dei contemplatione, & cultu nos auertunt. O diuine Ariſtoteles, quot, quantaquè tua ſunt erga humanum genus merita. Tu ſemper tui ſimilis es: Tu eadem præſtantis ingenij vi rerum naturam indagans omnibus ſemper veſtigijs aſſequeris, ac vitam, moresq; hominum optimis præceptis formas: Tu animos noſtros præparas ad veram religionem. Quamobrem non iniuria ſapientiſſimos homines dixiſſe crediderim te idcirco ante Chriſti ſeruatoris noſtri aduentum de cælo eſſe delapſum, vt multis erorribus, qui in animis hominum plane hæſerant, expulſis, ad veras poſtea illius voces non obſurdeſceremus. Duobus quidem præceptis illis, quæ modò commemoraui, vt reliqua omittam, nihil ſtatuo reperiri poſſe magis ſalutare; ijſque ſeruatis non dubito, quin auream vbique mediocritatem, omnesquè honeſti formulas commodiſſime tueamur. Cæterum multa alia ad hanc rem facientia præcepta ſummus ille vir tradit, quæ omnia alijs fortaſſe libris cumulatius tractabuntur. Nos

*autem ſuſcæpti operis ratio ſatis excuſat. Virtutũ enĩ naturã eatenus adumbraſſe, et quaſi informaſſe ſatis fuit: quatenus felicitatis materiẽ cõſtituere neceſſe habebamus. Nũc reliqua, quæ propoſuimus, perſequamur. Quo quidẽ loco nõ tàm mehercle videtur adhibenda diligentia, quã vota facienda. Agendum eſt enim de vi, ac natura mentis noſtræ, quòd ea ignorata nec felicitatis etiam, quæ in contemplatione conſiſtit, quòd hæc mentis perfectio eſt, naturam tenere queamus. In qua tractatione non modo veritatem ipſam intueri difficillimum eſt; ſed etiam quæ cuiuſquè ex primarijs philoſophis, parique autoritate præditis ſententia fuerit, diuinare, ferè nefas: ita ſibi ipſi parum videntur conſtare, nec ſatis quid potiſſimum ſequerentur, exploratum habuiſſe. Tentabimus tamen. Egreſſis enim ſemel extra modeſtiæ fines, non eſt amplius receptui locus. Verum, priuſquàm iſta conemur attingere, ea, quæ de ciuili felicitate adhuc dici debent, ſunt in vnum colligenda, multæq; explicandæ quæſtiones. His enim, quæ faciliora ſunt, abſolutis, animo magis vacuo, ac ſoluto, in ea, quæ maiore egent opera, incumbemus.*

*Felicitas ciuilis, vt primo, et ſecũdo lib. diximus, præ*
cap. 1. *cipuè in prudentia cõſiſtit. Prudentia autẽ tùm in ſe ipſo ad omne virtutis munus inſtruenda, tum in regenda familia, tùm in rep. egregiè adminiſtranda*

*cernitur. Nec profectò, ut Plato dicebat, melior ulla deliberatio eſt, quã quæ de ſua ipſius, ſuorumq́ inſtitutione ſuſcipitur. Vir autem ille, qui hanc ſibi felicitatem comparare ſtudet, verè pars eſt ciuitatis. Partes verò ad totum, quemadmodum ſæpe nos docuit Ariſtoteles, tanquàm materies ad formam referuntur; & quanquã propria aliqua forma ſint præditæ illa tamen forma à totius forma pendet, illiusquè cauſa fuit procreata. Non enim alia de cauſa manus, oculi, pedes ſuam formam peculiarem habuerunt, quàm ut uniuerſum animal benè ſe haberet. Ergo ſi vir ille, qui in cætu hominum ſibi viuendum duxit, ac ſociabile, ciuileq́ animal appellari gaudet, continuò pars quædam ciuitatis euadit, ut certè euadit, partes autem ad totum referuntur. Profectò præcipuum illius munus, atq́ officium erit Reipub. curam, procurationemq́ ſuſcipere, ac pro ea cuſtodienda, atq́ ornanda libenter omnes labores ferre, omnia pericula adire, mortem ipſam non expaueſcere. Ex quo verè Ariſtoteles ſeptimo Politico, obſeruauit ornatiſsimos viros et ſua, & patrum memoria duo potiſsimum vitæ genera proponere ſibi ſolitos eſſe, philoſophicum, ſi in ſolitudine, politicum, ſi in hominum cõmunitate ſibi eſſe viuendum iudicauiſſent. Homini igitur ciuili & propria virtus, & familiæ ſuæ boni mores tùm per*

*ſe, tùm ob illam quoquè cauſam ſunt expetendi, vt Reip. ſuæ plurimum proſit. Quare ciuilis hominis felicitas à ciuitatis ſuæ felicitate magna ex parte pendet, non parum etiam à felicitate ſuorum, id eſt cognatorum, & amicorum. Nam & inter cognatos, et inter amicos, illhic ob naturæ coniunctionem, hìc propter ſimilitudinẽ morum, naturalis quidem amor eſt, vt alter alterius bonis lætetur & malis offendatur, tanquàm ſuis. Quamobrem iure optimo M. Tullius verius, & grauius ſe eluxiſſe patriã affirmabat, quàm vlla vnquàm mater vnicum filium. Meritò etiam Chremes apud Terentium hæc imprimis Cliniæ bona cõmemorabat, miſerum? quem minus credere eſt?*

*Quid reliqui eſt, quin habeat quæ quidem in homine dicuntur bona?*

*Parentes, patriam incolumen, amicos, genus, cognatos, diuitias. Quanquàm de hoc poſtremo bono ſuo loco videbimus. Vix igitur felix, aut ne vix quidem cenſeri queat ille, qui, vt eſt apud alium poetam valdè bonum.*

Finibus extorris, complexu auulſus Iulî
Auxilium imploret, videatque indigna ſuorum

Funera. *Multò etiam minus felix erit, ſi improbos mores videat familiæ, aut patriæ ſuæ. Ex quo iuſtiſſimæ fuerunt ſummi illius prophetæ Hiere*

*miæ querelæ, & lamenta. Ponamus igitur ab optimo ciuilis hominis ſtatu & propriam, amicorumq́, et ſuorũ ciuiũ excellentem requiri virtutem. Requiri etiam corporis bona, non quidem reip. cuius improprie corpus eſſe dicimus; ſed ſui, & eorũ, quos amat. Nam ciuilis homo quum non ſola viuat mente, ex animo, & corpore conſtitutus intelligitur, idcircoq́ etſi multò pluris animũ, & illius bona æſtimet, quã corpus, & corporis bona, tamen neque hæc etiam reijcit, aut aſpernatur; quinimò & per ſe expetit, prout primo libro diximus, & veluti virtutis ornamenta, quemadmodum de pulchritudine dicimus.*

Gratior, & pulchro veniens in corpore virtus.

*Et poſtremo tanquam ad eiuſdem virtutis omne officium præſtandum accommodata, planèquè neceſſaria. Nam qui firmis lateribus non erit, quî diſſentientis plebis impetum longa, vehementiq́ oratione retardare, quî populum à vitijs reuocare, ad virtutem acriter cohortari poterit? Qui item toto corpore erit imbecillo, quomodo remp. in ſummũ adductã diſcrimen belli armis tuebitur? Ergo bona valetudo; et robur tũ in nobis ipſis, tùm in ijs, quos diligimus, & per ſe, & ob alias cauſas ſunt expetenda. Quo loco illud animaduertatur nõ poſſe ciuilem hominem à nobis tanquã ſolutam, et ſimplicem quandã mentem conſiderari. Is enim aſsiduè virtutum, quæ ad*

*mores pertinẽt, muneribus fungi debet; quæ quidẽ virtutes in affectionibus, affectiones autem in corpore ſitæ ſunt, & ab illius temperamento plurimum pendent. Quocirca iſtud proprium, peculiareque eſt mentis noſtræ, vt duplicem vitam habeat, alteram in ſe ipſa, alteram corpori cõiunctam. Si per ſe ſpectetur, in Dei cognitione, prout videbimus, conquieſcit, & vocatur interior homo; ſin coniuncta corpori, non ipſa ſola, ſed vnà cum corpore naturam noſtram conſtituit; quare vtriusq; bona per ſe (ſi de exteriore homine loquamur) à nobis optantur. Quãquã enim extremo Eudemiorum libro aſſerat Ariſtoteles ita ſe corpus ad animum habere, vt ſeruum ad herum, atque inſtrumentum ad artificem, rurſusque corpus animæ congenitum inſtrumentum vocet, ita tamẽ nos illius ſententiam interpretemur, vt corpus animi quidem inſtrumentum, hominis autem partem eſſe intelligamus, viliorem tamen, atquè ignobiliorem partem. Ex quo ab eodem ſummo præceptore in Politicis dicitur animantis magis eſſe partem animam, quàm corpus. Verum de hac re dabitur etiam inferius dicendi locus. Nunc bona externa expendamus, quæ alio nomine Fortunæ bona ſolere appellari primo libro diximus, quòd illorum ſine dubio domina eſſe Fortuna videatur; quales perſpicuè ſunt diuitiæ, & opes.*

*Has quidem primo etiam libro ſtatuimus nullo pacto eſſe per ſe expetendas, ſed propter cõmoditates, quibus diuites; opulentiq; abundant, & ad illum præcipue vſum, vt liberalitatis, ac beneficentiæ muneribus fungi poſſimus, vt nos, familiamquè noſtram virtutibus, ac diſciplinis exornemus, vt Reip. ſimus adiumento, & ornamento. Abutimur autem perſæpe aut ad immodicas voluptates comparandas, aut ad Reip. ſtatum conuellendum. Quamobrem vt veſtes, quibus induimur, nos non calfacerent, niſi à noſtri corporis calore ipſæ prius calfactæ eſſēt; ſic diuitiæ nobis ornamento, ac bono eſſe nõ poſſunt, niſi nos prius illas ornemus, & quaſi bonas reddamus, ex præſcripto virtutis vtentes. Non erunt igitur opes, & diuitiæ partibus felicitatis annumerandæ, ſed tanquam inſtrumenta virtutis requirentur. Eadem ferè ratio nobilitatis eſt, quæ maximè ornat virtutem, minus inuidiæ reddit expoſitam, multas què illi, & præclaras occaſiones præbet ſe ſe oſtendendæ, ac patefaciendæ. Eadem etiam honorum, ac poteſtatum ratio. Hæc enim minimè per ſe expeti debent, cæterum tanquàm noſtræ virtutis teſtimonia, & benè gerendæ Reip. occaſiones.*

cap. 2. *Honoris autem vocabulum quemadmodum vulgò accipi ſolet, accipimus, magiſtratus ſcilicet, atquè dignitates ſignificantes. Nam ſi de hominum amore, &*

*re, & charitate intelligamus, quam verè honorem appellari Plutarchus dixit, profectò aliter ſtatuere debemus. Hæc enim per ſe ipſa eſt ſummoperè expetenda; Quod hinc patere poteſt. Animus expetit per ſe bona corporis, quoniam corpori natura coniunctus eſt. Ita homo hominum beneuolentiam, pietatemquè per ſe expetere, plurimumquè facere debet, quoniam naturalis quædam cognatio, coniunctioquè inter omnes homines intercedit, atquè ex illis quaſi membris, tanquàm vnum humanitatis corpus efficitur. Ex quo Ariſtoteles amari per ſe eſſe optabile dicebat. Maior adhuc naturæ coniunctio eſt inter ciues, inter amicos, inter propinquos, inter parentes, & filios. Quarè illorum felicitas noſtræ felicitatis pars eſt, nec ſane exigua; illorumquè calamitates noſtræ etiam ſunt quodammodo calamitates. Hinc non iniuria M. Tullius in partitionibus oratorijs, quas iam ſenex conſcripſit, charitatem, & amorem bonis externis non adnumerauit, ſed quaſi quandam materiem ſubiectam honeſtati poſuit, & bonum internum ſtatuere viſus eſt. Omnino enim ſi conſideremus quemadmodum etiam primo libro diximus, communem tanquam humanitatem corporis vnius ex omnibus hominibus conſtitui, hanc hominum, interſe beneuolentiã, & charitatem, internum quoddam bonum & per*

*ſe expetendum iudicabimus. Requiruntur autē ad noſtram felicitatem parentum, filiorumquè virtus, ac dignitas, et propinquorum, affinium, amicorum, clientū copia, etiam propter illam cauſam, vt maiore ſimus autoritate in rep. quam quidem autoritatē magni ponderis eſſe ad Remp. quietè, tranquilleque administrandam nemo dubitat. Adhuc de vulgari genere amicitiæ loquuti ſumus. eſt autem altera veriſimæ amicitiæ ſpecies, de qua ſecundo libro nonnula diximus, quæ nihil aliud eſt, quàm ſummus quidam, tempore què, & conſuetudine confirmatus amor mutuus duorum, aut ſummum trium à morū, virtutisq; ſimilitudine profectus. Quòd ſi omniū, hominū beneuolentia eſt expetenda, vt oſtendimus maiorem quemdam in modū talis viri, qui ſtudijs ijsdē teneatur, eademquè virtute ſit præditus, amor erit exoptādus. Nam ſi æra, & lapides, qui alicuius egregij artificis opera noſtram faciem referant, amamus, certè multò magis noſtri effigiem non mutam, ideſt amicum diligere, vel ſummo potius amore proſequi debebimus. Vt omittam, quod tamen non eſt minimi faciendum, mirabiliter nobis prodeſſe amicum, & in aduerſis, & in ſecundis rebus, vtiliſsimas eſſe illius admonitiones, iucundiſsima beneficia, quæ aut ab illo accipimus, aut in ipſum cōferimus, alterū alteri ad colendā vir*

*tutem, atq; ad euitandum dedecus eſſe incitamentū. Atqui amicus nullo pacto bonum externum dicetur, quum in duobus corporibus eadem anima, ut ueteri prouerbio dicitur, habitare uideatur. Reſtat ut de libertate aliquid afferamus, ecquid cauſæ ſit, cur tã ardenter expetatur, inueſtigantes. Prudentia ita propria hominis uirtus eſt, ut qui ea caret, prout primo libro declarauimus, humanitate carere dici queat. Idcircò tam etſi in artibus, & ſcientijs concedamus multis, ut nobis peritiores ſint, ac magis intelligentes, in ipſius tamen prudentiæ laude; quaſi cum de ea agitur, de propria cuiusquè ſalute, & incolumitate agatur, concedimus nemini: ac ſæpe numerò Reges, & Cæſares repræhendimus, quòd multa à nobis longè melius, quàm ab illis gerantur, geri potuiſſe, exiſtimamus. Quæ innata, ac penitus inſita prudentiæ opinio efficit, ut non libenter ex unius prudentia, & conſilijs uniuerſam pendere Remp. uideamus, dolentes nimirum deeſſe nobis noſtræ uirtutis, ac prudentiæ oſtendendæ facultatem. Hùc accedit, quòd natura, ut acrius ad artes, ſcientiaſq; omnes excolendas incitaremur, indidit nobis quãdam alios excellendi auiditatem, ut uix etiam parem, ne dum ſuperiorem ferre aliquẽ æquo animo poſsimus. His de cauſis uidetur expetenda libertas, illiusquè amor à natura nobis eſſe ingenitus.*

*Verum multa commoda ſunt in regno, ac principatu vnius, quibus hic dolor, quē ex eo capimus, quòd alteri parere cogamur, facile compenſetur. De qua re in Politicis accuratius agemus.*

cap. 3. *His probè fixis, atquè ſtabilitis iam quomodo ciuilis felicitas bonum perfectum definiri queat, et quod homini ſatis eſt, et per ſe expetendum, quas omnes conditiones neceſſariò in felicitate requiri primo libro diximus, apparebit. Nam in virtutibus, quæ ad mores pertinent, multòquè magis in illarum regina Prudentia excellens quædam perfectio ineſt, cū hominem in ſua natura retineant, quæ perfectiſsima eſt, non autem in plantas, aut belluas conuerti ſinant. Quòd ſi prudentiæ, & virtuti reliqua omnia bona adiungantur, ita tamen, vt omnibus præſit, ac moderetur prudētia, mirabilis quidam decor, ſingularis perfectio elucebit; præſertim cum ad noſtra bona amicorum etiam, propinquorum, patriæq; ipſius bona acceſſerint. Hoc autem ipſo, quod felicitas perfectum bonum exiſtit, ſequitur etiam, vt homini ſatis ſit, nequè ipſi ſoli, verum parentibus, liberis, coniugi, atque; vt ſemel dixerim, amicis, & ciuibus, quibus etiam, vt Plato dicebat, natus eſt. Tot enim, tantaquè felici adeſſe volumus, vt familiam liberaliter educare, patriæquè laboranti ferre ſubſidium valeat. Nec propterea tamen Craſſi di-*

*nitias neceſſarias iudicamus. Fieri enim poteſt, quemadmodum dicebat Ariſtoteles, vt etiam ij, qui maris, & terræ imperium non habent, ſed bonis externis mediocriter inſtructi ſunt, quæ virtuti, atquè honeſtati conſentanea ſunt, adminiſtrent, & familiam ſuam liberaliter inſtituant, & Reip. plurimum proſint. Quamobrem, cum in felicitate copiam quamdam bonorum ponimus, quæ homini ſatis ſit, quà etiam ſuis, & patriæ viuit, non immenſum quoddam, atque infinitum animo concipimus, ita vt poſteris etiam omnibus, atq; amicorum amicis debeat ſuppetere; ſed tantam intelligi volumus, quanta ſufficiat ad ea, quæ ad bonum patrem familias, bonumquè ciuem pertinent adminiſtranda. Quocirca vt Ariſtoteles primo libro de moribus ad Nichomachum dicebat (eſt autem locus ſatis obſcurus) poteſt etiam ad hanc perfectam, quæquè homini ſatis ſit, felicitatem, fieri acceſſio quædam. Nos enim, ne res in infinitam abeat, certum quemdam in bonis externis finem conſtituimus. Quòd ſi aliquid ad eam bonorum ſummam accedat, videtur etiam felicitas augeri, & maior effici, aut certè quiddam addi ad felicitatem. Cæterum ſi perfecta virtus adſit, & aliorum bonorum copia, quæ homini ſatis ſit, quẽadmodum diximus, parua ſemper erit, atque exigua acceſſio omnis. Quare non eſt, quòd*

*ad illam rationem te conferas. Perfectum vndiq; bonum eſt, cui nihil addi poteſt. Felicitati aliquid addi nihil vetat: ergo felicitas perfectum vndiquè bonum ſtatui non debebat. Reprȩhēditur enim hæc argumentatio; quoniam exiguum, atquè exile quid dam eſt, quod accedere ad felicitatem poteſt, vt ſatis ipſa per ſe ſit abſoluta, nulliusquè rei indigens, ac ſuis viribus pollens.*

cap. 4. *Quamquam accuratè perpendenti Solonis fortaſſe ſententia probanda videbitur, qui beatos pronunciabat eos, qui mediocriter bonis externis inſtructi eſſent. Bona enim Fortunæ ſi mediocritatem non excedant, rationi facilè obtemperant. At ſi excedant, vt præclarè quarto Politico dicebat Ariſtote les, difficillimè. Vitam etiam noſtram inuidis, & aſſentatoribus nimium propoſitam reddunt. Quòd ſi in animantis corpore nimium excreſcente alicuius membri magnitudine, totius corporis compoſitio, at què decor peruertitur: profectò ciuitatis etiam ſtatum, quæ quidem ciuitas quaſi corpus quoddam eſt ex ciuibus ſuis, tamquàm membris conflatum, cõturbari neceſſe eſt, ſi aliquis exiſtat magna exter norum bonorum exuperantia inter cæteros ſuprà modum conſpicuus. Atquè omnino diuitiæ tanquàm inſtrumenta virtutis ſunt. At inſtrumenta, prout in cunctis artibus videre licet, neque*

*multitudine, neque magnitudine ſunt infinita. Id autem ita ſe habere illud ſatis argumento eſſe poteſt, quod ab Ariſtotele eſt obſeruatum, optimos legumlatores, Solonem, Lycurgum charondam, & alios penè omnes bonis externis mediocriter fuiſſe inſtructos. Non eodem autem pacto virtutis maximum incrementum vitari debet. Singula enim bona animi quò maiora, atque ampliora, eò etiam magis frugifera, atque vtilia ſunt, ſi non illis honeſti modò, verum etiam vtilis nomen eſt imponendum. Neque nos virtutis præſtantia nimium elatos, ac ſuperbos reddit, ſed humaniſſimos, atque leniſſimos; cuius rei ille idem Ariſtoteles, qui omnia ſemper præclarè, veriſſimam cauſam attulit. Virtutis enim eſt in medio conſiſtere: quamobrem quò magis virtus erit, eò magis tuebitur mediocritatem, nosque politiſſimis, ac modeſtiſſimis moribus eſſe iubebit. At enim dices: excellens virtus magnos honores parit, qui quidem honores inter bona externa connumerantur. Ergo creſcente virtute creſcent etiam externa bona, à quorum tamen incremento deteriores, improbioreſque nos reddi diximus. Quæſtio eſt, niſi fallor, ſatis obſcura; videturque etiam pugnare, quod ab Ariſtotele perſæpè in Politicis, dicitur, mediocritatē bonorum*

*externorum eſſe eorumdem exuperantia optabiliorem, cum eo quod ſecundo Eudemio ſcribitur probum virum in maximis honoribus, atquè imperijs optimè ſe geſturum. Mihi huc, & illhuc mentem cogitatione verſanti hoc demum pacto hic nodus diſſolui videtur poſſe. Aut de perfecta, planequè heroica virtute loquimur, aut de paulò imperfectiore: ſi de perfecta virtute ſermonem faciamus, tantùm abeſt, vt illi exuperantia bonorum externorũ noceat, vt illam potius ornatiorem reddat, atquè ad benè de humano genere merendum magis, vt ita dixerim, promoueat; nequè ſuperbiam, atquè animi elationem parit. Sin de altera illa intelligamus nõ integra, nequè omnibus numeris abſoluta, mediocritas fortunæ eſt optabilior. Nam ſi exuperantia diuitiarum, opum, honorum acceſſerit, facile euenire poteſt, vt hæc plus valeat ad nos auferendos, dequè manſuetudinis, atque humanitatis ſtatu deijciendos, quàm mediocris illa virtus ad nos in officio retinendos. Ita caſu quodam fit, vt virtus nos deteriores reddat, ijs ſcilicet affecta honoribus, quos deinde pulchrè ferre non queat. Quare hunc in modum diſputationem noſtram concludamus, verè felici, atquè integra virtute prædito mediocrem fortunam neceſſariam eſſe, auctis tamen, & amplificatis externis bonis, ipſam quoquè felicitatem amplificatum*

*pliſicatum nonnihil iri. Verum hanc acceßionem non tanti eſſe, quin anteà etiam perfectum illa bonum ſequè ipſo contentum vocari poſſet. Ex his duabus felicitatis conditionibus illam quoquè ſequi ſuperius poſuimus, vt maximè ſit per ſe expetenda. Non enim poteſt non ſummè ab homine illud expeti, quod ipſius abſolutio, atquè expletio eſt. Quamobrem primo libro aſſerebamus felicitatem eſſe præſtantißimum bonum ſecunda illa notione, quã Ariſtoteles in tractatione illa de moribus, quæ magna inſcribitur, obſeruauit. Superat enim, & excellit omnia tùm animi, tùm corporis, & fortunæ bona, quemadmodum totum excellit partes.*

cap.5. *Sit igitur hæc ciuilis felicitatis definitio, perfectum hominis, quà ad ciuilem ſocietatem natus eſt, bonũ, quod què illi ſatis eſt, & ab eo duntaxat per ſe non ob aliud quiddam ſummè expetitur, pẽdens autem præcipue à rectè, prudenterquè factis. Inter quæ etiam recte facta ordo quidam eſt. Nam vſus virtutis alius eſt, non ſimpliciter perfectus, qui verſatur in rebus neceſſarijs, vt in pænis irrogandis (hunc autem virtutis vſum, quemadmodum etiam bellum optabile eſt in Repub. non exigi, ac requiri) alius ſimpliciter perfectus, qui in præmijs perſoluendis, opibus, atquè honoribus diſtribuendis verſatur. Ab hoc præcipuè virtutis vſu verè*

*ſeptimo Politico affirmabat Ariſtoteles proficiſci felicitatem, deinde à corporis præclaro habitu, & à mediocri bonorum externorum copia. Addas autem quæ primo libro recenſuimus, diuturnitatem quandam, & perfectæ vitæ proſperitatem, talem inquam, quæ vſque ad extremum vitæ diem hominem comitetur. Ab hoc ſummo bono illam, quam animi tranquilitatem vocamus, nunquam diſcedit; ſequitur enim felicitatem, tanquam vmbra corpus: eſt autem enim aduerſio quædam, & agnitio bonorum ſuorum. Nam cum animus nullius ſibi culpæ conſcius eſt (cuius quidem conſcientiæ ſolitudine, & angore non ſecus vexamur, atque Athamantes illi, atque Oreſtes furiarum tædis ardentibus agitarentur) cumque videt excellentem præſtantiam ſuam, nec virtutis inſtrumenta deſiderat, & ſuis etiam prodeſt, qui non tranquillus, quietus, pacatiſſimus eſſe poteſt? Nam ſicuti mare tunc tranquillum dicimus, cum nullis agitatum vehementioribus ventis ita placidè mouetur, vt vix in vtram partem fluat, oculis dijudicare queas, contrà autem magnam tunc eſſe tempeſtatem, cum vi, & impulſu ventorum turbatur, & efferueſcit; ſic animi noſtri permotionibus, atque affectionibus vehementioribus, quaſi fluctibus iactati, nullam capere quietem*

*poſſunt. Quòd ſi moderatas habeant affectiones, ac virtute conformatas, non ab auaritia, & ambitione, tanquàm à diuerſis hoſtibus, oppugnentur, non inſatiabili torqueantur cupiditate, ſed ſuis bonis ſatis contenti ſint; mirificam exiſtere in illis malaciam, vt ita dixerim, ac tranquillitatem neceſſe eſt. Hæc igitur animi tranquillitas aut in felicitate continetur, aut illius aſsiduè, neceſſarióquè comes eſt. Eſt enim animaduerſio, & agnitio, quemadmodum diximus, bonorum noſtrorum. Quæ res, cum de altero fœlicitatis genere tractabimus, melius etiam intelligetur.*

cap.6. *Ex his quid ſit miſeria facilè quiuis percipiet, contrariorum enim contraria ſunt conſequentia. Erit igitur miſeria ſummum malum, ſummequè fugiendum, quod primum ab imprudentia, & improbitate proficiſcitur, deinceps à corporis imbecilitate, morbo, deformitate ab odio hominum, ignominia, egeſtate, exilio, ſeruitute. Hæc enim omnia felicitati aduerſantur, non modò ſi nobis, verum etiam ob naturalem illam cognationem, quam ſuperius expoſuimus, ſi illis, quos amamus, eueniant. Nam vt extremo Eudemio dicebat Ariſtoteles, amor cognatorum idem eſt, ac ſui ipſius amor. Quòd ſi miſeriæ diuturnitatem addas vitæ hominis æqualem; ita hæc*

*ſummum, & vndiquè abſolutum malum, atquè felicitas perfectum bonum meritò ſtatuetur. Pendere autem ab improbitate potiſſimum cenſemus. Nam ſi tua tu peccata, ſi facinora, ſi flagitia, ſi ſcelera noſti, neminem vnquàm Phalaridis tormenta æquè, ac te tua conſcientia, excruciarunt; tuæquè te immoderatæ affectiones, metus, cupiditates, quaſi domeſtici hoſtes vlciſcuntur. Hinc ſiſiphi illi, Titij, Tantali. Sin vitia tua ignoras, diuturnaquè malefaciendi conſuetudine nō minus tu flagitijs tuis delectaris, quàm alter rectè factis; miſer tamen es; quòd rationem, ideſt hominis naturam exuiſti, & feritatem, atquè immanitatem belluæ induiſti. Quocircà non iniuria M. Tullius cum Antonium veriſſimis maledictorum notis inureret, ita exclamabat. O miſerum, ſi intelligis, miſeriorem, ſi non intelligis. Quo loco illud obſeruare in mentem venit, quod multos in errorem, fraudemquè induxit non eaſdem, nequè pares eſſe omnium hominum, qui ſuo viuendi inſtituto, ſuisquè factis delectantur, voluptates. Nihil dico de ſceleratorum hominum voluptatibus; nam illæ à nullo vnquàm ſano homine expetendæ iudicabuntur; ſed nequè eamdem haurire voluptatem auarus, cum ſuos theſauros attrectat, cenſendus eſt, ac Bernardinius meus cum opibus ſuis honeſtos Adoleſcentes, qui ſunt Reip.*

*ſeminaoium, optimis artibus inſtituendos curat. Nam quemadmodum qui acri oculorum acie eſt, vt alibi diximus, maiorem cernendo voluptatem capit, quàm qui hebeti, quemadmodum etiam non eædem ſunt ſomniantium, ac vigilantium volupta tes; ita infecti, ac veterno quodam conſopiti, vel cæci potius animi longè in mora eſſe gaudia, quàm vigentis, veriquè vigilantis planè neceſſarium eſt. Miſer igitur eſt non modo is, quem ſua ſcelera nunquàm quieſcere ſinunt, ſed etiam qui turpitudine, dedecore, flagitijsq́ ſuis delectatus, ſibi ipſe veræ, germanæque voluptatis, ac felicitatis poſſeßionem inuidit. Illud autem eſt intelligendum ſolam improbitatem ſatis eſſe ad miſeriam. Præclarè enim de corporis, & fortunæ bonis Terentius.*

*Atq́ hæc proindè ſunt, vt illius animus, qui ea poſ ſidet: Qui vti ſcit, èi bona, illi, qui non vtitur rectè, mala. Quamobrem ſi improbus his bonis abundet, illi mala fiunt; idcircoquè eius miſeriam tantum abeſt, vt minuant, vt etiam augeant. Quamobrem non iniuria M. Tullius miſeriorem C. Cæsarem fuiſſe exiſtimabat, quòd Remp. euertere potuiſſet illis, qui ad eam rem voluntatem tantum attuliſſent. Atquè hæc de miſeria ſint ſatis.*

cap.7. *Eſt autem ſtatus aliquis inter felicitatem, et miſeriam interiectus intermedius, quando ſcilicet alio*

*rum præter virtutem bonorum aliqua adſunt, aliqua abſunt: eòquè longius, aut proprius à felicitate aberit, quò plura, & maiora bona accedent; vel diſcedent. Quamobrem, vt inter candorem, & nigredinem innumerabiles penè ſunt interſiti colores, ita inter felicitatem, & miſeriam ſtatus hic interiectus intermedius multiplex eſt ſine dubio, multosquè gradus habet, compenſari autem commodis incommoda, mala bonis, tolerabilemquè idcirco agi vitam clarum ſatis, perſpicuumquè eſt.*

*Liberos amittimus: magnus dolor: ſed magnum etiam ſolatium, ſi amicos habeamus, quorum in ſermone, & ſuauitate dolorem illum quoddammodo deponere poſsimus. In rebus domeſticis multa ſunt, quæ nos non delectant: at in Reipubli. bonis licet conquieſcere. Premimur egeſtate: magna leuatio, ſi noſtræ tamen familiæ nobilitas aditum nobis det ad honores ac dignitates omnes, aut ſi in aliqua præclara diſciplina excellamus. Huic etiam ſtatui tranquillitas illa animi ſi minus omni, at certè magna ex parte conuenit, eòquè magis, quò à felicitate proprius abeſt; atquè in eo plurimum loci conſolationi eſt. Veriſſima autem in primis eſt conſolatio illa, quàm Plato adhibere ſolebat. Iubebat enim eos, qui multis bonis affluentes de nonnullis fortunæ in-*

*iurijs nimium lamentarentur, conſiderare, an libenter omnia bona, malaquè ſua vnà cum cæteris hominibus in medium prolaturi eſſent, & æquam deinde tùm malorum, tùm bonorum partem accæpturi: Multis enim id conſiderantibus ſuam vitæ conditionem non modò tolerabilem, ſed etiam optabilem viſum iri non dubitabat.*

cap.8. *His ita conſtitutis facilè quæſtionem illam explicabimus, poſſit nè aliquis ex felici, & beato infelix, miſerquè fieri. Nullo enim pacto poteſt: cum felicitas ſinè prudentia, & reliquis virtutibus non conſiſtat; iſtæ autem virtutes propterea quòd ſunt habitus, vt ſuperiore libro declarauimus, atquè altè radices egerunt, amitti non poſſunt. Miſerum autem cum primis illum intelligimus, qui prudentia, iuſtitia, temperantia, fortitudine ſit deſtitutus. Nunquàm igitur quis ex felicitate ad miſeriam recidet. Poteſt tamen ex beato fieri non beatus, id eſt ad medium illum ſtatum declinare, ſi multa, magnaquè corporis, & fortunæ bona, ornamentaquè, aut ipſe amiſerit, aut illi, quos amat plurimum. Nam ſi pauca, nec illa quidem magni ponderis perdiderit, retinebit tamen adhuc felicitatis, tametſi non omnino integra ſit, poſſeſſionem.*

*Quòd ſi Ariſtoteles ſecundo Politico dixit licere modicè quidem, ac temperatè, miſerè tamen viuere, improprìè vocabulum illud, miſerè, vſurpaſſe putandus eſt, intellexiſſe autem non beatè. Studeamus igitur in primis, ſi felices eſſe volumus, aut certè à felicitate non longè abeſſe, prudentiam, animiquè robur, & æquitatem nobis comparare. Tunc enim aduerſam fortunam pulcherrimè feremus; cæteroquin vt oſſa, quæ ſua natura duriſſima ſunt, ac difficillimè frangi poſſunt, ſi aceto, & cinere illinantur; vel tenui filo franguntur facillimè; ita animus noſter, qui diuinus, ac cæleſtis eſt, neq; iniurijs vllis expoſitus, ſi inertiæ, ac ſocordiæ ſe dedat, & mollitie diffluat, ſæpiſſimè fortuna reflante affligetur, & rebus omnibus aduerſis quantumuis exiguis ſuccumbet. Omnia, quæ ad ciuilem felicitatem pertinebant, ſatis ferè expoſuimus: quamuis nonnulla ex his melius cognoſcentur altero felicitatis genere comprehenſo, ad quod iam pergimus.*

cap.9. *Poſuimus ſuperius duplicem hominem de Ariſtotelis ſententia quantum ex nono, & decimo libro de moribus ad Nicomachum intelligi poteſt, eſſe ſtatuendum, vnum quidem animo, & corpore, alterum verò ſola mente viuentem, eum ſcilicet, qui ſola ſcientia, & veritate alitur. Quamobrem huius hominis felicitas ſine perfecta propemodũ mentis*

tis

*tis cognitione comprehendi non poteſt, idcircoquè vt inchoato operi, ac penè abſoluto faſtigium imponamus, de mentis natura, & beatitudine differentes, quam Ariſtotelis fuiſſe ſententiam exiſtimamus, eam primùm exponemus, non ſolum quòd nobis veriſsima videtur, ſed etiam ne rerum ſeries perturbetur, atquè interrumpatur: Deinde varias ſummorum, ac probatiſsimorum philoſophorum ea de re opinionem perpendere aggrediemur, propterea quòd cum & illas aſſequi AEdipi cuiuſdam opus ſit, & vocibus latinis exponere ſit difficillimum, magnam nos à Philoſophiæ, bonarumquè literarum ſtudioſis gratiam inituros eſſe ſperauimus, ſi ea in re extaret diligentia, ſtudiumquè noſtrum. Ea igitur, quæ mihi ab Ariſtotele ſatis videntur affirmari (res enim non eſt longius differenda) hæc ſunt: Mentem noſtram ad omnia intelligenda eſſe aptam, atquè idoneam, tùm quæ ab omni concretione mortali ſunt ſegregata; tùm quæ à materiei ſocietate liberari nõ poſſunt: Formari, vt queat intelligere, rerum intelligibilium formis, quẽadmodum ſenſus à rei ſenſilis ſpecie. Pendere autem, dum in hoc corpore ſumus, à corpore; quoniam rerum intelligibilium formæ in phantaſmatis reſident, quæ ſine corpore non ſubſiſterent; non tamen corporeo aliquo inſtrumento vti, vt ſenſum. Nam*

*tunc, qualis fuiſſet unius inſtrumenti corporei naturæ talē formā recepiſſet, non autem omnē. Nunc omnē recipit. Præterea ipſum inſtrumentū percipere nequiuiſſet, quēadmodū cernendi facultas oculū, audiendi facultas autē nō percipit: ſic rurſus non omnia intelligeret. Adde quòd neque ſe ipſam poſſet comprehendere. Nam, ut firmiſsimè a quamplurimis Peripateticis, & Platonicis eſt demonſtratum, vis, & facultas illa, quæ ſe ipſam debet comprehendere, ſe ipſam totam tota quaſi tangat oportet; quòd, ſi corporeo utatur inſtrumento, præſtare non poteſt. Poſtremò, quod ſenſui euenire cernitur, ab re intelligibili præſtantiſsima ita conturbaretur, ut ad inferiora intelligenda, non ſatis commodè ſe poſſet conuertere; neque etiam formas contrarias eodem tempore perfectè cognoſceret: pro ut guſtus, cum guſtat amarum, oblato ſtatim dulci, illud etiam amarum eſſe iudicat. Nunc autem, quoniam corporeo non utitur inſtrumento; & formas contrarias eodem ferè temporis puncto perfectè comprehendit, & ex rerum præſtantiſsimarum cognitione ad reliqua cognoſcenda fit promptior, atque expeditior. Ita mentem cum hominis forma ſit, per quā ille exiſtat in rerum natura, quod quidem Ariſtoteli exploratiſsimum fuiſſe, mihi ſatis eſt explicatum (quod ex inferiore noſtra cum Auerroe di-*

*ſputatione patere poterit) eſſe quoq; cauſam, per quã homo intelligit, et ſimul, quod ſenſibus nõ cõtingebat, ipsãmet intelligere. Facultas enĩ videndi nõ ipſa eſt, quæ videat, ſed oculus hac præditus facultate. Eſt enĩ huiuſmodi facultas eruta è materiæ ſinu, neque ſine illa poteſt aut quicquã agere, aut mehercle etiã conſiſtere. At mens noſtra extrinſecus aduenit, quẽadmodũ dicebat Ariſtoteles: Proindè ſine materia ſubſiſtit; ſine eadẽ ſuis fungitur muneribus. Quarè hanc ſolam animæ partem verè locum ſpecierum appellari poſſe cenſebat Ariſtoteles, præterea nullam; cum reliquæ nihil per ſe ipſæ recipere poßint, ſed quod ex anima, & corpore componitur, habeat hanc recipiendi facultatem, atquè ad hoc præſtandum officium ſit deſtinatũ. Has autem cæteras animæ partes vegetabilẽ inquã, et ſentientẽ, ſiue tu facultates quaſdã humanæ mentis eſſe in homine cũ Alexandro, et Latinis ſtatuas, ſiue cũ cæteris (vt opinor) græcis, & Arabibus, ipſas etiã hominis formas eſſe, ſed imperfectas, & quæ cum mente comparatæ inſtar materiæ obtineant, in præſentia non repugno. Mihi tamen ſecunda opinio longè magis probatur; Quæ res ad aliud tempus, atq; ad aliud inſtitutum, ſi vita ſuppetet, eſt à nobis diligenter pertractanda. Verùm ad mentem redeamus. Diximus illam eſſe ad omnia intelligenda paratißimam.*

*Intelligit autem, rerum formas, & ſpecies accipien do. At res multæ, quæ extrà mentem ſunt in materia immerſæ, & ſingulares, in mente fiunt quaſi materiæ expertes, & vniuerſales. In omni ortu duæ in primis cauſæ requiruntur, materies, & efficiens. Vniuerſalia in mente oriuntur, cum anteà non eſſent, (de Idæis enim Philopono aſſentior memoranti Ariſtotelem à Platone cum adhuc illum audiret, diſſenſiſſe, et cum eo multum ſæpequè diſputaſſe) ergo duplicem cauſam habeant oportet, materiem, & efficientem. Materiem iam attulimus, mentem ipſam capacem. ſupereſt efficiens inueſtiganda: qua in re diximus eſſe doctiſſimorum hominum, maximè inter ſe diſcrepantes opiniones. Equidem de Ariſtotelis ſententia eandem eſſe vim, atquè naturam mentis capacis, & efficientis exiſtimarim. Nam, quemadmodum oculi muſcipularum ſplendore ſuo collucentes primùm illuſtrant rerum colores, deindè illos recipiunt, ſic mens noſtra vi quadam, & luce propria, quam à perenni illo fonte lucis accepit, primū res ſenſiles ſibi obiectas illuſtrat, ita vt intelligibiles fiant, deindè eas accipit, & intelligit. Vt illuſtrat, efficiens nominatur; vt accipit, capax. Credet fortaſſe iſtud facilè quicumquè decimamquintam particulam, & vigeſimam tertij libri de anima, diligenter excuſſerit,*

*atq; interſe contulerit. In vigeſima enim vbi de efficiente loquebatur, inquit illam eſſe idem, quod ſcientiam actu; quod item decimaquinta de mente capace affirmauerat. Præterea in ſecundo libro de ortu animalium, cum oſtenderet, quo pacto in ſemine vegetabilis anima, & ſentiens continerentur, mentem ſolam extrinſecus accedere ſtatuit, eamq; ſolam eſſe diuinam. Quòd ſi diuerſam cenſuiſſet mentis efficientis, et capacis naturam eſſe, de vtraq; neceſſariò illi mentio facienda erat. Nequè verò perturbari quemq; velim illo philoſophorum axiomate, nihil ſimul actu, & facultate eſſe. Nam hoc, ſi aliquid cum eadem re collatum cōſideretur, verè dicitur; ſi cum diuerſis, non verè. Mens igitur efficit ſpecies intelligibiles, vel potius illuſtrat ſenſiles; accipit autem iam illuſtratas, & factas intelligibiles. Agit ergo in ſenſiles, patitur autem iam factas intelligibiles. Ita ferè ad hanc quæſtionem Thomas Aquinus, qui vir, & quantus? reſpondet; quare nequè illum à noſtra opinione crediderim multum abhorrere. Cæterum eſt quiddam in quo mihi fortaſſe cum Thoma, certè cum Marſilio Ficino Ariſtotelis ſententiam recenſente non cōuenit. Ego enim arbitror primùm accipi à mente rerum ſingularium ſingulares formas, atquè intelligi, deindè luce ſua illuſtrari, atq; vniuerſales reddi,*

*et vniuerſè intelligi. Contrà Marſilius primùm vniuerſè intelligi ſpecies illas iam illuſtratas, deindè animaduertendo, vndè ſint ipſæ ſpecies acceptæ, ſingularia etiam cõprehendi. Pro me ſine dubio ſtat Ariſtoteles, vt ne pluribus in præſenti agam, qui & in Poſterioribus Analyticis, & in Ethicis, & alibi millies, inductionẽ, qua ex rebus ſingulis de vniuerſalibus ratiocinamur, omnis cognitionis atq; ſciẽtiæ fundamentum ponit. Quare hos ego in cognitione gradus, & quaſi proceſſus ſtatuerem, vt primùm ſingularia percipiantur, deindè ſpecies rerum vniuerſales; quæ quidem res ſint primùm, et pluribus hauſtæ ſenſibus, qualia ſunt comunia illa effata, tùm paulatim mentem ad reliquarum rerum, ſuiq; ipſius cognitionem peruenire, ſpectantem quemadmodum ſpecies accipiat, & eaſdem prius illuſtret, & à ſingularibus conditionibus ſegreget; Poſtremò ad puras, ac beatas mentes præcipueq; ad primam illam præſtantiſſimam, ac ſapientiſſimam cõtemplandã accedere; cum cogitet vim, ac facultatẽ illã, qua ſpecies ſenſiles illuſtrat, atq; intelligibiles reddit, eſſe quaſi radium ſupremi illius Solis, cuius natura nihil aliud eſt, quàm puriſſimus actus, id eſt ſumma quædam lux, cuius ſplendore omnia colluceant. Sic homo menti efficienti coniunctus, id eſt illius naturam conſiderans, diuinarum mentium naturam cõprehendet,*

*cum harum illa ſit quaſi radius quidam. Quare vmbram veritatis cernebat Auerroes, non autem expreſſam ſolidamq́ effigiem: cū ex coniunctione mentis efficientis nobiſcum aſſerebat pendere noſtram felicitatem, quæ in beatarum mentium contemplatione conſiſtit.*

cap. x. *Fuit autem maxima ſemper inter Philoſophos lis, an iſtarum mētium, ac præſertim præpotentis Dei vim, ac naturam comprehendere poſſimus. Verùm non eſt meum lites, vt inquit ille, componere tantas, aut pro altero contrà alterum iudicare. Hoc meum eſt, quæ mihi ſententia magis probatur, exponere. Probatur autem Heruei inter Thomæ ſectatores acutiſſimi. Is exiſtimat non ſolùm ſcire nos, quid nomen Dei ſignificet, ſed etiam quadam ex parte naturam Dei. Sciunt enim philoſophi Deum eſſe conditorem, moderatorem, formam, finem omnium rerum, incorporeum, actum ſincerum, ſe ipſum perfectiſſimè, atquè omnia in ſe ipſo intelligentem: Chriſtiani autem præcipua quadam ipſius Dei benignitate hoc præterea, quod illius naturam maximè explicat, eſſe trinum, & vnum. Cognoſcimus ergo quadam ex parte naturam Dei, ſed non perſpicuè, quin imò à phantaſia, tanquam à craſſo quodā, & concreto aere, aliqua ſemper ſe ſe attollit nubecula,*

*quæ clarum Dei, atquè adeò noſtræ ipſius mentis, vel omnium potius rerum aſpectum impediat. Quare cum nos illum vera ratione ducti, incorporeum eſſe, ac ſimpliciſsimum affirmamus, phantaſia tamen illi figuram quandam corpoream affingit, & quandam partium compoſitionem. Quamobrem ſatis mirari non poſſum, quì tam ineptum quippiam Auerroi in mentem venire potuerit, vt fallaciſsimis ducibus ſenſibus, & phantaſia vtens, beatarum mentium naturam ſe perſpicuè intueri poſſe ſperarit. Liceat tantam ſibi felicitatem polliceri ijs, qui ſe Chriſto addixerunt, nequè omnibus, ſed ijs tantum, qui amore, et charitate ergà Deum ita flagrant, vt illo puriſsimo igne purgati omnes terrenas ſordes exuerint, ac Deo pleni ſint. Illis quidem, qui duntaxat humanis confidunt viribus, non licet. Quare ſi Ariſtotelis ſententiam explicare nobis ſatis ſit, hanc hominis ſummam conſtituemus felicitatem, vt cum præclarè fuerit inſtitutus, & bonis moribus expolitus, logicaéq; facultate, et Mathematicis diſciplinis abundè inſtructus, ad phiſiologiam accedat, vt Naturæ opera cognoſcat, ex quibus nullum eſt tàm exiguum, atquè vile, quod non aliquam præſe ferat diuinitatem; poſtremò ſapientiæ ſe dedat, id eſt in pelagus ipſum diuinitatis ſe immittat, ac Dei naturam quantum*

*ſibi*

*ſibi fas eſt, comprehendere conetur, atquè in ea iucundiſſima contemplatione quaſi nectare, & ambroſia ſaturatus, conquieſcat. Hanc fuiſſe Ariſtotelis de ſummo bono ſententiam ex decimo libro de moribus facilè intelligi poteſt; vbi & copiosè, & ſubtiliter de ea felicitate diſputans, quæ in contemplatione conſiſtit, nullum alium nobis finem, nullum aliud extremum, quò omnia noſtra ſtudia referamus, proponit, quàm ſapientiā. Quod animaduertens Iandunus non obſcuri nominis Peripateticus, poſt longam diſputationem ſummum hominis bonum in ſapientia eſſe locandum cenſuit. Quāquā in eo ridiculus eſt, quòd Auerrois quoq; ſententiam ſe tueri putat, qui manifeſtò ſcientias omnes, ac ſapientiam ipſam, quendam quaſi mentis noſtræ apparatum eſſe dixit, vt mentem primùm efficientē, deindè cæteras beatas mentes poſſet accipere, atq; ab illis formari. In hoc autem eſſe ſitam ſolidam, ac perfectam hominis felicitatem. Hæc igitur ferè ſunt, quæ de Ariſtotelis ſententia pronuntiare poſſumus, mentem noſtram eſſe immortalem, non eru tam è materia; ac ſi beati eſſe volumus, virtutibus, & ſcientijs eſſe exornandam. Verùm ſit ne vnica, an plures, & ſi plures an totidem ſint, quot homines, & ſimul cum hominibus oriantur, vel æterno tempore fuerint, & futuræ ſint, quiq; illarum ſta-*

*tus, cū è corpore exceſſerint, ſit futurus, id niſi fallor, neq́ ab Ariſt. neq́ à Platone eſt expectandū; cū ipſi de his rebus incerti iudiciū ſuū interponere veriti ſint ſed à Theologis noſtris, quos ipſamet ſumma veritas docuit. Illud iam pro cõperto habere poſſumus,*
cap. xi. *felicitatem noſtram in Dei cognitione locatam eſſe. Verùm ad hanc cognitionem, propenſio quædam voluntatis, & amor ſequitur. Nam etſi non ſequatur perpetuò cognitionem inductio voluntatis, tamen quotieſcunquè aliquid cognoſcimus noſtræ naturæ maximè accõmodatum, quodq́ illam expleat, atquè perficiat, fieri non poteſt, quin ſummo quodã amore in illud propendeamus. Nulla autem alia res mentis noſtræ naturam explere poteſt, præter Deū; cum illa quidem veritate alatur; veritas autem vndè reliqua omnia ſunt vera, nihil aliud ſit, quàm ipſemet Deus. Nam quemadmodum cum colores cernis à Solis lumine illuſtratos, atquè ob id ipſum lumen illos cerni poſſe conſideras, magna quædam ipſius aſpiciendi Solis cupiditas te inceſſit; ſic, cum quæcunquè res intelliguntur, & eſſe, & intelligi tanquam Dei quodam modo participes, & ab illo formatas, illuſtratasq́ ſciamus, fieri non poteſt, vt alibi, quàm in ipſo veritatis, ac vitæ fonte conquieſcamus. Hùc accedit, quòd hæc ſumma veritas, ſumma etiam bonitas eſt. Quare etſi mens noſtra*

*huic quidem certo, ac peculiari bono, vel illi proſequendo non eſt addicta. Poteſt enim honores, diuitias corporis voluptates appetere, & etiam repudiare, bonum tamen vniuerſe non appetere minimè poteſt (nemo enim malum expetit, quà malũ eſt) hoc autem bonum vniuerſè ſumptum, eſt ipſa natura bonitatis, quæ non differt à Deo. Non eſt igitur cunctandum profiteri Deum eſſe noſtræ naturæ expletionem, abſolutionemq́; & ſummam noſtram felicitatem. Quod ſi me reprehendas, quòd cùm propriũ hominis finem inueſtigandum ſuſceperim, nunc tamen & homini, & cæteris immortalibus mentibus cõmunem afferam (Nam Deus omnium mentium felicitas eſt) ſatis certum eſt, quo me expurgem modo. Deus cõmunis eſt omnium mentium felicitas; nõ eſt negandum: tamen fit cuiusq; mentis propria, quatenus proprio quodam, & peculiari modo à ſingulis comprehenditur. non enim omnes æqualiter comprǽhendunt, ſed quò quæq; ab illo propius abeſt, eò percipit perfectius. Ita felicitatem noſtram definire poterimus, vel Dei cognitionem, quãtam mens noſtra aſſequi poteſt, vel Deum à nobis actu cognitum, quantum cognoſci poteſt. Idem enim eſt cognitio Dei, ac Deus actu cognitus: cum ſcientia, et quod actu ſcitur, vnum quiddã euadant: quod ab Ariſto. iii. libro de Anima ſubtiliter eſt explicatum.*

Cap.12. *Verùm enim verò, cùm mens noſtra Deum in telligat, atquè in eundem tanquā in maximè optatum bonum tota propendeat, atquè amore ardeat; exoritur queſtio tùm inter philoſophos, tùm etiam inter Theologos ſimus ne feliciores ea ratione, qua amamus, an ea, qua intelligimus. Eam controuerſiam cùm contrariarum opinionum rationibus exponere inutile non fuerit. Qui igitur putant beatiores nos eſſe amando, quàm intelligendo, hanc primam rationem afferunt. Minus videtur malum ignorare Deum, quàm odio proſequi; ergo ex regula, quam in Topicis didicimus, minus etiam bonum erit cognoſcere Deum, quàm amare: vt ſi minus nobis obeſt ignauia quàm iniuſtitia, minus etiam fortitudo, quàm iuſtitia proderit. Id ferè perpetuò verum eſſe cernitur. Deinde illud eſſe amoris proprium putant, vt amantem in amatum planè conuertat. Quocircà amantes Deum, in Deum conuertemur, ac præterea cum amor amorem pariat, à Deo amabimur. Ita non modò nos in Deum, ſed etiam Deus in nòs conuertetur. Quamobrem primæ omninò felicitatis partes amori ipſi videntur deferendæ; cum nos quaſi vnum quiddam cū Deo efficiat. Contrà qui contrariam ſententiam tuentùr, primùm ſtatuunt, quod ex verbis Ariſtotelis planè colligi videtur, vòluntatis propenſionem,*

*& amorem eſſe quaſi comitem quendam, & aſſeclam intelligentiæ. Nam, vt à re propoſita ne diſcedamus, nõ idcircò intelligimus Deum, quia amemus, ſed amamus potius propter hãc cauſam, quòd intelligimus. Id autem priore etiam libro clarius à nobis eſt demonſtratum. Quare ſi Dux nobilior comite cenſetur, profectò intelligentia nobilior voluntatis propẽſione, atq; amore cenſeri debebit. Deindè illud addunt, quod etiam à nobis ſecundo libro de vera, & falſa voluptate abundè, niſi fallor, eſt confirmatum, voluptatem ad intelligentiam, & mentem, non ad voluntatẽ pertinere; volũtas enim, & appetitus ad iam perceptam, atq; hauſtam mente, vel ſenſibus iucunditatem propendent, illamq; amplexantur. At felicitatis notioni, quam in animis noſtris inſitam gerimus coniunctiſſima eſt notio voluptatis, ita planè, vt idem ferè voluptas, & felicitas eſſe videantur (de qua re paulò poſt agetur) ergo ſi in mente, non in voluntate conſiſtit voluptas, in mente quoq; felicitas, & beatitudo conſiſtet. Hæc igitur eſt controuerſia, atquè hæ vtriuſq; opinionis rationes. Nos ſi conſtantiam tueri velimus, poſteriorem ſententiam ſequamur, oportet. Nam rationes illius ſemper mihi tanquàm veriſſimæ probatæ fuerunt. Aduerſariorum autem argumenta non magno negocio refelli, opinor, poſſe.*

*Primùm quidem hoc modo. Non rectè confertur ignoratio Dei cum eiuſdẽ odio. Nam hoc in aduerſorum, illa in priuantium genere ſtatuitur. Quòd ſi hæc inter ſe conferas opinari Deum eſſe humano generi inimicum, maleficum, deteſtabilem, et eundem odio proſequi, illud profectò maius malum erit; cùm ex illo odium proficiſcatur. Ad id verò quod ſecundo loco afferebant, reſpondemus amorem maximè nos cum Deo coniungere: quia exacuit quoddammodo mentem, efficitquè, vt diutius, atquè intentius de Deo cogitemus. Primùm enim mens Deum intelligit, tanquam bonum quoddam ſuæ naturæ accomodatiſsimum: deindè in illum propendet, illum amplexatur; quod iam amoris eſt. Propendens autem atquè amore flagrans à iucundiſsima illa contemplatione, à dulciſsimo illo aſpectu diuelli non poteſt. Statuamus igitur Deum tùm vt amatum, tùm etiam vt intellectum noſtram eſſe felicitatem (ex quo in duodecimo libro Theologiæ hæc duo ſemper ab Ariſtotele coniunguntur, expetibile & intelligibile) prius tamen vt intellectum, quàm vt amatum. Omninò enim, vt diximus, vel potius, vt ipſe Ariſtoteles dixit, Dux quidem intelligentia eſt, comes autem voluntas. Hæc igitur queſtio hoc pacto ſit profligata, atquè ad exitum perducta.*

cap.13 *Cæterum, quoniam diximus mentis voluptatem noſtramquè felicitatem ferè inter ſe non differre, illud teneamus, quod etiam ſecundo libro de vera, & falſa voluptate poſuimus, voluptatem nihil aliud eſſe, quàm expletionem quandam facultatis cognoſcentis, ſiuè illa ſit ſenſus, ſiuè intelligentia, ortam ex comprehenſione rei cuiuſdam, quæ naturæ ipſius facultatis, maximè ſit conſentanea, & accommodata. Sic voluptas mentis contemplantis eſt ipſius expletio, & perfectio ex iucundæ rei contemplatione orta. Felicitas autem hoc præterea ſignificat in ea ipſius mentis contemplantis expletione, naturæ etiam noſtræ veram, ac germanam eſſe poſitam perfectionem, & abſolutionem, vel potius (quamquàm vereor, ne quod dicam, non ſatis intelligi queat) voluptas quidem illa, de qua nunc loquimur, eſt expletio mentis, vt contemplatur, felicitas autem perfectio mentis, vt in rerum natura exiſtit. Ita enim felicitas, & voluptas etiam in ſolutis, & liberis mentibus, atquè adeò in Deo ipſo, in quo nihil duplex eſt, nihil coagmentatum cogitatione tamen diſtinguentur. Quamuis enim in ipſo idem ſit omninò eſſentia, et mens, tamen cogitatione ſecerni poſſunt. Ita etiam voluptas, & felicitas cogitatione ſecernentur, cùm hæc eſſentiam*

*ſpectet, illa mentem, & vim intelligendi. Idem in nobis uſu ueniet. ex Dei enim contemplatione ſumma mentis noſtræ exiſtet voluptas, ac ſumma noſtræ naturæ, atq; eſſentiæ perfectio, & beatitudo. Hanc voluptatis à felicitate differentiam ſignificaſſe uiſus eſt Ariſtoteles, cùm decimo libro de moribus dixit, virtutes à nobis expetendas fuiſſe, etiã ſi nullam parerent voluptatem. Nam queãdmodũ Terra inferiorem, ignis ſuperiorẽ oram, appetit, quanuis indè nulla proficiſcatur voluptas, quoniam illa in inferiore, hic in ſuperiore loco ſuam perficit, et conſeruat naturam, ità quoniam humana natura virtute perficitur, atq; expletur, virtus etiam ſi nullam pariat uoluptatem, ſummè tamen à nobis expeti debebit, atq; in ea bona, magnaq; pars felicitatis noſtræ conſiſtet. Hinc etiam intelligi illud poteſt, de quo dubitandum nobis reliquit Ariſtoteles, expetatur ne vita ob uoluptatem, an voluptas ob vitam. Viuere enim actu cùm nihil aliud ſit, pro ut Ariſtoteles in extremo Eudemio, & nono ad Nichomachum declarauit, quàm ſentire, & cognoſcere, ſenſus autem, & cognitio ſine dubio naturæ noſtræ ſit expletio, atque perfectio, profectò ſequitur, ut uitam, etiam ſi nullam afferat voluptatem maximè appetituri ſimus. Verùm in ea met expletione, ut iam diximus, ſumma uoluptas ſita eſt.*

*Ex*

*Ex quo tertio Politico dixit Ariſtoteles, in vita eſſe delectationem, dulcedinemquè naturalem. Paulò igitur plus vitæ, quàm voluptati tribuimus. Ceterum iſtud, paulò, nihil ferè eſt. Ita enim vita, & voluptas interſe commiſta, & confuſæ ſunt, vt vix diſcerni queant, ac ſanè difficillimè, vt monebat Ariſtoteles, quæ inter ſe confuſa ſunt, inter ſe conferuntur.*

cap.14 *Hæc igitur abſolutiſſima fortaſſe definitio felicitatis erit, illius, inquam, quæ in contemplatione poſita eſt, ſi dixerimus ipſam nihil aliud eſſe, quàm Deũ intellectum, & amatum à nobis, quantum intelligi, et amari poteſt, quatenus naturam noſtram perficit, & omnem illius implet auiditatem. Ita verè primo libro aſſerebamus, felicitatem eſſe bonum perfectum, quod homini ſatis erat, & ab eo votis omnibus exoptabatur. Omnes enim hæ conditiones in noſtra definitione perſpicuè continentur. Deus quidem adeò perfectum bonum eſt, vt nihil excogitari poſſit perfectius, atquè omnia indè bona, omnes perfectiones exiſtant. Hoc verò bonum non ne ſatis erit homini etiam ſi immenſum quiddam, atq; infinitum deſideret, cùm planè immenſum, atquè infinitum ſit bonum? Quòd ſi elementa in quibus locis naturaliter quieſcunt, cõſeruantur, perficiuntur, illa etiam loca tota naturæ ſuæ inductione appetunt,*

*eóq; omni impetu feruntur, nec aliud requirunt amplius; nihil mirum, ſi mens noſtra cùm conſeruetur, & perficiatur à Deo, ipſum ſummè exoptet, huncq; ſibi poſtremum finem proponat. Atqui quemadmodum elementa, cùm ad propria, et ſua feruntur loca, ad bonum ſuum feruntur, id eſt Deum ipſum, qui omnis bonitatis fons eſt, & ſi ipſa aut bonum, aut Deum à ſe expeti non animaduertant, ità homines illi, qui in diuitijs, opibus, honoribus, hominis bonum ſitum eſſe putant, idcircoquè illa omni ſtudio ſibi comparant, Deum quærunt, Deum ſibi comparare ſtudent, quamuis non animaduertentes. Nihil enim, vt diximus, bonum eſt, niſi quia in illo diuitiæ bonitatis radius quidam interlucet. Falluntur autem quòd vmbram, ac ſanè tenuem boni ſequuntur, non verum, ac ſolidum bonum; riuulos ſectantur, non fontem adeunt, cùm posſint.*

cap.15. *Oſtendimus quo pacto mentis voluptas, & felicitas inter ſe differrent. Idem enim reapſe erant; cogitatione tantùm ſecernebantur. Quamobrem mirandum non eſt, ſi ſimiles quædam quæſtiones de felicitate, & voluptate exoriantur, ſimiliterquè etiam ſint explicandæ: qualis illa eſt, poſita ne ſit felicitas in contemplatione Dei, & cognitione, vel potius in huius cognitionis animaduerſione, id eſt,*

*ſi à nobis Deum comprehendi animaduertamus. Idem enim de voluptate, vt ſuo loco vidimus, cadebat in quæſtionem. Quare eodem etiam modo profligemus, dicentes cùm Deum contemplamur, tunc rem nobis obiectam eſſe Deum, cùm autem nos contemplari animaduertimus ipſammet cõtẽplationẽ obijci nobis cõſiderandã. Quòd ſi Deus noſtram contemplationem infinito interuallo excedit, longèq; perfectior eſt, vt certè eſt, profectò multò magis ipſius Dei comprehenſio, quã huius comprehenſionis conſideratio nos perficiet, & explebit. Atq; illud ferè vſu venire cernimus, vt cùm paulò attentius, aut canimus, aut ludimus, iſthuc, quod agimus, nos agere, non animaduertamus. Ità animaduerſio iſta functionem muneris ipſam debilitat; minusquè contentam reddit. Quare attenta contemplatio Dei, iſtam ferè reſpuit animaduerſionem. Et quemadmodum qui in aliqua arte ruddes adhuc, imperitiquè ſunt, diligenter vident quid agant (timent enim ne errent, ac de recta deflectant via) qui autem periti ſunt, ac longo vſu edocti, etiam non animaduertentes, quaſi à natura regantur; optimè agunt: ita qui iam in Dei contemplatione diutius ſunt verſati, illum ſumma cum voluptate intuentur, nec ferè ſe intueri cogitant.*

*Iam verò cum ſatis illud, quod in hoc felicitatis genere in maximas incurrebat difficultates, explicauimus; de corporis, & fortunæ bonis non nulla etiam ſunt dicenda. Videndum enim eſt quomodo hæc ad felicitatem, de qua nunc agimus pertineant. Oſtendimus primo libro cùm ex animo, & corpore conſtemus, idcircò à nobis naturaliter tùm animi, tùm corporis ſummam perfectionem, optimumq; ſtatum deſiderari. verùm illud ignorandum non eſt, cùm ab Ariſtotele, quemadmodum ſuperius diximus duplex homo ponatur, alter affectionum, & corporis curam gerens, alter verò ſola mente viuens, hunc ſanè quaſi in corpore ſe eſſe obliuiſci, & mortem quandam, vt præclarè Plato dicebat, ſed vitalem atq; diuinam, vt ita dixerim, mortem obire. Quamobrem non ſolum chriſtianos noſtros Heroes, quãquã his nihil cogitari poteſt admirabilius, ſed etiam multos philoſophos contemplationi deditos ſcimus libentiſſimè ex hac vita deceſſiſſe, ſenſuq; ipſo mortis caruiſſe, cùm illorum animi etiam antè corporis diſſolutionem ad cælum aſcẽdentes, in corpora habitare deſiiſſent. Huic igitur homini, vel Deo potius cuidam bona corporis non videbuntur per ſe expetenda, cùm corpus floccifaciat. Sed ſi corpus aliquandò curabit; vt optimo illi, & maximo imperatori ſuo, quem non tàm me-*

*tuit, quàm ardenter amat, morem gerat, nullam aliam præterea ob cauſam curabit. Intelligit enim ſe ab illo tanquam militem, in hac corporis cuſtodia quaſi ſtatione quadam eſſe collocatum, quam illius iniuſſu deſerere, ſcelus ſit planè nefarium. Quòd ſi aliquãdò ſanctiſsimi homines reperti ſunt, qui non modò ob aſſiduas vigilias, ac diuturnam inediam, in graues morbos inciderint, ſed etiam ſibi plagas inflixerint, hæc non ab illis admiſſa eſſe cenſendum eſt, quemadmodum rectè Euſtratius in ſuis commentarijs in primum Ariſtotelis librum de moribus dicebat, vt animus à corporis ſocietate omninò liber euadat (Nam quæ Deus coniunxit, homo non ſeparet, ſed vt à Deo ſeparentur, expectet) Verùm ob hanc cauſam, ne corpus nimium benè ſe habens libidinem, iracundiam, & reliquas affectiones excitet, quæ poſteà mentem perturbent, dequè ſuo ſtatu deijciant. Cæteroquin inſania iſta potius, quàm ſanctitas ſit appellanda. Atqui hac in re non eadem ratio eſt illius philoſophi, qui naturali tantùm lumine vtitur, atquè eius qui Chriſti veriſsimi præpotentis Dei filij voce eſt eruditus. Nam is de futuræ vitæ conditione certus, atquè in corporis morbis, & doloribus diuina tamen luce nõ deſtitutus, corpus omninò contemnit, & ſpernit. At ille nequè admodum de animæ ſtatu poſt mor-*

*tem certus, nequè peculiari adiutus gratia, maio-
rem corporis curam gerere compellitur; quod ægro-
tans vix animum ad vllam præclaram cogitatio-
nem poteſt intendere. Ambo autem in eo conue-
niunt, quòd corporis bona per ſe nihili faciunt, ſo-
lam mentis voluptatem, ac perfectionem æſtiman-
tes. Quòd ſi de huiuſmodi tantùm homine ſtoici
intellexiſſent, cùm dicerent virtutes eſſe* ἀπαθείας
*potius quàm* μετριοπαθείας, *ideſt vacuitates affe-
ctionum, non mediocritates (virtutis enim eſſe ità
affectiones tollere, vt omnes etiam radicum fi-
bras extirpet) verè dixiſſent, & congruenter
Platonicis, qui tales eſſe purgatorias volunt virtu-
tes. Nam in homine iampridem contemplationi
dedito vix vllum affectionum veſtigium appa-
ret, ob illum animæ partium inter ſe conſenſum,
quem primo libro exponebamus, vt cùm vna at-
tentius in ſuum incumbit officium, reliquæ à ſuis
muneribus vacent, & ferias agant. Adde hu-
iuſmodi vitam ſenum eſſe peculiarem, vt Plato
primo libro de Repub dicebat; ſenectus autem ipſa
per ſe perturbationes omnes, omnemquè libidinem
videtur tollere, atquè extinguere. Cæterùm alia
quadam ratione, quã nos falſam iudicamus, iſtud
ponebatur à ſtoicis. Putabant enim perturbatio-
nes omnes à falſa oriri opinione, vt metũ ex opinio-*

*ne alicuius impendentis mali, quod re vera malum non ſit, ſpem ex opinione boni, quod re vera non ſit bonũ; idcircò à recta ratione, quæ errore vacet, funditus deleri poſſe. Nos autẽ primo libro oſtendimus, ad partem ſentientẽ animæ noſtræ, quæ per ſe ipſa eſt rationis expers, affectiones pertinere; verùm ob quãdam συμπάθειαν ſi mẽs attentiſſimè ſuo fungatur munere, tùm ſensũ, et vegetabilẽ animã vix ſe ſe oſtẽdere audere. Sed eò vndè digreſſi ſumus reuertamur. Spernit vita contẽplationi dedita corporis bona: quare multò magis fortunæ bona ſpernet, et pronihilò habebit. Illa enim tanquã inſtrumẽta ad virtutis munera obeunda, vel tanquã ornamenta quædã virtutis requiri dicebamus. At cùm Deo fruimur, cùm ipſo copulati, atq; ex hac cõiunctione præſtantioribus quibusdã præditi virtutibus nullis egemus opibus, nullis diuitijs, nulla apud homines autoritate, nullis honoribus (nã quid illi deſit, qui Deum poßidet?) ergo iſta omnia ab homine, qui contemplatione viuit, per ſe contemnentur. Fortaſſe pro eo quanti facit corpus, curabit etiam fortunæ bona, quæ corpori commoda ſunt, ſed illud, vt iam vidimus exiguum quiddam eſt; qninimò eliget hic noſter felix ſolitudinẽ, in qua fortunæ bonis non multum egemus. Rectè enim à veteribus prouerbium illud vſurpatur, qui in ſolitudine degit, eum aut feram eſſe, aut Deum.*

*Hic noſter beatus, vt vidimus, contemplando, & amando fit Deus, ergo non erit repræhendendus, ſi vitam eligat Solitariam.*

cap. 17. *Quæſtio tamen exoriri poteſt de hominum beneuolentia, & charitate amicorum (quæ per ſe, vt primo libro, & etiã in libello de honore oſtendimus ſunt expetenda) debeant ne à ſapiente ſuam iam adepto felicitatẽ expeti. Hæc enim externa bona cenſeri non debere dicebamus, cùm naturalis quædam cognatio, naturalis quidam amor inter humanos animos intercedat. ex quo vnum alterius erga ſe propenſione, atque inductione delectari neceſſe eſt. Verùm cognatio iſthæc eſt naturalis, ſi hominem illum, qui ciuilis, & ſociabilis eſt, conſideremus. Ille autem, qui coniunctus corpori vitam agit ſolutæ, ſinceræq; mentis, Dei amicitiam adeptus alios non ferè per ſe amat, ſed vt opera Dei, atq; vt illi ipſi Deo bonitate vitæ, ac ſapientia amici fiunt. Etenim ſi cum aliquam mulierem deperimus (feratur comparatio hæc à ſanctiſsimis etiam hominibus vſurpata, vt melius quod dicimus, intelligatur) parentum, amicorum, propinquorumq; noſtrorum obliti mulieris tantum illius cognatos, ac mehercule etiam famulos amamus, & ab illis aliquam inire gratiam mirabiliter cupimus; quid mirum, ſi Dei amore flagrantes, nullum alium ferè diligimus, niſi quatenus*

*quatenus placere Deo, gratumq́; eſſe perſpicimus? Nec tamẽ ſumus accuſandi feritatis. Solutæ enim, & beatæ mentes in Deo cuncta Dei opera cognoſcunt, et in Deo cuncta Dei opera diligunt optima, & perfectiſsima illa cognitio eſt; optimus etiam hic amor. Nos etiam quò magis hanc ſolutarum mentium naturam referemus, erimus perfectiores. Placere tamen Deo credendũ eſt, vt paulò magis ergà illos afficiamur, qui nobis natura ſunt cõiunctiores, vt ergà ciues, amicos, propinquos, parentes patriam. Quòd ſi ſemper, dum in terris verſamur, quamuis huic ſecundæ vitæ tanquam longè perfectiori, nos dederimus; remanet tamen veſtigium aliquod prioris illius humanæ, & ciuilis; profectò nullam aliam affectionem in nobis remanere magis veriſimile eſt, quàm beneuolentiam, ergà illos quibus cum nos natura coniunxit ( coniunxit autem cum omnibus hominibus, quanquã non æqualiter) & deſiderium mutui amoris, & charitatis. Quarè quæſtionem illam ab Ariſtotele nono libro de moribus propoſitam, egeat ne beatus amicis, ità profligare poterimus; vt ſi de homine tàm felici, vt cum Deo amicitiam contraxerit, intelligatur; nullis alijs egere amicis exploratiſsimum habeamus. Quòd ſi aliquos vel potius omnes homines amat, vt certè amat, præcipuè tamen qui aut natura, aut ſtudiorum ſimilitu*

*dine ſibi coniuncti ſunt, iſtud non propter eam cauſam euenire credendum eſt, quòd amicis egeat, ſed propterea quòd amorem Dei tanquàm corpus vmbra, ſequitur amor, & beneuolentia ergà homines, & illos præcipuè, qui ſingulari quodam amore ob ſapientiam, ac bonitatem amantur à Deo: Aut certè iſta ergà homines beneuolentia, tanquàm veſtigium quoddam vitæ prioris remanſit; nullo autem pacto ab egeſtate profecta eſt. Ariſtoteles autem longa oratione, multiſquè rationibus probans, etiam felici opus eſſe amicis, humanam, ciuilemq́; felicitatem ſpectauit, de qua ſuprà accuratè ægimus. Nec verò quenquàm dubitare velimus, quomodo, cum amicitia æqualitatem quandam requirat, poſſimus nos cum Deo contrahere amicitiam, cuius vis, & natura infinitè noſtram excedit. Nam ea eſt benignitas Dei, ea ſapientia, ea poteſtas, vt in ſe manens, infinitus nobis tamen finito quodam ſe impertire modo & velit, & ſciat, & poſſit. Quod etiam in intelligendo euenit. Non enim infinitam Dei perfectionem mens noſtra, aut etiam præſtantiores mentes comprehendere valent, ſed quantum naturæ ſuæ captus eſt; atquè ex infinito illo fonte hauriunt quantum poſſunt. Satis autem æqualem ſe ſe nobis efficit, cùm nos intelligendo, & amando in ſe conuerti patitur, quēadmodum ſuperius oſten-*

*debamus. Quamobrem ſi quodammodo nos in ſe conuertit, ſibiquè æquat, certè amicitiam noſtram repudiare non poteſt.*

cap.18. *Cognitio ſecundo felicitatis genere, facilè quid illi oppoſita miſeria ſit, intelligitur. Eſt enim errare, ac decipi in cognitione Dei, ità vt illum maleficum, deteſtabilem, capitalē eſſe opinemur: ideòq́ odio proſequamur, et ab illo lōgiſſimè refugiamus: qualis impiorum hominū, et animarū apud inferos habitātiū conditio eſt. Hinc Iob. Dixerūt Deo recede à nobis, et in pſalmo Superbia eorum, qui te oderunt. Miſerrima autē ſit conditio hæc oportet, quādo refugere à Deo nihil aliud eſt, quā à bono refugere. Ignoratio autē Dei, quæ non eſt error in cognitione, ſed priuatio cognitionis, miſeria quidē eſt (Nam miſerum eſt omninò ſuo bono priuari) non tamen ſumma. Nam queādmodū melius tecū agatur, ſi perpetuū ſomnū obdormias, quā ſi vigilans multa ſcelera cōmittas, ità minus malum eſt ignorare Deum, quā maleficum iudicare, & odio proſequi, quod ſcelus eſt nefarium.*

cap.19. *Cæterū, antequā huic tractationi finē imponamus, vt quæ diximus facilius animo, & memoria comprehendantur, ea in anguſtū quēdam locum concludere inutile, opinor, non erit. Quod fiet, ſi à quibus cauſis felicitas oriatur, breuiter recenſuerimus.*

*Primùm quidem hoc modo. Non rectè confertur ignoratio Dei cum eiuſdē odio. Nam hoc in aduerſorum, illa in priuantium genere ſtatuitur. Quòd ſi hæc inter ſe conferas opinari Deum eſſe humano generi inimicum, maleficum, deteſtabilem, et eundem odio proſequi, illud profectò maius malum erit; cùm ex illo odium proficiſcatur. Ad id verò quod ſecundo loco afferebant, reſpondemus amorem maximè nos cum Deo coniungere: quia exacuit quoddammodo mentem, efficitquè, vt diutius, atquè intentius de Deo cogitemus. Primùm enim mens Deum intelligit, tanquam bonum quoddam ſuæ naturæ accomodatiſsimum: deindè in illum propendet, illum amplexatur; quod iam amoris eſt. Propendens autem atquè amore flagrans à iucundiſsima illa contemplatione, à dulciſsimo illo aſpectu diuelli non poteſt. Statuamus igitur Deum tùm vt amatum, tùm etiam vt intellectum noſtram eſſe felicitatem (ex quo in duodecimo libro Theologiæ hæc duo ſemper ab Ariſtotele coniunguntur, expetibile & intelligibile) prius tamen vt intellectum, quàm vt amatum. Omninò enim, vt diximus, vel potius, vt ipſe Ariſtoteles dixit, Dux quidem intelligentia eſt, comes autem voluntas. Hæc igitur quæſtio hoc pacto ſit profligata, atquè ad exitum perducta.*

cap.13 *Cæterum, quoniam diximus mentis voluptatem noſtramquè felicitatem ferè inter ſe non differre, illud teneamus, quod etiam ſecundo libro de vera, & falſa voluptate poſuimus, voluptatem nihil aliud eſſe, quàm expletionem quandam facultatis cognoſcentis, ſiuè illa ſit ſenſus, ſiuè intelligentia, ortam ex comprehenſione rei cuiuſdam, quæ naturæ ipſius facultatis, maximè ſit conſentanea, & accommodata. Sic voluptas mentis contemplantis eſt ipſius expletio, & perfectio ex iucundæ rei contemplatione orta. Felicitas autem hoc prætereà ſignificat in ea ipſius mentis contemplantis expletione, naturæ etiam noſtræ veram, ac germanam eſſe poſitam perfectionem, & abſolutionem, vel potius (quamquàm vereor, ne quod dicam, non ſatis intelligi queat) voluptas quidem illa, de qua nunc loquimur, eſt expletio mentis, vt contemplatur, felicitas autem perfectio mentis, vt in rerum natura exiſtit. Ita enim felicitas, & voluptas etiàm in ſolutis, & liberis mentibus, atquè adeò in Deo ipſo, in quo nihil duplex eſt, nihil coagmentatum cogitatione tamen diſtinguentur. Quamuis enim in ipſo idem ſit omninò eſſentia, et mens, tamen cogitatione ſecerni poſſunt. Ita etiam voluptas, & felicitas cogitatione ſecernentur, cùm hæc eſſentiam*

*ſpectet, illa mentem, & vim intelligendi. Idem in nobis uſu ueniet. ex Dei enim contemplatione ſumma mentis noſtræ exiſtet voluptas, ac ſumma noſtræ naturæ, atq; eſſentiæ perfectio, & beatitudo. Hanc voluptatis à felicitate differentiam ſignificaſſe viſus eſt Ariſtoteles, cùm decimo libro de moribus dixit, virtutes à nobis expetendas fuiſſe, etiã ſi nullam parerent voluptatem. Nam quẽadmodũ Terra inferiorem, ignis ſuperiorẽ oram, appetit, quanuis indè nulla proficiſcatur voluptas, quoniam illa in inferiore, hic in ſuperiore loco ſuam perficit, et conſeruat naturam, ità quoniam humana natura virtute perficitur, atq; expletur, virtus etiam ſi nullam pariat voluptatem, ſummè tamen à nobis expeti debebit, atq; in ea bona, magnaq; pars felicitatis noſtræ conſiſtet. Hinc etiam intelligi illud poteſt, de quo dubitandum nobis reliquit Ariſtoteles, expetatur ne vita ob voluptatem, an voluptas ob vitam. Viuere enim actu cùm nihil aliud ſit, pro ut Ariſtoteles in extremo Eudemio, & nono ad Nichomachum declarauit, quàm ſentire, & cognoſcere, ſenſus autem, & cognitio ſine dubio naturæ noſtræ ſit expletio, atque perfectio, profectò ſequitur, ut vitam, etiam ſi nullam afferat voluptatem maximè appetituri ſimus. Verùm in ea met expletione, ut iam diximus, ſumma voluptas ſita eſt.*

*Ex quo tertio Politico dixit Ariſtoteles, in vita eſſe delectationem, dulcedinemquè naturalem. Paulò igitur plus vitæ, quàm voluptati tribuimus. Ceterum iſtud, paulò, nihil ferè eſt. Ita enim vita, & voluptas interſe commiſta, & confuſæ ſunt, vt vix diſcerni queant, ac ſanè difficillimè, vt monebat Ariſtoteles, quæ inter ſe confuſa ſunt, inter ſe conferuntur.*

cap.14 *Hæc igitur abſolutiſſima fortaſſe definitio felicitatis erit, illius, inquam, quæ in contemplatione poſita eſt, ſi dixerimus ipſam nihil aliud eſſe, quàm Deũ intellectum, & amatum à nobis, quantum intelligi, et amari poteſt, quatenus naturam noſtram perficit, & omnem illius implet auiditatem. Ita verè primo libro aſſerebamus, felicitatem eſſe bonum perfectum, quod homini ſatis erat, & ab eo votis omnibus exoptabatur. Omnes enim hæ conditiones in noſtra definitione perſpicuè continentur. Deus quidem adeò perfectum bonum eſt, vt nihil excogitari poſſit perfectius, atquè omnia indè bona, omnes perfectiones exiſtant. Hoc verò bonum non ne ſatis erit homini etiam ſi immenſum quiddam, atq; infinitum deſideret, cùm planè immenſum, atquè infinitum ſit bonum? Quòd ſi elementa in quibus locis naturaliter quieſcunt, cõſeruantur, perficiuntur, illa etiam loca tota naturæ ſuæ inductione appetunt,*

*eóq; omni impetu feruntur, nec aliud requirunt amplius: nihil mirum, ſi mens noſtra cùm conſeruetur, & perficiatur à Deo, ipſum ſummè exoptet, huncq; ſibi poſtremum finem proponat. Atqui quemadmodum elementa, cùm ad propria, et ſua feruntur loca, ad bonum ſuum feruntur, id eſt Deum ipſum, qui omnis bonitatis fons eſt, & ſi ipſa aut bonum, aut Deum à ſe expeti non animaduertant, ità homines illi, qui in diuitijs, opibus, honoribus, hominis bonum ſitum eſſe putant, idcircoquè illa omni ſtudio ſibi comparant, Deum quærunt, Deum ſibi comparare ſtudent, quamuis non animaduertentes. Nihil enim, vt diximus, bonum eſt, niſi quia in illo diuitiæ bonitatis radius quidam interlucet. Falluntur autem quòd vmbram, ac ſanè tenuem boni ſequuntur, non verum, ac ſolidum bonum; riuulos ſectantur, non fontem adeunt, cùm poſſint.*

cap. 15. *Oſtendimus quo pacto mentis voluptas, & felicitas inter ſe differrent. Idem enim reapſe erant; cogitatione tantùm ſecernebantur. Quamobrem mirandum non eſt, ſi ſimiles quædam quæſtiones de felicitate, & voluptate exoriantur, ſimiliterquè etiam ſint explicandæ: qualis illa eſt, poſita ne ſit felicitas in contemplatione Dei, & cognitione, vel potius in huius cognitionis animaduerſione, id eſt,*

*ſi à nobis Deum comprehendi animaduertamus. Idem enim de voluptate, vt ſuo loco vidimus, cadebat in quæſtionem. Quare eodem etiam modo profligemus, dicentes cùm Deum contemplamur, tunc rem nobis obiectam eſſe Deum, cùm autem nos contemplari animaduertimus ipſammet cõtẽplationẽ obijci nobis cõſiderandã. Quòd ſi Deus noſtram contemplationem infinito interuallo excedit, longèq; perfectior eſt, vt certè eſt, profectò multò magis ipſius Dei comprehenſio, quã huius comprehenſionis conſideratio nos perficiet, & explebit. Atq; illud ferè vſu venire cernimus, vt cùm paulò attentius, aut canimus, aut ludimus, iſthuc, quod agimus, nos agere, non animaduertamus. Ità animaduerſio iſta functionem muneris ipſam debilitat; minusquè contentam reddit. Quare attenta contemplatio Dei, iſtam ferè reſpuit animaduerſionem. Et quemadmodum qui in aliqua arte rudes adhuc, imperitiquè ſunt, diligenter vident quid agant (timent enim ne errent, ac de recta deflectant via) qui autem periti ſunt, ac longo vſu edocti, etiam non animaduertentes, quaſi à natura regantur; optimè agunt: ita qui iam in Dei contemplatione diutius ſunt verſati, illum ſumma cum voluptate intuentur, nec ferè ſe intueri cogitant.*

*tuit, quàm ardenter amat, morem gerat, nullam aliam prætereà ob cauſam curabit. Intelligit enim ſe ab illo tanquam militem, in hac corporis cuſtodia quaſi ſtatione quadam eſſe collocatum, quam illius iniuſſu deſerere, ſcelus ſit planè nefarium. Quòd ſi aliquãdò ſanctiſsimi homines reperti ſunt, qui non modò ob aſſiduas vigilias, ac diuturnam inediam, in graues morbos inciderint, ſed etiam ſibi plagas inflixerint, hæc non ab illis admiſſa eſſe cenſendum eſt, quemadmodum rectè Euſtratius in ſuis commentarijs in primum Ariſtotelis librum de moribus dicebat, vt animus à corporis ſocietate omninò liber euadat (Nam quæ Deus coniunxit, homo non ſeparet, ſed vt à Deo ſeparentur, expectet) Verùm ob hanc cauſam, ne corpus nimium benè ſe habens libidinem, iracundiam, & reliquas affectiones excitet, quæ poſteà mentem perturbent, dequè ſuo ſtatu deijciant. Cæteroquin inſania iſta potius, quàm ſanctitas ſit appellanda. Atqui hac in re non eadem ratio eſt illius philoſophi, qui naturali tantùm lumine vtitur, atquè eius qui Chriſti veriſsimi præpotentis Dei filij voce eſt eruditus. Nam is de futuræ vitæ conditione certus, atquè in corporis morbis, & doloribus diuina tamen luce nõ deſtitutus, corpus omninò contemnit, & ſpernit. At ille nequè admodum de animæ ſtatu poſt mor-*

*tem certus, nequè peculiari adiutus gratia, maiorem corporis curam gerere compellitur; quod ægrotans vix animum ad vllam præclaram cogitationem poteſt intendere. Ambo autem in eo conueniunt, quòd corporis bona per ſe nihili faciunt, ſolam mentis voluptatem, ac perfectionem æſtimantes. Quòd ſi de huiuſmodi tantùm homine ſtoici intellexiſſent, cùm dicerent virtutes eſſe* απαθειας *potius quàm* μετριωπαθειας*, ideſt vacuitates affectionum, non mediocritates (virtutis enim eſſe ità affectiones tollere, vt omnes etiam radicum fibras extirpet) verè dixiſſent, & congruenter Platonicis, qui tales eſſe purgatorias volunt virtutes. Nam in homine iampridem contemplationi dedito vix vllum affectionum veſtigium apparet, ob illum animæ partium inter ſe conſenſum, quem primo libro exponebamus, vt cùm vna attentius in ſuum incumbit officium, reliquæ à ſuis muneribus vacent, & ferias agant. Adde huiuſmodi vitam ſenum eſſe peculiarem, vt Plato primo libro de Repub dicebat; ſenectus autem ipſa per ſe perturbationes omnes, omnemquè libidinem videtur tollere, atquè extinguere. Cæterùm alia quadam ratione, quã nos falſam iudicamus, iſtud ponebatur à ſtoicis. Putabant enim perturbationes omnes à falſa oriri opinione, vt metũ ex opinio-*

*ne alicuius impendentis mali, quod re vera malum non ſit, ſpem ex opinione boni, quod re vera non ſit bonũ: idcircò à recta ratione, quæ errore vacet, funditus deleri poſſe. Nos autẽ primo libro oſtendimus, ad partem ſentientẽ animæ noſtræ, quæ per ſe ipſa eſt rationis expers, affectiones pertinere; verùm ob quãdam* συμπάθειαν *ſi mẽs attentiſſimè ſuo fungatur munere, tùm ſenſũ, et vegetabilẽ animã vix ſe ſe oſtẽdere audere. Sed eò vndè digreſſi ſumus reuertamur. Spernit vita contẽplationi dedita corporis bona: quare multò magis fortunæ bona ſpernet, et pronihilò habebit. Illa enim tanquã inſtrumẽta ad virtutis munera obeunda, vel tanquã ornamenta quædã virtutis requiri dicebamus. At cùm Deo fruimur, cùm ipſo copulati, atq; ex hac cõiunctione præſtantioribus quibusdã præditi virtutibus nullis egemus opibus, nullis diuitijs, nulla apud homines autoritate, nullis honoribus (nã quid illi deſit, qui Deum poſsidet?) ergo iſta omnia ab homine, qui contemplatione viuit, per ſe contemnentur. Fortaſſe pro eo quanti facit corpus, curabit etiam fortunæ bona, quæ corpori commoda ſunt, ſed illud, vt iam vidimus exiguum quiddam eſt; quinimò eliget hic noſter felix ſolitudinẽ, in qua fortunæ bonis non multum egemus. Rectè enim à veteribus prouerbium illud vſurpatur, qui in ſolitudine degit, eum aut feram eſſe, aut Deum.*

*Hic noſter beatus, vt vidimus, contemplando, & amando fit Deus, ergo non erit repræhendendus, ſi vitam eligat Solitariam.*

cap.17. *Quæſtio tamen exoriri poteſt de hominum beneuolentia, & charitate amicorum (quæ per ſe, vt primo libro, & etiã in libello de honore oſtendimus sunt expetenda) debeant ne à ſapiente ſuam iam adepto felicitatẽ expeti. Hæc enim externa bona cenſeri non debere dicebamus, cùm naturalis quædam cognatio, naturalis quidam amor inter humanos animos intercedat. ex quo vnum alterius erga ſe propenſione, atque inductione delectari neceſſe eſt. Verùm cognatio iſthæc eſt naturalis, ſi hominem illum, qui ciuilis, & ſociabilis eſt, conſideremus. Ille autem, qui coniunctus corpori vitam agit ſolutæ, ſinceræq; mentis, Dei amicitiam adeptus alios non ferè per ſe amat, ſed vt opera Dei, atq; vt illi ipſi Deo bonitate vitæ, ac ſapientia amici fiunt. Etenim ſi cum aliquam mulierem deperimus (feratur comparatio hæc à ſanctiſsimis etiam hominibus vſurpata, vt melius quod dicimus, intelligatur) parentum, amicorum, propinquorumq; noſtrorum obliti mulieris tantum illius cognatos, ac mehercule etiam famulos amamus, & ab illis aliquam inire gratiam mirabiliter cupimus; quid mirum, ſi Dei amore flagrantes, nullum alium ferè diligimus, niſi*

*quatenus*

*quatenus placere Deo, gratumq́; eſſe perſpicimus? Nec tamẽ ſumus accuſandi feritatis. Solutæ enim, & beatæ mentes in Deo cuncta Dei opera cognoſcunt, et in Deo cuncta Dei opera diligunt optima, & perfectiſsima illa cognitio eſt; optimus etiam hic amor. Nos etiam quò magis hanc ſolutarum mentium naturam referemus, erimus perfectiores. Placere tamen Deo credendũ eſt, vt paulò magis ergà illos afficiamur, qui nobis natura ſunt cõiunctiores, vt ergà ciues, amicos, propinquos, parentes patriam. Quòd ſi ſemper, dum in terris verſamur, quamuis huic ſecundæ vitæ tanquam longè perfectiori, nos dederimus; remanet tamen veſtigium aliquod prioris illius humanæ, & ciuilis; profectò nullam aliam affectionem in nobis remanere magis veriſimile eſt, quàm beneuolentiam, ergà illos quibus cum nos natura coniunxit ( coniunxit autem cum omnibus hominibus, quanquã non æqualiter) & deſiderium mutui amoris, & charitatis. Quarè quæſtionem illam ab Ariſtotele nono libro de moribus propoſitam, egeat ne beatus amicis, ità profligare poterimus; vt ſi de homine tâm felici, vt cum Deo amicitiam contraxerit, intelligatur; nullis alijs egere amicis exploratiſsimum habeamus. Quòd ſi aliquos vel potius omnes homines amat, vt certè amat, præcipuè tamen qui aut natura, aut ſtudiorum ſimilitu*

*dine ſibi coniuncti ſunt, iſtud non propter eam cauſam euenire credendum eſt, quòd amicis egeat, ſed propterea quòd amorem Dei tanquàm corpus vmbra, ſequitur amor, & beneuolentia ergà homines, & illos præcipuè, qui ſingulari quodam amore ob ſapientiam, ac bonitatem amantur à Deo: Aut certè iſta ergà homines beneuolentia, tanquàm veſtigium quoddam vitæ prioris remanſit; nullo autem pacto ab egeſtate profecta eſt. Ariſtoteles autem longa oratione, multisquè rationibus probans, etiam felici opus eſſe amicis, humanam, ciuilemq́ felicitatem ſpectauit, de qua ſuprà accuratè ægimus. Nec verò quenquàm dubitare velimus, quomodo, cum amicitia æqualitatem quandam requirat, poſſimus nos cum Deo contrahere amicitiam, cuius vis, & natura infinitè noſtram excedit. Nam ea eſt benignitas Dei, ea ſapientia, ea poteſtas, vt in ſe manens, infinitus nobis tamen finito quodam ſe impertire modo & velit, & ſciat, & poſſit. Quod etiam in intelligendo euenit. Non enim infinitam Dei perfectionem mens noſtra, aut etiam præſtantiores mentes comprehendere valent, ſed quantum naturæ ſuæ captus eſt; atquè ex infinito illo fonte hauriunt quantum poſſunt. Satis autem æqualem ſe ſe nobis efficit, cùm nos intelligendo, & amando in ſe conuerti patitur, quēadmodum ſuperius oſten-*

*debamus. Quamobrem ſi quodammodo nos in ſe conuertit, ſibiquè æquat, certè amicitiam noſtram repudiare non poteſt.*

cap.18 *Cognitio ſecundo felicitatis genere, facilè quid illi oppoſita miſeria ſit, intelligitur. Eſt enim errare, ac decipi in cognitione Dei, ità vt illum maleficum, deteſtabilem, capitalẽ eſſe opinemur: ideòq́, odio proſequamur, et ab illo lõgiſſimè refugiamus: qualis impiorum hominũ, et animarũ apud inferos habitãtiũ conditio eſt. Hinc Iob. Dixerũt Deo recede à nobis, et in pſalmo Superbia eorum, qui te oderunt. Miſerrima autẽ ſit conditio hæc oportet, quãdo refugere à Deo nihil aliud eſt, quã à bono refugere. Ignoratio autẽ Dei, quæ non eſt error in cognitione, ſed priuatio cognitionis, miſeria quidẽ eſt (Nam miſerum eſt omninò ſuo bono priuari) non tamen ſumma. Nam queẽadmodũ melius tecũ agatur, ſi perpetuũ ſomnũ obdormias, quã ſi vigilans multa ſcelera cõmittas, ità minus malum eſt ignorare Deum, quã maleficum iudicare, & odio proſequi, quod ſcelus eſt nefarium.*

cap.19. *Ceterũ, antequã huic tractationi finẽ imponamus, vt quæ diximus facilius animo, & memoria comprehendantur, ea in anguſtũ quẽdam locum concludere inutile, opinor, non erit. Quod fiet, ſi à quibus cauſis felicitas oriatur, breuiter recenſuerimus.*

*Felicitas igitur, cùm ipſa finis, atquè extremum ſit, quo humana fertur natura, ad àlium finem, tanquàm cauſam non referetur, niſi fortaſſe cõmunem, ac generalem; veluti ſi diceremus, idcircò felicitatem exiſtere aliquando in rerum natura, vt hæc vniuerſitas ſit perfectior, atquè integrior, Deiquè Optimi Maximi benignitas magis ſe ſe fundat, & patefaciat. Forma autem, id eſt vis, & natura ipſius felicitatis eſt, quam ſuperius tribus illis conditionibus expreſſimus, Bonum perfectum, ſe ipſo cõtentum, ac per ſe duntaxat expetendum. Materies autem eſt primùm anima, præcipuequè primaria illius pars, id eſt ratio, & mens, deinde corpus. Huic enim quaſi materiei, ſtratoq; aptatur felicitas tanquàm forma, & perfectio. Cauſa poſtremò efficiens duplex eſt, vna extrinſecus poſita, altera interna; quã quidem internam loco formæ à Dialecticis cenſeri, quod per eam res conſiſtat, & conſeruetur, alibi accurata oratione, multisquè rationibus oſtendimus, & initio etiam primi horum librorum ſignificauimus. Cauſa extrinſecus poſita, ſi primam, maximèquè communem queris, Deus eſt. Nam ſi ex eo fonte omnia in omnes res, bona emanant, vt certè emanant, ſi quod hominibus à Deo munus datur, vt profectò dantur multa; credibile omninò, rationiquè conſentaneum eſt hoc ſummum maxi-*

*mumq́; bonum, hoc præſtantiſſimum munus à Deo potiſſimum proficiſci. Altera cauſa extrinſecus, & ipſa poſita, generalis, & ipſa, fortuna eſt; cuius ſecundo flatu, vt in felicitatis portum peruehi poſſimus, opus eſſe poſuimus; de qua re nonnihil infrà dicemus, quamquàm alijs libris, ſi vita, & ocium ſuppetet, eam diligenter perſequi in animo habemus. Cauſæ autem externæ quidem, ſed magis propriæ, peculiaresq́; ſunt parentum in ijs liberis, qui felices futuri ſunt, tùm ſuſcipiendis, tùm alendis, præceptorumquè in ijſdem ad virtutem excolendis diligentia, & ſedulitas. Quibus de rebus & à ſummis omnium præceptoribus Ariſtotele, Platonequè, & à Plutarcho, alijsquè doctiſſimis hominibus, præſertim à Iacobo Sadoleto, quem honoris, & reuerentiæ cauſa nomino, multa diuinitus ſunt ſcripta, nobisq́; tradita. Hæ igitur externæ ſunt felicitatis cauſæ efficientes. Efficiens autem interna, illius quidem, quæ in contemplatione, ipſamet contemplatio; alterius autem, quæ in agendo verſatur, probæ, ac virtuti, prudentiæquè congruentes actiones ſunt. Nam hæc quidem felicitas ex huiuſmodi actionibus, illa autem ex contemplatione, tanquàm ex ætatis flore venuſtas, & decor, exoritur, atquè exiſtit. Omnes iam videmur ferè enumeraſſe cauſas.*

cap.xx *Verùm in materia felicitatis præparanda, præ-*

*colendaquè, vt ad tàm præclaram formam excipiendam ſit idonea, plurimum laboris, ac ſtudij adhibere oportet. Nam prout materies hoc, vel illo modo affecta eſt, ita etiam vel præſtans, vel vilis forma erumpere, atquè in lucem prodire ſolet. Primùm igitur naturæ bonitas requiritur, quod Ariſtoteles ſeptimo Politico declarauit. Nam ſine præclaro corporis habitu, ſine ingenij vi, quæ à natura contingunt, nobis felicitatem comparare non poſſumus. Quamobrem verè Ariſtoteles primo libro magnorum Ethicorum dicebat, tametſi in nobis ſitum ſit probos eſſe, vel improbos, non tamen continuò ſequi, vt omnium probiſſimi eſſe queamus. Nam ad hanc excellentiam probitatis, ſummum, ac præſtans ingenium neceſſarium eſt; quod minimè nos ipſi, ſed nobis natura fingit. Quod etiam ferè euenire cernimus in corpore. Nam ſi diligenter corpus curabimus, valetudinem, & præſentem conſeruabimus, & amiſſam, ſæpenumerò recuperabimus: non tamen illud continuò præſtabimus, vt omnium optimè valeamus; niſi optimum corporis temperamentum nobis à natura contigerit. Eodem igitur pacto ad excellentem virtutem optimè à natura conſtitutus animus exigitur. Deindè ad naturæ bonitatem bona educatio accedat oportet. Bona autem erit, ſi tùm corporis, tùm*

*animi cura ſuſcipietur, vt eodem quem ſæpè in ore habuimus, ſeptimo Politico ſummus beatæ vitæ Architectus dicebat; priusquè corporis, quàm animi; quando illud, cum homo gignitur, prius exiſtit, quàm animus. Animus autem in duas partes diuiditur, appetitum, & mentem; ac prius etiam in nobis appetitus exoritur, quàm mens, & ratio. Ex quo ſecundo loco appetitus curam gerere opcrtet, eumquè bono more, laudabiliquè conſuetudine ad virtutem, decus, honeſtatem inſtituere.*

*Nam, vt ſecundo libro declarauimus, appetitus ità à natura factus eſt, vt ſeſe ad vtramquè partem, id eſt ad bonum, & malum conuertendi facultatem habeat. Quòd autem hùc potius, quàm illhùc ſe conuertat, id à conſuetudine habet. Quamobrem non iniuria. Plato maximum quiddam eſſe conſuetudinem dicebat. Poſtremò in excolenda mente ſumma eſt adhibenda diligentia. Excolitur autem, atquè idonea ad conſequendam felicitatem redditur, primùm ſi Dialectica, ac Rhetorica imbuatur; deindè ſi ex Platonis, & Ariſtotelis puriſſimis, ac perennibus fontibus ſcientiam ciuilem, prudentiamquè ſibi comparet, ſedulò etiam hominum facta, & mores rerumquè humanarum varietates obſeruans. Tùm verò ad ſcientias mathematicas, Phyſiologiam,*

*Theologiam ducenda eſt, ut ex duabus illis primis quaſi per quoſdam gradus ad tertiam perueniat, in eaquè cõquieſcat, ibi ſummum, quò humana per ſe, ſuisquè viribus ſubnixa natura aſpirare queat, bonum conſequuta. Quòd ſi de Chriſtiani hominis felicitate loquamur, Deus illius cauſa efficiens eſt non modò generalis, & communis, ſed etiam propria, ac peculiaris, ac peculiari quodam modo ſuam nobis operam præſtat. Adiungit autem ſibi tanquàm comitem, & ſociam in efficiendo voluntatẽ noſtram. Eam enim cogere, cum liberam fecerit, ſuæ iuſtitiæ eſſe non putat. Quòd ſi nos aliqua re peculiare iſtud auxilium Dei promereri poſſumus, nulla alia profectò magis poſſumus, quàm laudabili quadam animi humilitate. Ex quo illud Beatiſſimæ virginis. Quoniam reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Hæc autem Dei peculiari benignitate, ardentiquè voluntatis propenſione impetrata felicitas multò amplior, ac diuinior eſt, quàm à ſola ſapientia pendeat. Scimus enim nonnullis Dei ipſius aſpectu frui licuiſſe. Verùm de Chriſtiani hominis beatitudine ſatis multa apud noſtros Heroas habentur.*

cap.21. *Illud fortaſſe magis à lectoribus flagitabitur, ut de bona fortuna, quæ maximè affinis felicitati videtur eſſe, diſſeramus. Cæterum nos hoc tempore ea*

*tantùm referemus, quæ ab Ariſtotele extremo Eudemio, & enodatius, atquè apertius ſecundo magnorum Ethicorum afferuntur. Hic enim locus obſcurus mehercle, & multarum difficultatum plenus, ſatis, niſi fallor, à nobis in libello de libertate voluntatis noſtræ eſt illuſtratus. Bonam igitur fortunã quiddam eſſe, quod in noſtra poteſtate non eſt ſitũ, ſatis conſtat. Quamobrem, quòd iuſti, vel fortes ſimus, fortunæ acceptum non refertur, ſed nobis, ipſis. Veriſimile autem eſſet ſecundam fortunam ex Dei prouidentia contingere. Sed idcircò Ariſtotelis animus in dubio fuit, quòd videret ipſe improbos, ſceleratoſquè homines omnibus perſæpè fortunæ bonis circumfluere; probos autem, & ſapientes aduerſa fortuna conflictari. Ex quo verebatur, ne ſi proſperitatem ad prouidentiam Dei referremus, illum iniuſtitiæ quoddammodo condemnare videremur. Quamobrem ſatius eſſe exiſtimauit, ſi fortunam poneremus quarundam rerum concurſum, quæ quidẽ res nullum inter ſe ordinem, atq; nexum haberent, nobiſquè præter conſilium, atquè inſtitutum noſtrũ contingerent; quemadmodum ſi vitium ponendarum cauſa terram fodiens, theſaurum inuenirem, huius effecti cauſam eſſe fortunam diceremus. Temerè enim euenit, vt aliquis eo loco theſaurum occultaret, quo ego poſtea vites ponere decreui. Quòd*

*ſi res illa nobis temerè contingens bona eſt, atque optanda, ſecunda nos vti fortuna dicimus, ſin mala atque deteſtanda, aduersa nos conflitari conquerimur. Eos autem, qui ſæpenumerò ſecunda vtuntur fortuna, fortunatos appellamus; quemadmodum infortunatos illos, qui ſæpe experiuntur aduerſam. Putauit autem præterea Ariſtoteles, illam à nobis impropriè fortunæ proſperitatem vocari, quando naturæ ipſius bonitate impulſi ad bonum ferimur: ac ſi quis quærat cur feramur, hoc vnũ reſpondere poſſumus, neſcimus, ſed lubet. Nam huiusmodi naturæ bonitas ad certas quaſdam cauſas, vt ad parentũ conditiones, ad ſyderum aſpectus referri poteſt. Intelligendum tamen eſt fortunæ vocabulum, & communius, et magis propriè ab Ariſtotele vſurpari ſolere. Nam ſi communiter accipiatur, iſta etiam naturæ bonitas, omniaq́; corporis bona ad fortunam referuntur, quòd non parùm illa quidem fortunæ caſibus ſunt expoſita: Sin magis propriè, temerarius ille concurſus verè fortuna dicetur, ac diuitiæ, & opes Fortunæ potiſſimum ſubijcientur, quoniam iſtarum rerũ non ita certæ, atque ſtabiles cauſæ perſæpè aſſerri poſſunt. Sic Ariſtoteles primo Rhetorico ad bonam, cõmodamq́; ſenectutem efficiendam duo cõcurrere aiebat, corpus, & fortunam; quaſi bona corporis nõ ad fortunam, ſed potius ad naturam referr-*

*rentur. Hinc ſecundo libro, cùm mores iuuenum, vi rorum, ſenum expoſuiſſet, qui à natura pendent, addebat, agendum ſibi poſthac eſſe de moribus, qui fortunam ſequuntur, id eſt nobilitatem, diuitias, potentiam. Quamobrem non omninò reprehendendus eſt M. Tullius, qui bona externa fortunæ bona appellauit, ac naturam à fortuna diſtinxit, vt in verbis, illis, quibus in ſexta verrima P. Scipionem alloquitur:* omnia in te ſunt, quæ aut fortuna hominibus, aut natura largitur. *Communius autem hoc vſurpato nomine, corporis etiam bona fortunæ bonis ab Ariſtotele adnumerari clarũ ſatis, perſpicuumq́ eſt. Quamobrem eodem ſecundo Rhetorico cùm fortunatorum mores exponeret, dixiſſetq́ in iјs & nobilitatis, & diuitiarum, & opum mores ineſſe, hæc verba addit.* Quamuis bona fortuna tribus his rebus contenta eſſe nõ ſoleat, ſed ornare etiam ſe, ac fulcire vult bonorum liberorum copia, & aliis, quæ corporis bona appellantur. *Hæc igitur ſunt, quæ de bona fortuna Ariſtoteli placent. Nos autem, qui Chriſtum colimus, tametſi cur improbi ſint aliquando fortunatiſsimi, boni autem viri multis opprimantur calamitatibus, rationem reddere nequeamus, aliquam tamen ſubeſſe veriſsimam cauſam, quam nos ob infirmitatem mentis*

*noſtræ non perſpiciamus, omniaq; Dei conceſſu fieri exiſtimare debemus. Ita hominibus ad res gerendas diuinitus confitebimur adiunctam eſſe fortunã. Ac ſanè vel Ariſtoteles ipſe extremo Eudemio felicem eſſe aliquem concedit non mentis ſuæ opera, ſed numine Dei adiutum, ſpirituq; diuino afflatũ; quẽadmodum etiam ex quodam animi furore exiſtere in nobis aliquam ſpeciem felicitatis non nimis pertinaciter negat, quamquam hanc multò minus eſſe continuatam, ac perennem, quàm illam affirmet.*

cap.22. *Cæterùm quando ſæpè bonorum mentionem facimus, hac voce admoniti, quot bonorum genera ſint, vt ad quod felicitas ſit referenda, intelligatur, pertractemus. Quamquàm multiplex eſt bonorũ diuidendorũ ratio. Sed nos duas tantum, quas noſtro inſtituto magis conuenirẽ duximus, perſequamur. Prima igitur eſt huiuſmodi. Bonorũ alia ſunt fines, alia conducunt ad finẽ. Bona enim corporis exercitatio eſt; quoniã ad ſanitatẽ conducit: Bona item ſanitas, quam nobis ceu finem proponimus. Finium verò alius perfectus, alius imperfectus eſt. Perfectus nimirum ille eſt, quem adepti, nulla re amplius egemus; imperfectus autem, cuius acceſſio nõ explet deſiderium noſtrum. Perfectus finis aut nullo ne impropriè quidem dicto motu acquiritur, et eſt prin*

*cipis illius Dei felicißima, beatißimaq́; natura, in qua idem omninò eſt intelligens, intellectum, intellectio, nullumq́; multitudinis, nullum motus veſtigiũ apparet, iſteque eſt ſimpliciter perfectus finis, aut ad eum aliquò, vel proprie dicto motu peruenitur. qualis eſt globorum celeſtium finis, vel impropriè dicto, qualis eſt noſtra felicitas, quam vel actione, vel contemplatione (in quarum vtraquè quaſi, motio quædam deprehenditur) nobis comparamus. Hæc autem perfectus finis eſt, non fortaſſe ſimpliciter, ſed ad naturam noſtram habito reſpectu. Hæc igitur prima ſit bonorum genera diuidendi ratio. Sequitur altera, quæ ad moralem tractationem erit accõmodatior. Bona aut honore digna ſunt, aut laudabilia, aut facultates, aut conſeruantia, efficientia, indicantia bonorum. Honore digna ponimus excellentia quædam, ac diuina bona, vt beatas mentes, felicitatem, & ſi quæ ſunt aliæ huiuſmodi. Bona autem laudabilia propriè ſunt virtutes. Ad ea enim propriè laus pertinet, ad quæ vt incumbamus, quoniam difficilia ad conſequendum ſunt, cohortatione egemus, laudibusquè non parùm incitamur. Tales perſpicuè ſunt virtutes. Verùm hac de re in libello de Honore pluribus. Tertio genere, & bona omnia externa, & bona corporis, atquè etiam animi, quæ tamen à natura nobis contingunt, vt vis*

*ingenij, comprehenduntur. Vocantur autem facultates (ſi modò hoc nomen in latina lingua hac notione ferri poteſt) quoniam dant nobis & benè, & malè agendi poteſtatem. Poſtremum genus exemplis ſatis eſt explicare. Bonum pharmacum dicimus, quòd efficiat, bonam exercitationem, quòd conſeruet, bonum colorem, quòd indicet ſanitatem. Ex his ergo ſatis patere poteſt, quomodo perfectum bonum, ſummoquè honore dignum felicitas cenſeri debeat.*

cap.23. *Omnia quæcunq; ad naturam felicitatis, illiusquè partes cognocendas faciebant, perſequuti ſummus. Quamobrem partes ipſas interſe conferre, vt tota hæc tractatio abſoluatur, neceſſe iam eſt. Quoniam autem cõtemplationem in beata vita efficienda longè, multumq; actioni præſtare credimus, quod multi non credunt, rationibus agere oportet, aduerſariorumq; argumenta refellere. Primùm igitur ponatur illud, quod omnibus exploratiſſimum eſſe debet, maximam, atq; inter cæteras excellentem eſſe felicitatem illam, quæ ad vitam, maieſtatemq; Dei propius accedat. Deindè hoc iacto fundamento, vitam, quæ in contemplatione verſatur, diuinæ ſimiliorem, atquè propinquiorem eſſe, quàm illam, quæ in actione conſiſtit, ita probemus. In Deo non appetitus rationis expers, non affectiones reperiuntur, vt nemo*

*inficiabitur, ergo neque in eo virtutes morum reperiri poſſunt, quæ perſpicue in affectionibus moderandis verſantur. Deus non ratiocinatur, non deliberat, non conſilium capit; ergo prudentiæ expers eſt, quæ ſine deliberatione, & conſilio locum habere non poteſt. Quid igitur? obdormiſcit ne fortaſſe Endymionis ſomnum? nihil minus: quinimo aſſiduè ſine labore nunquàm defeſſus agit. Actio autem ipſius eſt, ſe ipſum, atquè in ſe ipſo omnia intueri; atquè hac actione ſola vitam viuit vndiquè perfectam, ac beatiſſimam. Contemplando igitur Deo ſimiliores erimus, quàm virtutum, prudentiæquè muneribus fungendis. Præterea Dei felicitas æterna eſt, nunquàm interrupta. Contemplatio in nobis diuturnior eſt, quàm virtutum officio eſſe queant (nam dum contemplamur, è nobis ipſis duntaxat pendemus, nobiſquè ipſis caremus nunquàm; virtutes autem occaſionem expectant; & quaſi campum, vbi ſe oſtendant, atquè exerceant, deſiderant) contemplatio igitur ad æternitatem diuinæ felicitatis propius accedit. Tertium argumentum hoc ſit. Deus, vt ſit felix, nihil externum requirit, quod inter omnes ſatis cõſtare arbitror. Vita autẽ cõtemplationi dedita multò minus externũ quippiam, quã vita in actionibus ciuilibus occupata, poſtulat: ergo diuinæ ſimilior eſt.*

*Vita enim ciuilis, vt præclarè queat agere, opes, copias, clientelas, dignitatés requirit. At qui contemplatur, ſecum, & cum Deo, quem contemplatur, viuens paucißimis eget ad vitam ſuſtentandam. Hinc etiam aliud argumentum ducitur. Felicitas enim Dei nihil aliud eſt, quàm ipſa met ſui ipſius contemplatio, quæ nihil extrinſecus poſitum, tanquã finem ſpectat, ſed ipſa ſummus eſt finis. Ita nos dum contemplamur, in ſola contemplatione acquieſcimus, neque ipſam ad alium finem referimus. Virtutum autem munera, ciuiliaquè officia finem ſibi externum proponunt, vt ciuium concordiam, annonæ vilitatem, ocium cum dignitate. Atqui omnino vita ciuilis aßiduè negotijs, ac litibus odioſißimis implicata cernitur, ac turbarum, tumultusquè plenißima eſt, ex quo ſupremus noſter finis eſſe non poteſt; cum natura dictante intelligamus labores eſſe capiendos, vt quieſcere poßimus: quemadmodum etiam bellum pacis conſeruandæ, aut pariendæ cauſa eſt ſuſcipiendum. Contemplatio igitur ſummus finis erit, quæ tranquillitatis, & quietis, eſt amiciſſima. Adde vitam ciuilem homini conuenire, quà ex animo, ſenſu, corpore, concretus eſt, contemplationem autem mentis ſolius propriam eſſe: quæ tamen mens vel per ſe ſumpta, verè homo appellari poſſit: quod Ariſtoteles decimo libro de Moribus ad*

*Nico-*

*Nicomachum innuit, in nono autem exemplo etiã confirmauit. Nam quemadmodum pars præcipua, atquè optima ciuitatis etiam videtur eſſe ciuitas, itemq́ de alio quouis conuentu ſentiendum, ſic & hominis partem eam, quæ dominari debet, id eſt mentem, hominem eſſe affirmauit. Quòd ſi mens ſoluta, nobilior, Deoq́ ſimilior eſt, quàm huic ſeditioſo, turbulentoq́ appetitui, & craſſo, concretoquè corpori coniuncta; profectò vita mentis ſolius vitam totius hominis, atq́ concreti longè antecellet, ac beatior erit. Quod etiam libentius confitebimur, ſi cogitabimus in virtutum muneribus fungendis rationem, ac mentem non ferè ſui ipſius, ſed partis potius illius, quæ ratione caret, bonum, pulchrum, decorum procurare (illam enim ad moderationem, ac tranquillitatem vocat, ducitq́) ſic ſeruire illi tanquàm præceptorem diſcipulo. Indignum autem videatur, ſi diuina animæ noſtræ pars continenter in inferioris, viliorisq́ procuratione ſit occupata, aut etiam ſi ſine ea agere non queat, ſed neceſſe ſemper ſit comitem ſibi, ac ſocium adiungere, appetitum; quemadmodum in virtutum officijs præſtandis euenire ſuperius oſtendimus. At cùm contemplatur, ſe ipſam exornat, perficit, Deo coniungit; ita per ſe præſtantiſſimum munus obit. Cõcludamus igitur tot, adeoq́ veris freti rationibus, in contemplatione ſummam*

*noſtram atq; abſolutiſſimam conſiſtere felicitatem. Ex quo felicitatis, ac beatitudinis nomen in ijs ſolũ naturis vſurpamus, quæ contemplandi vim habẽt, id eſt, hominibus, ac Dijs; minimè autem bruta animantia, beata dicimus (quamuis aliqua ex ipſis non nulla, ac ſatis quidem clara prudentiæ, virtutumq; indicia præbeant (quoniam contemplandi facultate ſunt deſtituta; quaſi quàm longè, latèquè funditur vis contemplandi, tam longè etiam beatitudo fundatur.*

cap. 24. *Cæterum illorum rationibus reſpondendum eſt, qui contrariam opinionem tuentur, actionemq;, & ciuilia officia contemplationi præſtare putant. Primùm illud in ore habent. Si homo, & mortalis es, vt certè es, humana, & mortalia cures, neq; te diuinis immiſceas: Cæteroqui naturæ repugnabis; quod, vt inquit ille nihil aliud eſt, quàm gigantum more cum Dijs bellum gerere. Hinc à multis laudatus Socrates, qui reliquis Philoſophiæ partibus neglectis, vnam illam coluit, quæ ad mores, vitamquè hominum inſtituendam erat accommodata. Deindè grauiore illo, firmioreq; argumento agunt, quod, cum nos in primi libri initio afferremus, hucuſq; cõfutandum diſtulimus. Ponunt enim illud hominis ſummum, ac maximum officium eſſe, hominum ſocietatẽ, præcipuèq; patriã ſuã iuuare. Id cum*

*magis ciuiles actiones præſtent, quā contemplatio; ſequitur, vt actio cōtēplationi ſit præferēda. Ex quo Ariſt. primo lib. de arte dicēdi Iuſtitiā, ac fortitudinē maiores virtutes, quā ſapientiā eſſe dixit, quòd ab illis maiora in humanū genus beneficia proficiſcerentur. Ac per Deos nō ne parricidio ſe inquinet ille, qui in iucūdiſsima cōtemplatione cōquieſcens, ſi interim audiat patriā ſuā euerſum iri, niſi ipſe auxilium ferat, nō ad illam defendendā poſthabita contēplatione accurat? Poſtrema illa ratio eſt, quā magni videtur feciſſe Ariſtoteles. Prudentiæ proprium munus ſtatuimus, de ijs, quæ homini ſimpliciter bona, vel mala ſunt, deliberare, bonaq́, eligere, et ſumere. Sapiētia bonū, atq́, adeo optimū quiddā homini eſt; ergo ipſa etiam ſub prudentiæ delectū cadet. Ita, quēadmodū reliqui Artifices, quos architectus ad aliquod opus moliendū adhibet, architecto ſubijciūtur, ſapientia etiā prudentiæ ſubijcietur, cū hæc illā adhibere videatur ad felicitatē hominū cōparandā. Hæc, vt ſperamus, ſi refellentur, nullus amplius erit ſcrupulus, qui nos malè habeat. Primo autē argumento primū occurrentes, dicimus nullo pacto nos repugnare naturæ, ſi in hoc etiā corpore habitātes vitā beatarum mentiū imitemur. Ipſa enī fuit, quæ nobis hāc vim, facultatemq́, dedit, hoc bonum illi periculo opponens, in quo aſsiduè verſamur, induendi ſcilicet*

*brutorum animantium imaginem, illorumq́ mores exprimendi. Nec verò eo tempore mortales, aut etiam vulgari notione homines ſumus: vitalem enim, diuinamq́ mortem commentati, vt Platoni cè loquamur, quaſi ſolutæ quædam mentes remanſimus, diuinaq́ tantùm curare & poſſumus, & debemus. Hinc ſecundum etiam argumentum, quòd ſpeciem valdè inſignem habebat, non multum poſſe oſtendemus. Nam cum ſolutæ mentes factæ ſimus, priore amiſſa in aliam ciuitatem adſciti ſumus, id eſt, cæleſtem Hieruſalem, quam quidem ſuam domum, ſuum fundum appellauit Anaxagoras. Nam cum reprehenderetur à ſuis, quod meditationi deditus, neq́ ædium ſuarum, quas ſatis magnificè extructas habebat, vllam curam gereret, neque villas, amœnas quidem illas, & elegantes, viſere vnquàm cuperet, in cælum oculis ſublatis, Hem mea domus, inquit, hem mi funde, quàm vos curo, quàm veſtri deſiderio ardeo. Cæli igitur quaſi habitatores euaſimus; idcirco alia quadam ratione, vt ſuperius declarauimus, humano generi proſumus, quàm anteà faceremus, non opera inquàm, & laboribus, ſed votis, & precibus, quas plurimū apud Deum poſſe ob amicitiam, quæ illi cū ſapiēte intercedit, credibile eſt. Vt enim Octauianus Auguſtus Alexandriam de ſe, patreq́ ſuo peſſimè meritam*

*ciuis Alexandrini amici ſui gratia à ſe conſeruari profeſſus eſt; ita & maximorum virorum autoritas, & mehercle etiam ratio nobis ſuadet conſeruari à Deo incolumes ciuitates, & regna ſapientis hominis, idcircoq; ſibi acceptiſſimi precibus exorato. Quamquàm fortaſſè nihil impedit, quò minus opera etiam, & conſilio patriam iuuet. Quòd ſi magnis, vel immenſis potius, & infinitis tam ſæpè parua conferre fas eſt, eiuſdem Dei exemplo patefiet. Intuens ille ſemetipſum, atquè intelligens incomprehenſa quadam virtutis redundantia cœlũ mouet, & orbem terrarum gubernat; Ità ſapiens maximarum, & præſtantiſſimarum rerum cognitione cumulatus, quadam ſcientiæ illius quaſi fœcunditate idoneus erit, ad Remp: adminiſtrandam, exprimitq; quantum fas erit in rebus humanis diuinũ illud adminiſtrationis exemplar, quod contemplando cognouit. Talem fortaſſe Mercurium Triſmegiſtum & vidit, & diuinis honoribus affecit antiquitas. Talis ſine dubio Moſes fuit, quem eundẽ fuiſſe, ac Triſmegiſtum non iniuria Artapanus hiſtoricus putat. Ab huiuſmodi principe beatiſſimas reddi Reſp. Plato non dubitauit. Quò ſpectantes Aegiptij, vt ex philoſophia, & ſacerdotio ad regnum perueniretur, ſapientiſſimè conſtituerunt. Iuuat etiam homo contemplationi deditus, non mo-*

*dò eos qui viuunt, ſed etiam omnem poſteritatẽ libris diuinitus à ſe ſcriptis, cum qua profectò vtilitate haud ſcio, an vlla cõferri queat. Nam, vt præclariſsimos ex Chriſtianis, ac verè diuinos ſcriptores omittamus, de nullis politicis hominibus æquè, ac de Ariſtotele, et Platone, quòd nati ſint, lætari poſſumus. Quòd ſi Ariſtoteles in Rhetoricis Iuſtitiã, & Fortitudinem ſapientiæ, tanquã humano generi vtiliores virtutes prætulit, id ea ratione fecit, quoniam ijs in libris ad vulgi ſenſum, opinionemq; ſibi accõmodatè loquẽdũ eſſe iudicauit. Ac ſi fateamur etiã actionẽ aliquando contemplationi eſſe anteferendam, vt in ſummo quodam patriæ, ac parentum diſcrimine, reſpondere tamen adhuc poterimus, id non tàm propterea quòd actio cõtemplatione ſit præſtantior, quã neceſsitate quadam euenire, quemadmodum etiam cibo, et potui ſua tempora damus neceſſariò. Neceſſitas profectò à lege diuina nobis impoſita videtur eſſe, vt dùm in terris ſumus patriã, ac parentes præcipuè in tàm neceſſario tempore, omni ſtudio, atquè opera tueamur. Ac ſanè, quod in vulgaribus amoribus euenire cernitur, vt quamuis ex amicæ aſpectu ſumma ad nos perueniat voluptas, tamen vt ab illa gratiam ineamus, longiſsimè aliquando abire non recuſamus; idem hac in re vſu venire non eſt, opinor, abſurdum, vt amore Dei flagrantes, ni*

*hilq́, magis exoptantes, quàm illius conſpectu frui, quo tamen illi gratum faciamus; contemplatione paulisper relicta ad ciuilia officia non multum in ijs cõmoraturi reuertamur. Quamobrem Pythagoras aſsiduè in contemplatione verſatus, eoq́; cibo planè viuens, tamen in celebri illa ſua epiſtola ad Anaximenem ſcripta, affirmabat æquũ eſſe, vt aliquando à contemplatione ad agendum nos conuerteremus. Reſtat, vt quod poſtremò cadebat in queſtionem, explicemus. Videbatur enim ſapientia tamquàm miniſtra, & ancilla quædam à prudentia ad felicitatem comparandam adhiberi. Quod quidem tantum abeſt, vt verum ſit, vt potius miniſtra, atquè ancilla ſapientiæ cenſeri prudentia debeat. Duo autem potiſsimum in hoc quaſi famulatu munera, exequitur, alterum Atrienſis, alterum verò Prodromi cuiuſdam. Atrienſis quidem, vt oſtendit Ariſtoteles, in magnis Ethicis quoniam, vt ille omnia domi gubernans, ocium domino parat, ne ille rerum domeſticarum cura impeditus à Reipub. procuratione abſtrahatur; ſic Prudentia affectiones cohibendo, ac moderando illud præſtat, vt mens ſapientiæ, tamquã primario, ac perfectiſsimo ſuo muneri dare operam poſsit; Prodromi verò quoniam ipſa eſt, quæ de rebus homini bonis delibe rans, nobis nunciat, alteram eſſe poſt ſe virginem*

*formoſiſsimam, id eſt ſapientiam, quã ſummo animi ardore amplecti debeamus, utquè illi nos dedamus, cohortatur, qua quidem cohortatione ingenuè confitetur, ſapientiam longè maius, ac diuinius bonum eſſe. Non igitur adhibet ſapientiam, tanquã famulam, ſed illam potius nobis oſtendit, ut dominam, nequè ſapientiæ, ſed nobis potius, ut illam ſequamur, imperat, quemadmodum etiam cum ad religionem nos vocat, non Dijs quidem immortalibus, ſed nobis, vt illos colamus, præcipit. Verùm in hoc alterò prodromi munere fungendo, ſi prudentia ſapientiam ipſam, tanquàm ſummum finem diſpicere debet, nobiſquè patefacere, ſcientia illa, quæ de mentis humanæ natura tractat, cõfirmata ſit oportet: cæteroqui de vero, ac præſtantiſsimo hominis fine ſatis verè deliberare non poſsit. Quocirca non temerè Simplicius, & Auerroes grauiſsimi viri dicebant, ex phyſiologia comparari prudentiam, ac virtutes omnes.*

cap. 25. *Reliquum eſt, ut noſtra opinione ſatis explicata faciamus nunc, ut de ſententijs aliorum exponendis promiſſa appareant. Qua in re nequè ab Ariſtotelis etiam imitatione diſcedemus, qui cum in duodecimo libro Theologiæ vera omnium rerum principia pertractaſſet, tertium, & quartum decimum in Pythagoreorum, & Academicorum dog-*

matis

*matis expendendis conſumpſit. Ac ſanè recto cognito, facillimè cognoſcitur obliquum: quamquàm Ariſtotelem iuſtiſſimæ perſæpe cauſæ impulerint, vt antequàm opinionem ſuam in animis legentiũ inſereret, iam inſitas euellere conaretur. Sed hoc aliàs. Ordiemur autem ab Auerrois opinione, quoniam is maximam curam in hac præcipuè quæſtione poſuit, aciemquè ingenij ſui contendit; eamquè primùm ita exponemus, vt à plerisquè ſolet, deindè an alij quidam ſummi viri probabiliorem interpretationem attulerint, conſiderabimus. Deinceps ad reliquorum ſententias, quæ multos, & acres amatores repererunt (nam omnium rationem habere ineptum, atquè odioſum eſſet) aperiendas, atquè explanandas pergemus.*

*Mentem noſtram vnicam numero videtur ponere Auerroes, & infimam ſimplicium mentium, quæ continenter, ac perpetuò reliquas beatas mentes, ac præcipuè omnium principem Deum contemplatur, atquè adeò intuetur. Verùm hoc intelligendum eſt cæteras mentes à prima, id eſt à Deo. Opt. Max. nòn parum differre. Prima enim ſeipſam duntaxat intelligit, & idcircò ſimpliciſſima eſt, atq; ab omni concretione ſegregata. Reliquæ verò non modò ſeipſas intelligunt, ſed etiam primam, atquè in huius comprehenſione illarum perfectio, abſolu-*

*tioq́; ſita eſt. Quocircà erit in ipſis cõpoſitio quedã for ma, et materiæ; cũ intellectũ ſit expletio naturæ, & quaſi forma intelligentis. Neq́; hac ſolũ ratione cæteræ mẽtes coagmẽtatæ quodãmodo ſunt, ſed etiã per ſe ipſæ. Omne enĩ effectum neceſſariò cõpoſitum eſt: at cæteræ omnes mentes à prima effectæ ſunt; et ab illa pẽdent, tanquã à fini, et forma, et cauſa efficiente: ergò neceſſariò ſunt cõpoſitæ. Cõpoſitio autẽ illarũ naturæ nõ repugnãs, talis fortaſſe ſtatui à nobis poſ ſit. Omnis perfectio naturã formæ redolet, ſicuti perfectionis defectus naturam materiei, et priuationis. Omnes autẽ mẽtes præter primã cõſiderari queunt, tùm vt ad primã accedunt, tùm vt ab illius maieſtate, ac præpotenti vi nõ parum recedunt. Acceſſus ille eſt perfectio, et formæ inſtar obtinet; receſſus autem ſignificat potius conditionem materiei, & perfectionis priuationem. Ita mens omnis præter primam erit compoſita non quidem ex materia, & forma, sed tamen ex duabus partibus, quarum altera, id eſt acceſſus ille ad primam, & ſimulachrum illius, veriſsimè forma eſt, altera autẽ, id eſt receſſus à prima & perfectionis defectus quiddã ſimile materiei obtinet. In mente autẽ humana hæ duæ partes proprijs nominibus ſunt inſignitæ. Mens enĩ noſtra vt accedens vocatur ab Auerroe, quãtũ pleriq́; ſuſpicantur, mens efficiens: vt autem recedens, mens capax; quæ*

*vox materiē videtur ſignificare. Hæc nomina vſurpantur etiā nōnunquā in reliquis mentibus, ſed noſtræ tamen præcipuè ſunt accōmodata, cauſaq; paulò poſt apparebit. Cæterū, cùm nō equaliter ad primā cunctæ accedant, vel recedant; certè quæ propius accedit, ac propius abeſt, multò excellentior alijs, ac perfectior cenſeri debet. Queādmodum autē prima, veluti diximus, eſt omniū perfectiſsima, ſic noſtra omniū vilißima eſt, atq; infimo loco conſtituta. Prima ſeipſam duntaxat intelligit: ſic omnē in ſe perfectionem incluſam gerit. Intermediæ ſeipſas intelligunt, et ſuperiores vſq; ad primā. Noſtra verò nō modò ſeipſam, et ſuperiores, ſed etiā inferiora, res ſcilicet cū materia cōcretas. Neq; verò eſt, quòd de hac rerum inferiorū cognitione glorietur. Etenim hac re, infima illius ſors, cōditioq; ſignificatur; quòd ab illo præſtantiſsimæ mētis numine tàm lōgè receſſerit, et materiæ cōditionē ita adſciuerit, vt non modò cæteris ſimplici bus mentibus cōiungi, ſed etiā formis rerū cū materia cōcretarū ſubſterni potuerit. Quo autē pacto ad has cognoſcēdas ſit affecta, primū declaremus oportet; deindè modū etiā, quo ſuperiora cōprehēdit, explicabimus. Poteſt mēs humana per ſe ipſa conſiderari, vt adhuc illā cōſiderauimus: poteſt etiā nō per ſe ipſa ſed hominibus cōiuncta. Quo loco cogitare debemus, queādmodū ſi lunæ globus in multas partes diſſectus*

*eſſet, omnes tamen illæ partes ab vna mente perficerentur, & fouerētur, ſic vnam eſſe ſphæram menti humanæ ſubiectam, quamuis in multos, atq; adeò infinitos homines diſpertitam; quæ ſphæra non animatur, quidem omninò à mente, ſed potius coniungitur menti, atquè illi inſeruit, vt artifici ſuum inſtrumentum. Animantur enim homines à propria quadam forma, quam Auerroes animam ad cogitandum idoneam vocat. Hæc in omnibus decem Cathegorijs indiuidua percipit, componit, ac diuidit, vt hoc animal cum hoc homine, aut ab hoc homine hūc lapidem: ratiocinatur etiam ex aliqua re ſingulari aliam ſingularem, vt non eſſe Dyoniſio cuſtodes corporis concedendos, quoniam Pyſiſtrato conceſſi occaſionem illi tyrānidis occupandæ præbuerunt. Hæc alio tempore ſumpta, alio complexionem, prius item rem ſubiectam, quàm attributum cognoſcit. Contrà prima illa, & beatiſſima mens ſimul ſumpta, & complexionem, ſimul id, quod ſubijcitur, attributumq; cumprehendit: quinimò non hæc in illa rectè vſurpantur nomina; omnia enim intelligit vnico obtutu ſeipſam intelligendo. Mens autem noſtra mediam quandam ſortita eſt naturam. Non enim, ſi naturæ ordinem ſpectes omnia ſimul percipit, ſed in ſumptis complexionem, in eo, quod ſubijcitur, attributum. Sic non decurrit ex vno in aliud, quem-*

*admodum anima cogitans, ſed tamen decurſus illius quoddam veſtigium retinet. Nunc illud attendendum eſt, quemadmodũ Lunæ globus à ſua mente moueri non poteſt, niſi intermedia quantitate (nã quod quantitate caret, motu etiam omninò careat oportet) ita mens humana à rerum corporearum formis perfici, formariquè nequit, niſi phantaſmata præſtò ſint, ac de illis cogitans anima: coniungiturq́ omninò nobis mens noſtra animæ cogitantis interuentu. Etenim cùm anima cogitans hunc hominem conſiderat, mens ipſa ſe ſe nobis patefacit, & oſtendit hominem vniuersè intelligens: cùm anima cogitans percipit hunc hominem eſſe hoc animal, mẽs ita ſeſe nobis inſpiciendam præbet, vt vniuersè hominem eſſe animal cognoſcamus. Item cùm anima cogitans ex quapiam re ſingulari aliquàm aliam colligit, mens communes rerum ſummas ſecum gerens nobis coniungitur; efficitquè, vt res vniuersè intelligere, atquè vniuersè ratiocinari poſſimus. Ita mens non componit, & diuidit, non ratiocinatur per ſe ipſa, ſed animæ cogitanti, componenti, ac diuidenti, ratiocinantiq́ coniungitur. Reddit enim præſentia ſua, quæ in anima cogitante ſingularia erant, vniuerſalia. Ita etiam falsò aliquid alicui vniuersè attribuimus, quando anima cogitans in ſingularibus decipitur. Nam omninò res ſingulares in ani-*

*ma cogitâte ſuſceptæ repentè luce aduentantis mentis reddũtur vniuerſales: et ſi anteà res aliqua ſingularis alteri falsò attribuebatur; facta etiã vniuerſalis falsò attribuetur. Sed eò, vndè diſceſſimus, reuertamur. Accipit mens humana ſpecies rerũ cum materia cõcretarũ ex ipſis phantaſmatis ab hominibus comprehenſis. Idcircò neceſſe eſt reperiri ſemper aliquem hominem cogitantem. Nec verò cum in aliquo homine phantaſma aboletur, aboletur etiam rei in phantaſmate exiſtentis ſpecies in mente recepta; cùm ſpecies hæc in alterius hominis phantaſmate conſeruetur; prout natura humana Pompeio pereunte in Cæſare conſeruatur. Nequè verò ſi fieri poteſt, vt hic homo, & ille non cogitet, continuò ſequitur, vt nullum etiam cogitare poteſit. Nam materia prima ſine hac, & illa forma eſſe poteſt; in vniuerſum ſine forma eſſe non poteſt. Sic vnus, & alter homo, vt non cogitet, fas eſt; vt nullus verò, prorſus nefas. Ergo mens contemplans apud Auerroem erit mens ipſa capax formis rerum cũ materia cõcretarum exornata; quæ formæ cum continuata phantaſmatum ſucceſſione incolumes perdurent, ipſa quoquè erit æterna. Hoc modo mens noſtra ſpectatur, vt ſphæræ humanæ coniuncta: verum poteſt etiam conſiderari, vt mihi, vel tibi coniuncta (nos enim hunc ordinem,*

*tanquàm explicatiorem ſequimur, quamuis ſi naturæ ordo ſpectetur, contrà fortaſſe res ſe habeat, & ex eo quòd mihi, ac tibi mens humana coniungitur, vniuerſæ poſteà ſphæræ coniungatur, idquè nos ſuprà innuimus) In qua quidem nobiſcum copulatione mens ipſa nihil immutatur, ſed nos ſumus, qui immutamur (vt columna nobis dextra, vel ſiniſtra fit nihil ipſa, ſed nobis motis) nequè ad nos deſcendit, ſed nos ad illam aſcendimus: Atq; omninò cũ anima cogitans aliquod phantaſma comprehendit, quaſi nebula diſsipata efficitur, vt mentem ipſam, atquè in mente ſpeciem illius vniuerſalem effulgentem comprehendere poſsimus. Quamobrem intellectio noſtra in relatione quadam conſiſtere videtur; id eſt in coniunctione mentis nobiſcum. Coniungitur autem, vt diximus; cùm anima cogitans ita benè affecta eſt, benèquè officio ſuo fungitur, vt ea intermedia ad mentem accedentes, mente ipſa, ipſiusquè formis fruamur. Explicemus nunc rurſus, quid verè ſit mens efficiens, quid item capax, quidquè iſta vocabula ſibi velint. Mens humana ſi per ſe ſpectetur, non autem ſuo globo coniuncta, quamuis forma ſit, retinet tamen quoddam materiæ veſtigium, vt ſuperius oſtendimus, ex quo veſtigio*

*mens capax nuncupari poſſet, ſicuti ex ſupremo ſuæ perfectionis gradu mens efficiens: verùm non ſatis propriè iſta tunc nomina vſurpares. Sin autem ſuæ ſphæræ coniuncta conſideretur, plena formarum, et ſpecierũ nobis apparebit, quæ ſpecies in phantaſmatis conſeruantur. Hæ autem ſpecies euaſerunt vniuerſales vi, & efficacitate mentis noſtræ, atquè hoc pacto mentem exornare potuerunt; vt colores præſentia lucis diaphanum formant. Erit igitur in mente noſtra quaſi duplex naturæ conditio: Altera, qua ſpecies illuſtrantur, altera, qua ſuſcipiuntur. Priorem conditionem ſi ſpectes, mentem noſtram efficientem, vel potius conſeruantem (nam cũ ſint æternæ ſpecies, vt diximus, cõſeruante potius, quàm efficiente indigent) nuncupabis; ſin autem poſteriorem, capacem, atquè ad ſuſcipiendum idoneam. Verius adhuc, magisquè propriè iſtis vteris nominibus, ſi mentem humanam, vt mihi, vel tibi coniunctam conſideres. Nam equidem ex ſingularibus percipio vniuerſalia, quatenus vi mentis meæ rerum ſingularium ſpecies ſunt illuſtratæ, factæquè vniuerſales, & eiuſdem mentis natura ad patiendum accommodata ſunt receptæ. Idem in te euenit. Quare ratione noſtri habita recenter videntur, & illuſtratæ ſpecies, & receptæ. Sic in mente conditio efficientis, & capacis naturæ videtur exiſtere.*

*ſtere. Hac eadem ratione mens aliquando actu, aliquando habitu eſſe dicitur. Actu enim mens appellatur, quando nobis actu cogitantibus ſpecies rerũ vniuerſales offert, ita vt illas intelligamus: mens autem habitu, quando anima cogitans ita benè affecta eſt, vt quandocumq; libet, ſpecies eas, quæ in mente ſunt, inſpicere valeamus. Cæterum, cur, ſi hæc ſententia Auerrois fuit, in commentarijs de anima poſteà dicat mentis proprium eſſe in rebus agendis verſari, quæ ſingulares ſunt, itemquè alio loco mentis opus eſſe vniuerſale à ſingulari diſtinguere, ac propterea vtrumquè cognoſcere, res prætereà compoſitas, & priuationem; animam verò cogitantem nequè etiam ſingularia componere, ij, à quibus ita exponitur, diligenter videbunt. His ita conſtitutis, qua in re mentis noſtræ felicitas, ſi per ſe ſpectetur, qua item in re, ſi nobis coniuncta, conſiſtat, attendamus. Vt prior quæſtio explicari poſſit, primum illud ſtatuendum eſt, mentem noſtram ita copulari cum ſuperioribus mentibus, vt illas intueatur. Nam ſi mens noſtra res cum materia concretas intelligit, illas à materia ſegregando; multò magis illa intelligere debebit, quæ ſuapte natura ab omni cõcretione materiei ſunt liberata: cuiuſmodi ſunt mentes ſuperiores: quemadmodum etiam oculus noſter, quoniam colores comprehendit, ſi in lumine*

*collocentur, idcircò lumen ipſum magis comprehendere cernitur. Nec ſanè cauſa vlla videtur fingi poſſe, cur menti æternæ, & ſimplici, cuius natura nihil aliud eſt, quàm intelligentia; qualem noſtram ponimus, reliquæ mentes coniungi dedignentur. Coniungitur autem mens noſtra ſuperioribus mentibus, quà ad illas accedit, illarumquè ſimilitudinem gerit. Hic acceſſus, hæc ſimilitudo perfectionem ſignificat; quam perfectionem efficientis nomine, quamuis minus propriè, appellari aliquando diximus. Ita ſuperiores mentes, & præſertim Deus eſt quaſi Sol, gradus vero ille mentis noſtræ, ex quo efficiens dicitur, eſt quaſi lumen, quo ipſe Deus ab humana mente perſpici poteſt. Copulatur autem Deus tanquàm forma cum mente noſtra intermedio hoc lumine: quapropter intellectio mentis, cum Deum intelligit, poteſt quodammodo Deus appellari; ſicuti Ariſtoteles aſpectum dixit colorem eſſe. Coniungitur igitur mens humana (non enim fruſtrà hæc ſæpius repetuntur) cum Deo, tanquàm cum forma, atquè formata Deo Deum intelligit. Idem de intermedijs mentibus cenſendum eſt. Felix eſt autem & iſtas quidem intermedias mentes intelligendo, ſed longè magis ſupremam illam intuendo, in qua omne bonum, pulchrum, iucundum ſitum, atquè collocatum eſt. Ex quo Deus*

*vt à ſeipſo intellectus, eſt ſua ipſius felicitas, vt autem intellectus ab alijs mentibus, felicitas, & beatitudo illarum. Non æqualiter autem ab omnibus comprehenditur; ſed quò quæquè mens perfectior eſt, & clariore lumine prædita, eò perfectius comprehendit. Quo fit, vt Deus ſit noſtræ mentis felicitas non ſimpliciter; ſic enim mens noſtra à reliquis non differret, ſed quatenus ab illa comprehendi poteſt, nequè vim mentis efficientis, id eſt ſummam mentis noſtræ perfectionem, altiſſimumquè gradum exuperat. Hucusquè mentem humanam per ſe ipſam ſpectauimus: Nunc eandem ad ſuum globum conuerſam ſpectemus, paulò poſt, vt Catoni, & Bruto coniunctam conſideraturi. Ad ſuum globum conuerſa ſpecierum, formarumquè plena eſt, & mens contemplans nominatur; quamobrem in hoc ſita eius beatitudo eſt, vt omnibus formis, quibus poteſt, ſit exornata, illasquè aſſiduè ſpeculetur; ſuam etiam met naturam tanquàm earum formarum, & ſtratum, & lumen interea intelligens, & ſummum illum Solem, à quo ſuum lumen proficiſcitur, inſpiciens. Poſtremò conſideratur vt Alcibiadi, ac Pericli coniuncta, vel potius vt nos illi coniungimur. In hac quidem coniunctione duplex opera requiritur.*

*Altera eſt, quam noſtri medium poſitiuum appellarunt, ut nos ſcientijs, phyſiologia præſertim, ac Theologia (nam cæteræ potius exercitationes quædam ſunt, et illarum duarũ famulæ) abundè inſtructi ſimus. Nã tunc primũ ex plurimarum rerum cognitione et mentẽ efficientẽ tanquã illarũ rerũ ſpecies illuſtrantem, & mentem capacem tanquàm recipientem intelligemus (& hoc pacto dicimur cum mente efficiente copulari) Deinde cognitione hac iam confirmati, & acriores ad percipiendum facti totum mentis noſtræ naturam comprehendemus; & quemadmodum illa ſuperioribus mentibus perpetuò coniuncta eſt, ita nos ijſdem, & in primis primæ coniungemur; in quo veram, ac ſummam felicitatem noſtram eſſe locatam exiſtimare debemus; cum id votis omnibus tacito naturæ impulſu expetamus (Deum enim intueri mirabiliter cupimus) naturæ autem deſideria inania ferè eſſe non ſoleant; cumquè nulla cauſa afferri poſſe videatur, cur mentis noſtræ nobis coniunctæ bono frui nequeamus. Alteram autẽ operã requiri etiã diximus, quã noſtri medium priuatiuum vocant. Ea autem adhiberi debet in appetitu, atquè affectionibus moderandis, & cohibendis, ne ſint vehementiores, atquè animam noſtram cogitantem de ſtatu deijciant, atquè à cogitatione auertant. Quare philoſophiam quoq;*

*illam, quæ vitam, moresq́ instituit, ad felicitatem conſequendam eſſe neceſſariam affirmamus. Hæc ſi fuit Auerrois ſententia, vt multi, qui illius ſectam adamarunt, exiſtimant, plurimaquè ipſius scripta ſignificant, tota mihi ex mendacio videtur eſſe compoſita. Nam quì nos quicquam vnquàm intelligere valeamus, & mentem noſtram, quæquè in mente ſunt, intueri, non video? Quid enim nos ſumus ò Auerroes? Reſpondebis ſine dubio, anima cogitans cæteris inferioribus animabus, & huic annexa corpori. At ſi anima cogitans rerum ſummas, id eſt ſpecies, & genera, multòquè minus mentes illas puras, & ab omni concretione materiei, & corporis ſegregàtas, cum ipſa ſit corporea, nequit percipere, ſed tantum indiuidua, vt ſæpè clamas, quo pacto percipiemus nos, qui nihil aliud, quàm anima cogitans ſumus? Quod ſi propterea quòd mens, quæ intelligit, nobiſcum copulatur, nos etiam intelligere exiſtimas; eò res redibit, vt nauis etiam nautæ intelligenti coniuncta ſit intellectura. Verùm non iſtud hoc tempore agimus, vt inter Philoſophorum de mentis humanæ natura ſententias accuratè iudicemus. Recenſere ſatis ſit illas, quæ maximè extant, & argumenta quædam, quibus à veritate abhorrentes explodantur, breuiter attingere. Videamus igitur modò, quantum Themiſtij inter*

*Peripateticos acutiſſimo ingenio, elegantiquè iudicio hominis ſententia ab Auerroica diſcrepet, ac diuerſa ſit, eam etiam illo modo exponentes, quo ab iiſdem, qui Auerrois ſenſum ita, vt diximus, interpretati ſunt, exponitur. Nam poſteà aliam ſententiæ amborum interpretationem in medium afferemus.*

cap.26. *Themiſtius tris intelligentes naturas videtur induxiſſe, Deum, Mentem humanam, & intermedias mentes. Deus omnium rerum cauſa eſt, illisquè hoc tribuit, vt ſint. Hoc enim, quod eſſe dicimus, eſt peculiare effectum Dei. Quapropter omnia etiam in ſeipſo intelligit, quatenus ſunt, cum ſit fons ipſius eſſe; vt qui calorem percipit, omnia, quæcumquè calida ſunt, eodem temporis puncto percipere videtur. Mens autem humana eadem eſt, quæ totius mundi anima, quæ rebus nõ eſſe ſimpliciter, ſed eſſe hominem, vel equum tribuit. Idcirco in ſeipſa equum, vt equum, atquè hominem cognoſcit. Intermediæ verò mentes non ſimpliciter eſſe, quemadmodum Deus, non peculiarem formam, vt mens infima, ſed quẽdam mediũ exiſtendi gradum, mediamq; naturæ conditionem tribuunt. Ita etiam in ſe ipſis res inferiores intelligunt, vt in hac intermedia naturæ conditione exiſtentes. Sed ad infimam mentem reuertamur.*

*Ea anima mundi appellatur, vt res omnes, quæ in hac vniuerſitate continentur, format, atquè animat; anima autem hominis, vt præſentia ſua vitam homini tribuit; vt verò intelligit, ac nobis etiam autor intelligendi eſt, mens, atquè intelligentia vocatur. Hæc primum ſi ſpectetur, vt ſuperioribus mentibus formata illas comprehendit, ſimpliciter intelligentia nominatur. Deinde ſi ad res inferiores percipiendas conuerſa conſideretur, tribus nominibus eius uis ſignificatur, efficientis, capacis, & contemplantis. Appellatur efficiens, quoniam eadem vi, qua illas efficit, etiam intelligit. Appellatur contemplans, quà idem eſt cum rebus intellectis. Nam res inferiores continentur in præpotente vi, & natura ipſius mentis, ita vt dum ſeipſam intelligit, cuncta inferiora ab ea comprehendantur. Appellatur poſtremò capax, vt à reliquarum mentium perfectione recedens phantaſiæ, ſenſui, atquè huic craſſo, & concreto corpori miſcetur. Diuerſæ igitur exiſtendi conditiones, ac modi in mente hac concipi poſſunt, verum eſſentia vnica, atquè ſimplex eſt. De coniunctione autem mentis nobiſcum, noſtraquè felicitate eadem, atquè Auerroes, videtur ſentire. Conueniunt igitur multis in rebus Auerroes, ac Themiſtius, ſed plurimum diſſentiunt in mente contemplante.*

*Nam Themiſtius nihil aliud ſtatuit eã eſſe, quàm eſſentiam ipſam mentis, vt in ea res omnes inferiores continentur; & intelliguntur. Idcircò omni ex parte æternam ponit, neque ex phantaſmatis vllo pacto pendentem. Non enim ab illis accipit ſpecies rerum cum materia concretarum, ſed cum illas in ſe ipſa contineat, in ſe ipſa etiam intelligit. At Auerroes mentem, contemplantem hoc totum nominat, mentem ipſam omnibus præditam formis rerum cum materia concretarum, quas à phantaſmatis accipit. Hæ cum natura ſua non ſint æternæ, ſed tantum perenni, atquè continuata phantaſmatum ſucceſſione incolumes, & inuiolatæ conſeruentur, quemadmodum natura humana continuata hominum ſucceſſione conſeruatur, profectò non omni ex parte, neque ſimpliciter mens contemplans erit æterna. Diſcrepant præterea hi ſummi Philoſophi in eo, quòd Themiſtius, quantum Auerroici putant, mentem humanam eandem eſſe, atquè mundi animam ſtatuit, quam neque Auerroes, neque alius ferè ex Peripateticis induxit; quòd nullam illius mentionem fieri, vbi res ipſa maximè flagitaſſet, ab Ariſtotele uiderent. Nec ſanè neceſſaria, ad rerum ortum, ſed potius ſuperuacanea videtur eſſe, cum alia quadam ratione hæc rerum vniuerſitas conſeruetur, vt aliâs à nobis ex ſeptimo Theologiæ*

*Ariſto-*

Ariſtotelico libro eſt demonſtratum. Ergo ſenten tia hæc Themiſtij hanc paulò plus commẽtitia, quã illa Auerrois iudicari poterit.

cap.27 Nunc videamus an probabiliora afferant, qui alio quodam modo Auerrois, Themiſtijquè ſenſum interpretantur, eosq́; inter ſe diſcrepare non cõcedunt, inter quos fuit Marſilius Ficinus Platonicorum noſtri temporis princeps. Putant igitur iſti menti humanam duplicem intellectionem eſſe tribuendam, alteram æternam, vt ſemper menti efficienti, id eſt ſuperiori cuidam menti, ſuæquè formæ cõiuncta eſt, alteram ortui, & interitui obnoxiam, variam, multiplicem, quam à phantaſmatis accipit: quia tamen magis hæret menti efficienti, quàm phantaſiæ, hinc fieri, vt æternam intelligentiam multò clariorem habeat, quàm caducam. Accipit ergo in nobis mens capax, quæ verè noſtra mens eſt, variam, mutabilemquè ſcientiam; ita vt viuente Pythagora per ſimulachra rerum in Pythagoræ cogitante anima lucentia ſcientiam illam collegerit Pythagoricam, intereunte amiſerit; atquè etiam viuente Pythagora toties ſuum intelligendi munus non obierit, quoties Pythagoræ anima cogitans non obijt ſuum: Eodem modo in omnibus hominibus eſſe affectam. Imbui ſemper, & vbiquè diuerſis diſciplinarum habitibus pro humanorum ſtudiorum varietate:

*Et quia innumerabilis hominum multitudo rerum omnium cognitioni ſtudet, hinc illam omnia quotidiè addiſcere. Demum per ſpecies hauſtas à ſimulachris noſtris non modò inferiora, ſed etiam ſeipſam cognoſcere; quà vnum quoddam cum ſpeciebus illis euadit; hinc percipere mentem efficientem, inde cæteras omnes vſquè ad ſupremam mentem. Species autem à phantaſmatis acceptæ euadunt vniuerſales vi mentis efficientis, easquè ſuſcipit mens noſtra, quæ capax eſt. Hoc igitur pacto ſummi quidam viri Auerrois, Themiſtijq́, ſententiam exponunt. Equidem de Auerroe nihil auſim affirmare. Multis enim illius ſcriptis prior, nõnullis poſterior interpretatio magis videtur conuenire. Themiſtij autem verbis eſſe magis conſentaneam poſteriorem ex ipſius paraphraſi in tertium librum de Anima, decimo octauo, decimo nono, vigeſimo ſexto capite perſpici poteſt. Cæterum neque iſthæc opinio ſuperiore multò probabilior eſt. Nam mentem efficientem, & capacem duas diuerſas naturas videtur ponere, quarum capax ad efficientem, tanquàm materies ad formam ſe habeat. Quod ſi eſt, mihi oſtendi velim, ecquid cauſæ ſit quamobrem menti capaci tàm præſtans forma, qualis eſt mens efficiens, non ſit ſatis, ſed formis etiam rerum corporearum exornari velit. Equidem non video, quo-*

*modo iſtis formis ſit relictus locus in ea materia, quæ tota à præſtantiſſima forma fouetur, illuſtratur, perficitur.*

cap.28 *Simplicius vero exiſtimat ex ipſa mente (quam & ipſe vnicam in omnibus hominibus ponit, non tamen eandem cenſet eſſe, quã mundi animam) & ex reliquis formis, quæ prius in corpore humano exiſtunt, vt anima vegetabilis, & ſentiens, componi quoddam totum, quod animam rationis cõpotem, veramquè, ac poſtremam hominis formam vocat. Ita tot animæ rationis compotes ſunt, quot ſunt humana corpora. Nam quemadmodum materies illa prima eſt vna numero priuatione omnium formarum; partitur tamen poſtea per formas, & multiplex euadit: ita mens humana, quamuis ſi per ſe ſpectetur, vnica ſit, alteri tamen, atquè alteri animæ ſentienti in diuerſis hominibus coniuncta, quaſi in plures partes tribuitur, ac multiplex fit. Quare anima rationis cõpos interitui obnoxia eſt, non quidẽ ex parte mentis, quæ eſt æterna, ſed ex parte cæterarũ formarũ, quæ in homine cũ mente ſunt copulatæ, & mortali ſunt conditione. Hæc igitur mens in ſe manens à ſuperioribus mẽtibus formata illas intelligit: Intelligit etiã inferiora, cum illorum Ideæ ſibi ſint à prima mente, quã Platonici Dei filium, ac mundum intelligibilẽ vocant, impertitæ, et cõmunicatæ.*

*Progreſſa autem fato quodam ad corpus hoc quaſi cæcatur, & fit capax: quà tamen retinet adhuc non nihil prioris naturæ, efficiens vocatur. Phantaſmata autem nihil ferè aliud præſtant, quàm vt mentem quaſi conſopitam excitent: ita vt ad ſe redeat: reuertenteque ad ſeſe noſtram tunc conſequimur felicitatem. Quam ſententiam ſi Simplicius habuit, vt certè videtur habuiſſe, neque Themiſtio, neque Auerroi cōcedere debet, vt maiores nugas dixerint. Nam ſi mens noſtra in ſe perpetuò manet, quo pacto progredi, & cæcari poteſt? Eſt ne fortaſſe diuidua? vt vna parte in ſe manente altera progrediatur, et vna accerrimè intelligēte altera ſomno obruatur? Nihil cogitari poteſt abſurdius. Nam ſi ridiculi ſunt habiti philoſophi illi antiquiſſimi, qui cū defectionis cauſam ignorarent, Lunæ corpus ex duabus partibus eſſe conflatum voluerunt, altera quidē lucida, altera autem obſcura; quo pacto feras illos, qui de ſimplici, minimeque corporea forma idem affirmare non verentur? Sin autem in ſe nō manet, verum ad corpora progreſſa poteſt tamen adhibita diligentia adeò ſincera reddi, vt omnes illi à corpore quaſi impreſſæ maculæ eluantur, quàm miſera, atque adeò miſeranda eſt ipſius conditio? Nam cū in aliquo homine multos poſt annos, multiſque captis laboribus lucē ſuam recuperarit, repentè illo per-*

*eunte amittet; & ad alium ſucceſſorem progreſſa iterum cæcabitur, ac propemodum extinguetur.*

cap. 29 *Hanc Simplicij ſententiam ſunt qui Platonis etiam fuiſſe credant. Alij verò Plotini, Calcidij, Iamblici, Procli ſententiam Platonicis dogmatis magis conſentaneam arbitrantur. Exiſtimarunt autem illi tot eſſe humanas mentes, quot ſunt homines; verum non prorſus humana corpora formare, atque animare, ſed potius præſentia ſua quãdam vitam quaſi vmbram facere, ex qua, & corpore non homo, ſed animal conſtituatur humanum. In homine enim, vt homo eſt, non modo vita iſta, ſed etiam mens ipſa adeſſe intelligitur. Quare iſthæc vita erit tãquã lumẽ, quod aeri inhæret, atq; intimũ eſt, mens autem tãquã sol, qui aeri illuſtrato quaſi forma adeſt, non tamen penitùs inſita. Sunt igitur plures humanæ mentes, ſed quemadmodum omnes oculi eodem lumine vtuntur, ita ipſæ eodem lumine illuſtrantur, ac decorantur, ideis, inquã, à principe illa mente ſibi impertitis. Ideas enim Platonici probatiores, tametſi Ammonius aliter ſenſerit, non in Deo collocatas eſſe crediderunt; cum ideæ multitudinem quãdam præſeferant, Deus autem vſquequaquè purus, & ſimplex ſit, nihil duplex, nihil coagmentatum habens, ſed in mente, quam corporis expertem, corporumq; miniſterio nullo pacto addi-*

*ctam ponunt; quæ à Deo ἀμέσως proficiſcitur; idcircoquè vnica eſt, quando à perfecta cauſa plura effecta æqualis perfectionis proficiſci non poſſunt. Appellatur autem à Platonicis tùm filius, tùm ſimulachrum æternum Dei, & mundus intelligentia vigens. Ab hac mente cõmunicantur Ideæ mundi primum animæ; deinde cæleſtium globorum, animabus poſtremò noſtris; quas ideas ſi mortem, vt Plato inquit, cõmentemur, hoc eſt, ſi mentem quaſi ſeiungamus à ſenſibus; vt quaſi ſecum ipſa habitet, ſe ſpectet, atquè intueatur, in ipſa mente interlucentes aſpiciemus; nequè rebus extrinſecus obiectis ad intelligendum egebimus; in quò quidem ſtatu Dijs propemodum pares, atquè beatiſſimi euadimus. Ex quo diuerſa virtutum genera à Plotino ponuntur. Nam primò exemplares virtutes ſunt in diuino illo exemplari, in mente inquam, quæ Idearum plena eſt. Illhìc prudentia nihil aliud eſt, quàm mens ipſa cuncta intelligens: Tẽperantia, ſe ipſam, ac Deum, quantum decet (decet autem immenſum in modum) diligere, & amare: Fortitudo conditione ſua ſatis eſſe cõtentam, nec mutationẽ aut timere, aut expetere. Iuſtitia, perennem legem à Deo poſitam libenter ſeruare. Ex his virtutibus aliæ virtutes in homines profluunt. Remotiores ab illis, ſed nobis propinquiores ſunt, quas Plotinus ciuiles appellat, de qui*

bus nos ſuperiore libro multa diximus. Harum principem prudentiā definimus habitum quēdā, quo cūcta, quæ agimus, rectè, atq; ex ratione agimus, iuſtitiam verò cōſtantem voluntatem vnicuiq; tribuendi fortitudinē dolore, ac metu ex ſtatu ſuo nō dimoueri, neq; ab honeſtatis via declinare, temperantiā, frænare cupiditates, voluptati quaſi impetum tollere. His virtutibus ſi quis erit præditus, et ipſe multū profecerit, et patriæ ſuæ plurimum prodeſſe poterit. Quòd ſi quis humanā cōditionem quodāmodo aſpernatus in ſolā rerum diuinarū contemplationē incumbere decreuit, alias ſibi, quāquā nomine nō differentes virtutes cōparare debebit. Tunc enim prudentia erit cogitationē omnē in rebus diuinis locare, Temperantia, omnia humana pro nihilo putare, Fortitudo, hunc à corpore, et ſenſibus diſceſſum, et quaſi mortē nō pertimeſcere, neq; altitudine loci illius, quò tendit, deterreri, Iuſtitia, ab hac ſemel accepta viuendi lege nō diſcedere. Has virtutes purgatorias nominãt. Sequūtur aliæ, quæ iam proximè ad exēplares illas accedunt, purgati omnino animi virtutes. Hic prudentiæ eſt nō cogitationem ad diuina cōuertere, ſed ſola noſſe, & in illis tāquàm in cauſis reliqua omnia intueri: Temperantiæ, omnium humanarum cupiditatum, et voluptatum iam eſſe oblitum: fortitudinis, omnis doloris, ac metus memoriā perdidiſſe: Iuſtitiæ

*ſocietatem, fœduſquè ſanctiſsimum cum diuina mente facere. Has virtutes qui ſibi comparauit, iam Deus quidam eſt, atque ad altiſsimum felicitatis gradum peruenit. Cæterum hæc ſententia Peripateticis probari non poteſt, qui Ariſtotelē multis in locis, præſertim duodecimò libro Theologiæ dicentem audiuerunt, varietatem plurium rerum, quæ eadem ſpecie contineantur, à materia duntaxat proficiſci; At mentes noſtræ ſunt à materia ſegregatæ, ergo variæ, multæquè eſſe non poſſunt. Nequè enim Platonici crediderunt, quod nonnulli alij, mentes noſtras ſpecie etiam, nedum numero differre. Nam id perſpicuè falſum eſt. Species enim numeros imitatæ hunc ordinem ſeruant, vt vna ſit altera nobilior, atquè adeò vna tanquàm pars, alteram conſtituat: at id in noſtris mentibus euenire ſi quis dicat, non ſit ferendus. Ergo numero tantum differre ſunt opinati; quod tamen, cum materia carent, verum eſſe non poteſt. Quòd ſi Ariſtotelis autoritate nō moueantur, interrogemus illos, differant nè forma, an accidente: ſi forma differre reſpondeant, iam non numero, ſed ſpeciei differre erat affirmandum; ſin accidente, eò res redibit, vt naturam ſimplicem, qualis noſtra mens eſt, accidenti ſubſterni poſſe fateri cogantur: quod tamen negant. Adde vix animo concipi poſſe, vt mens*

*præſentia ſua alteram in humano corpore vitã, tãquam vmbram faciat. Sol enim præſentia ſua educit ex aeris materia lumen; verùm & ipſe corpus eſt. At mentem non corpoream educere alteram animam ex corpore humano, tamquam ex materia quî cogitari poteſt? In hoc enim opere moliendo uis immutans exigitur, quæ rebus tantum corporeis conuenit. Quod ſi non educere ex materia dicant, ſed potius creare, vt noſtrorum Theologorum verbò vtar, iniuſti ſunt, qui menti noſtræ tribuant quod ſolius Dei eſt.*

cap.30. *Alia eſt reliquarum omnium ineptiſſima opinio (quàm tamen multi Pythagoræ, & Platonis fuiſſe exiſtimant) certum quemdam eſſe mentium humanarum numerum immortalium planè, atq; æternarum, & vnam vni homini tamquàm formam accommodari; verum illo homine obeunte, alium querere ſucceſſorem, quem formet, atquè animet. Ita, ſi mundus æternus fuit, infinitis propemodum hominibus eamdem animam fuiſſe coniunctam ſequitur; & idcirco omnium fermè rerum cognitione vigere, atquè omnium ſcientiarum habitibus eſſe præditam. Quæ omnia ita abſurda ſunt, vt nihil queat excogirari abſurdius. Nam hoc pacto nemo hominum interiret cum interitus fiat ob formæ interitum, ſicuti ortus propter præſentiam formæ.*

*Is*

*Quòd ſi mentes humanæ ſunt immortales, & tamen formæ hominum, certè nunquàm homines interibunt. Præterea idem eſſem ego; atquè ille, quem prius mea mens animauerat. Poſtremò, ne in re tam perſpicua nimis longa ponatur oratio, animæ corpora eſſent; quòd vno homine pereunte ad quærendam aliam materiem proficiſcantur; profectio autem omnis, & motus ſolis corporibus conueniat; quod ab Ariſtotele primo libro de anima tamquàm argumentum firmiſſimum aduerſus Pythagoram eſt allatum.*

cap. 31. *Iam verò in medium tandem veniat Alexandri opinio, quam nos ita conabimur explicare, vt ab iis, quibus illa diſciplina probatur, non magis appoſitè dici poſſit ad perſuadendum. Principiò natura illa, qua filios nobis ſimiles procreamus, augemur, & viuimus, qua ſentimus, qua ſapimus, inuenimus, meminimus, vnica, & ſimplex anima eſt, pluribus prædita facultatibus pro materiei in quam incidit, temperamento. Cum enim forma quælibet egregiè affecta materia ex ipſius ſinu, et latebris primo quoquè tempore in lucē prodeat, non eſt profectò cunctandum profiteri animam ipſam ſuas facultates, & vires ex apparatu materiæ adipiſci. Quapropter dicebat Ariſtoteles non vbiquè audire animal, ſed per aures, quoniam ibi tantum erat inſitus*

*aer ad audiendum accommodatus. Ex his ſequitur, animam humanam cum corpore genitam, & ex materia erutam, cum corpore ſimul corrumpi, et in eandem infinitam materiæ facultatem abire. Sed quanquàm tota anima humana mortalis eſt, inter facultates tamen ipſius tantum intereſt, vt ſi inter ſe conferantur, altera ob vilitatem, indignitatemquè ſuam mortalis, altera ob eximiam quandam dignitatem, & immortalium mentium ſimilitudinem immortalis appellari meritò queat. Si quidem & beſtiæ nonnullæ ſunt, quas, ad viliora animalia reſpectum habentes, diuinitatis participes ſolemus nominare. Facultates igitur nutriendi, augendi, procreandi, ſentiendi, mouendi ſine proprijs & quidem corporeis inſtrumentis ſua munera non obeuntes eo verborũ honore dignæ nõ erant, vt à materia nõ pendere dicerentur, cum organa corporea poſtulent, aut ĩmortales, et æternæ, cũ ſint caduco affixæ corpori. Sola mens, quòd inſtrumentis nullis vtatur, quòd res ĩmortales à ſenſibus remotiſſimas cõſideret, materiei et ipſa expers, ĩmortalis, et ipſa appellari poteſt. Neq; cuiquã mirum videri debet, eandẽ animã nunc inſtrumento vti, nunc non vti. Poteſt enim res iſta facilè exemplo patefieri. Finge animo Regem opibus, & potentia excellentem, multa adminiſtrantem per ſeruos, tanquàm inſtrumen*

*ta, ſua tamen præſtantiſsima officia per ſeipſum obeuntem; naturam animæ noſtræ eris ferè aſſequutus. Facultas igitur intelligendi inſtrumento non addicta eum fermè locum in ordine rerum intelligibilium obtinet, quem materia prima in rebus naturalibus. Nihil enim aliud profectò mens capax eſt, ut apertè dicebat Ariſtoteles, quàm ſolitaria, & ſimplex facultas; eademquè ratione cognoſcitur, proportione ſcilicet, & comparatione, qua materies primo phyſico eſt inueſtigata. Quòd ſi habitus, & ſpecies admittit, quod ſinceræ facultati denegatum eſt; id propterea euenit, quòd pars quædam animæ totius eſt, ipſiquè animæ innititur, ut ſpecies queat recipere. Atqui ueluti materia prima, cum effecta eſt aqua, uel ignis, actu conſiſtit, & per ſe ſuis fungitur muneribus, ſic mens cum formata eſt phantaſmatum ſpeciebus, iam erumpit in actum, & per ſe ipſa intelligit: Ac ueluti materiæ facultas non perditur aduentante forma, ſed perficitur, ſic facultas hæc, quã mentem capacem dicimus, incolumis, & inuiolata remanens per ſuſceptionem ſpecierum ſuam conſequitur perfectionem. Euadit aut felix tùm uirtutibus, prudentiaq́, tùm ſcientijs, & ſapientia comparata; qua quidem ſapientia nihil diuinius, nihil optabilius reperiri poſſe Alexander putat. Suſcipit igitur mens noſtra ſpecies rerũ;*

Nec

*Nec tamen ſi ſpecies recipit, continuò ſequitur, vt etiam conſeruet: quinimò hoc ſibi negocium phantaſia ſuſcipit, in qua uerè ſunt rerum animaduerſarum impreſſa, & obſignata veſtigia. Verum hæc veſtigia cum materiem redoleant, & obtineant, quomodo in mentem capacem à materia non pendentem agent, ſi vis conficiens patiente nobilior ſtatuenda eſt? An natura aliqua præſtātisſimæ mentis eſt inducenda, quæ ab omni concretione materiei ſegregata, & intelligentia per ſe vigens reliqua etiam, vt à ſocietate materiæ liberentur, fiantquè apta ad intelligendum, præſtat? An princeps ille Deus efficientia quadam præpotente cunctas res illuſtrat, idcircoquè rectè lumini comparatur? Si igitur ita ſentit Alexander, vt ſanè videtur ſentire, cur Alexandrei Simplicio, & Auerroi equi eſſe non debeant, planè non video. Nam ſi illi rem commentitiam de mentis natura differentes attulerunt, Alexandri quoquè ſententiam non eſſe veriſsimam oſtendemus. Primum ita perſpicua ſunt Ariſtotelis verba vbiquè mentem noſtram immortalem eſſe, & à caduco hoc corpore ſeparari poſſe clamantis; vt quāquàm vera ſit illorum opinio, nullo tamen pacto tueri ſe Ariſtotelis ſententiam iactare poſsint. Volunt autem ita vim afferre animis noſtris, vt quæ nomina euidenter Ariſtoteles*

*accipit propriè, vt immortale, à materiei ſocietate liberum, & ſexcenta huiuſmodi, nos impropriè accipi exiſtimemus. Sed ipſam per ſe opinionem expendamus. Dicunt facultates omnes ex certa quadam materiei temperatione prouenire, & rectè dicunt. Vnde igitur proueniet vis intelligens, cum proprio inſtrumento careat? At enim vniuerſum corpus eſt illi materies. Ita vis intelligendi ignobilior erit, quàm videndi, audiendi, olfaciendi, cum hæ facultates non modò vniuerſi corporis ſed etiam propriā cuiuſdam partis temperationem requirant, vt ex materia extundi poſſint; menti autem ſatis ſit confuſa quædam materies. Quod non minimum eſt abſurdum. Ergo ſibi ipſis conſtare non poſſunt. Illud verò, quod de mente efficiente afferunt planè portentum eſt. Aut enim iſtud lumen eſt accidēs, aut ſubſtantia: ſi accidens, quomodo ei conuenient conditiones illæ, ſubſtantia actu exiſtens, & ſeipſam intelligens, quæ illi ab Ariſtotele attribuuntur? quomodo ἀμέσως à Deo proficiſcitur? Lumen enim à Sole prouenit, qui corpus eſt: At à Deo accidens vllum prouenire non poteſt. Sinautem ſubſtantia eſt, aut eædem quæſtiones orientur, atquè de mente capace, aut Deus erit. Sic non erit animæ noſtræ pars, vt inquit Ariſtoteles: ſic erunt ſpecies rerum vniuerſales extrà animam. Nihil*

*enim vetat, quominus Deus extra animam illuſtret res ſenſiles, & efficiat, conſeruetquè vniuerſales. Quòd ſi mens noſtra eſt, quæ formas in materiæ ſordibus iacentes extollit, ac puras reddit, ex corporeis efficit incorporeas, ex caducis immortales, & ſempiternas, multò magis erit ipſa à materiæ concretione ſegregata, corpori non affixa, immortalis: Si corpori tùm intelligendò, tùm appetendo repugnat (nam nequè iis, quæ ſenſus, & phantaſia dictat, fidem habet, vt in rerum diuinarum contemplatione apparet, nequè cupiditati vult obedire, ſed reſiſtit, ac pugnat) quo pacto à corpore originem ducat? Ingrata enim planè eſſet, atquè impia, ſi parenti ſuo morem gerere grauaretur. Nunc autem, quæ capitaliores, vt ita dixerim, inimicitias cum corpore, cum cupiditate gerit, trahit omnes homines in ſui admirationem, & amorem. Si à naturæ inſitum gerit hoc immortalitatis deſiderium, quod omnium nationum conſenſus declarat, quo pacto deludetur, temerèquè appetiiſſe cènſeri poterit? Si ſeipſam, ac Deum intelligit, qui immenſum quiddam eſt, quomodo corporis anguſtis ſanè finibus concludetur? Breuiſsimè hæc à me argumenta exponuntur, quoniam à multis & Peripateticis, & Platonicis vberrimè ſunt explicata, timemuſquè ne libri magnitudo nimis excreſcat.*

*Omnia, quæ ad hanc de hominis felicitate obſcuriſsimam, maximiquè in Philoſophia ponderis quæſtionem explicandam faciebant, perſequuti ſumus. Nam & illius naturam definitione euoluimus, & partes diligenti inueſtigatione inuenimus, & à quibus cauſis penderent, oſtendimus, probatiorum etiam philoſophorum ea de re ſententijs examinatis. Eos autem, qui hæc noſtra legere non grauabuntur, vehementer oratos velim, vt ſi cui rei accurrent, quam non probent (multis autem occurſuros puto) faueant potius induſtriæ, ac diligentiæ, quam ſummam in his libris adhibuimus, quàm ingenij tarditatem, atquè infirmitatem acrius ſibi eſſe caſtigandam arbitrentur. Quod ſi à te quoquè Pie quarte expectem, non fruſtrà, opinor, expectem. Illius enim perſonam abs te ſubſtineri memoria tenes, cuius proprium eſt, hominum ſpectare potius voluntates, quàm facta.*

*FINIS.*

## Errata ſic corrigito.

| | | |
|---|---|---|
| pagin. 31 | conſpectu | in conſpectu |
| 69 | mitarii | mitari |
| 12 | φρονισις à Latinis | φρονισις à Græcis |
| 78 | regnia prudentia | regina prudentia |
| 87 | multoquè perfectione, | multoquè perfectiore |
| 94 | agis mconuenire | magis conuenire |
| 128 | mediſus | medicus |
| 133 | honecta | honeſta |
| 138 | naturæ | natura |
| 141 | interuentio | interuentu |
| 146 | aſſentiantur | aſſentiatur |
| 148 | ſtudio | omni ſtudio |
| | ſapientium | ſapientiam |
| 149 | vtemur | vtetur |
| 150 | felicitatem | ad felicitatem |
| 155 | inſtruenda | inſtruendo |
| 161 | plurimumquè facere | plurimiquè facere |
| 165 | in infiniram | in infinitum |
| 170 | ſolitudine | ſolicitudine |
| 173 | longè in mora | longè minora |
| | verique vigilantis | vereque vigilantis |
| 177 | AEdipi | Oedipi |
| | corporei naturæ | corporei natura |
| | facultas autem | facultas aurem |
| 184 | logicæquè facultate | logicaquè facultate |
| 196 | de inſcriptio capitis | de inſcriptione capitis |
| | incorpora habitare | in corpore habitare |
| 198 | κετριωπαθειας | μετριωπαθειας |
| 203 | cognitio ſecundo | cognito ſecundo |
| 215 | virtutum officio | virtutum officia |

*Reliqua minoris ponderis æquitati tuę permiſimus.*

# FLAMINII

*NOBILII DE VERA, ET FALSA VOLVPTATE*

LIBRI DVO.

AD FRANCISCVM MEDICEM FLORENTINORVM, ET SENENSIVM PRINCIPEM.

## FRANCISCO MEDICI FLORENTINORVM, ET SENENSIVM PRINCIPI.

### Flaminius Nobilius. S. D.

*QVOD illi, qui ſoluendo non ſunt, neque in temporis interuallo ſpem habent, facere conſueuerunt, vt bonorum ſuorum poſſeßione creditoribus cedant; idem mihi Princeps Amplißime faciundum video; vt cum nullam multorum ſeculorum Principis parentis tui erga me meritorum partem referenda gratia conſequi vnquàm me poſſe ſperem, omnia mea, meque ipſum, & illi, & tibi, qui ſuus hæres es, neceſſariò tradam, atq; addicam. Hoc inter meum, ac decoctorum factum intererit; quòd illi fortunarum ſuarum alios fieri dominos moleſtißimè ferunt, neque interea creditores ſatis ſibi eſſe factum putant: ego verò eximia patris tui virtute captus, quam tu pulcherrimè imitaris, libentißimè me vobis dedo; neq; vos non ſatis precij ob collata in me beneficia, vobis à me perſolutum iri conqueramini pertimeſco, qui benefactorum veſtrorum non aliam vobis proponere mercedem ſoletis quàm laudem, decus, honeſtatem. Cum igitur apud me eſſent libri duo de vera, & falſa voluptate proximè præte*

*rita æſtate conſcripti, quod tempus noſtri ordinis ho minibus vacuum, ac ſolutum eſt, eosquè vobis debe ri intelligerem, ad te deferendos iudicaui, cuius æta- ti, quæ in illis tractantur, videntur quodāmodo ma gis conuenire; quiquè nihil antiquius habere oſten- diſti, quàm excolere optimis diſciplinis animum. Non tam enim imperio, & opibus, quàm rerū ma- ximarum cognitione excellere verè regium cenſui- ſti. Itaquè, & antea apud Italos, & nunc in iſta Maximi Regis aula, id eſt in pulcherrimo totius or- bis theatro ea virtutis indicia præbuiſti; vt nemo dubitet Principatu iſto tuo nihil apud poſteros ad- mirabilius fore. Vale, & his meis erga te obſeruantiſſimi clientis officijs, quan- do maiora præſtare non poſ- ſum, ne offendaris.*

# QVÆ DVOBVS DE VERA, ET FALSA VOLVPTATE LIBRIS CONTINENTVR.

OMnis hæc de vera, & falſa voluptate queſtio ſatis cõmodè duobus libris videtur explicata. Nam cum ea ſit ingenii noſtri conditio: vt primò rerum quaſi vmbram videat, deindè ad vim, & naturam co gnoſcendam accedat; idcircoquè probabi libus rationibus erudiri debeat, antequàm néceſſariis, & ex rei natura ductis argumen tis ſcientiam conſequi poſſit; primo libro Bartholomæus Riccius, & Flaminius Nobi lius apud Vincentium Madium loquentes inducuntur, ac de voluptate probabiliter disputantes; ſecundo autem libro Madius ipſe huius rei certam, quantum ab autore præſtari potuit, ſcientiam tradit. Riccius multis rationibus, multis exemplis, multis naturæ teſtimoniis probat, longiſſimè à bo ni natura abeſſe uoluptatem. Contrà Nobi lius multas, & ipſe cauſas affert, quam- obrem voluptatem ſtatuere ſummum bo- nũm oporteat. Argumenta Ricii hæc ſunt. Quòd voluptas non reddat hominem bo- num, ſed improbũ potius, ac ſceleſtum, Quòd ſit proprium, peculiareque bruto-

rum animantium bonum,
Quòd principis hominis vita, ex qua de reliquis hominibus eſt iudicandum, voluptates omnes reiiciat, & expellat,
Quod à voluptate maximi dolores, & grauiſſimi morbi proficiſcantur.
Idcirco voluptatem nullo pacto hominis bonum eſſe ſtatuendam.
Exempla autem ex Perſarum regno, ex Romano Imperio, ex multis illuſtribus viris petuntur.

Naturam etiam de hac re tacitam iudicare oſtenditur; quòd pueri præ diſcendi ſtudio omnes voluptates contemnāt: quòd in voluptatibus capiēdis lucem fugiamus, cuius tamen lucis animus noſter naturà ſit amiciſsimus; quòd omnes ferè maximo in illos odio incendamur, qui voluptariam viuendi rationem delegerūt. Hinc labor, induſtria, vigilantia, aſsiduitas commendantur. Præcipuè autem tenera ætate in bonis artibus eſſe laborandum concluditur. Ex altera parte rationes huiuſmodi à Nobilio pro voluptate afferuntur.
Quòd voluptas notioni felicitatis maximè coniuncta, atquè intima ſit.
Quòd dolor omnis, ſed mehercle etiam labor ſit malum, ac fugiendum, contra-

riorum autem contraria ſoleant eſſe conſequentia.
Quòd ſenſus, qui nobis à natura vtiliter ſunt tributi, in voluptatem mirificè propendeant.
Quòd ex honeſtis actionibus, et contemplatione maxima voluptas hauriatur.
Sũmum quoddam bonum eſſe cenſendam voluptatem. Dum autem hæ rationes explicantur, et confirmantur multa interim ex Ricii argumentis refelluntur. Atquè hæc ſunt, quæ continentur primo libro.

In ſecundo autem Vincentius Madius, cum, non modò Nobilius ſed etiam Maleguttius, & Rugerius, qui duo noui auditores acceſſerant, multa de illo quærerent, totum hunc locum cumulatiſsimè explicare aggreſſus à voluptatis definitione initium ſumit; illiusquè partes explicat; & multas dubitationum nubeculas diſiicit.
Hoc iacto fundamento, pertineat ne voluptas ad ſenſum, & mentẽ, an potius ad appetitum, & voluntatem diſquirit,
Conſiſtat in perceptione, quam latini rectam, vel in altera potius, quam reflexam nominant:
De dolore, & cauſis doloris, & quomodo in mente, quomodo in ſenſibus locum ha

beat ex Platone, & Ariſtotele.

Quomodo ſit diuidenda voluptas, nec Platonem ab Ariſtotele diſcrepare.

Quot, quantæquè ſint mentis voluptates.

Voluptatem, quæ ad ſenſus pertinet, mentis voluptate longè inferiorem eſſe.

Cur voluptas ad tactum pertinens maxima videatur.

Inter ſenſuum voluptates eſſe alteram altera præſtantiorem.

Cur omnes auidius ſenſuũ, quàm mentis, & intelligentiæ voluptates ſequamur.

Quæ voluptas ſit notioni felicitatis coniuncta.

Euentu quodam poſſe aliquã voluptatem reddi malam, ſicuti & dolorem bonum.

Huiuſmodi autem voluptatẽ falſam eſſe.

Senſus nobis à natura vtiliter eſſe tributos, illorumquè appetitiones; verumtamen illis intra modum eſſe indulgendum.

Poſtremum a Nobilio pro voluptate allatum argumentum veriſsimum eſſe.

Hauſta voluptate multas in nobis emergere affectiones; in beatis autem mentibus ſoli amori relictum eſſe locum; qui amor ad finem præſentem pertinet.

Quare expoſita, finis diſputationi imponitur.

# FLAMINII NOBILII DE VERA, ET FALSA VOLVPTATE

## LIBER PRIMVS.

SI NATVRÆ noſtræ excellentem præſtantiam ſatis cognitam, atquè perſpectã haberemus, vix fieri vnquã poſſet, vt in vitæ genere deligendo erraremus, ac nõ ſemper optimam, laudatiſſimamquè viuendi rationem ſequeremur. Id multis quidem ex rebus vt longè non abieris, intelligi poteſt Quis ita ſit aduerſus vocem veritatis agreſtis, vt ſinoſcat intelligentia, ac mente ſe Dijs Immortalibus eſſe perſimilem, cæterisquè animantibus longè preſtantiorem, idcircoquè illam omni ſtudio, ac dilligentia eſſe excolendã; addicat ſe totum opibus, ac diuitijs acquirendis? omnesquè ſuas eò referat cogitationes? cum illæ quidẽ

*Omnia, quæ ad hanc de hominis felicitate obſcuriſſimam, maximiquè in Philoſophia ponderis queſtionem explicandam faciebant, perſequuti ſumus. Nam & illius naturam definitione euoluimus, & partes diligenti inueſtigatione inuenimus, & à quibus cauſis penderent, oſtendimus, probatiorum etiam philoſophorum ea de re ſententijs examinatis. Eos autem, qui hæc noſtra legere non grauabuntur, vehementer oratos velim, vt ſi cui rei occurrent, quam non probent (multis autem occurſuros puto) faueant potius induſtriæ, ac diligentiæ, quam ſummam in his libris adhibuimus, quàm ingenij tarditatem, atquè infirmitatem acrius ſibi eſſe caſtigandam arbitrentur. Quod ſi à te quoquè Pie quarte expectem, non fruſtrà, opinor, expectem. Illius enim perſonam abs te ſubſtineri memoria tenes, cuius proprium eſt, hominum ſpectare potius voluntates, quàm facta.*

*FINIS.*

# Errata ſic corrigito.

| | | |
|---|---|---|
| pagin. 31 | conſpectu | in conſpectu |
| 69 | mitarii | mitari |
| 12 | φρονησις à Latinis | φρονησις à Græcis |
| 78 | regnia prudentia | regina prudentia |
| 87 | multoquè perfectione, | multoquè perfectiore |
| 94 | agis mconuenire | magis conuenire |
| 128 | mediſus | medicus |
| 133 | honecta | honeſta |
| 138 | naturæ | natura |
| 141 | interuentio | interuentu |
| 146 | aſſentiantur | aſſentiatur |
| 148 | ſtudio | omni ſtudio |
| | ſapientium | ſapientiam |
| 149 | vtemur | vtetur |
| 150 | felicitatem | ad felicitatem |
| 155 | inſtruenda | inſtruendo |
| 161 | plurimumquè facere | plurimiquè facere |
| 165 | in infiniram | in infinitum |
| 170 | ſolitudine | ſolicitudine |
| 173 | longè in mora | longè minora |
| | verique vigilantis | vereque vigilantis |
| 177 | AEdipi | Oedipi |
| | corporei naturæ | corporei natura |
| | facultas autem | facultas aurem |
| 184 | logicæquè facultate | logicaquè facultate |
| 196 | de inſcriptio capitis | de inſcriptione capitis |
| | incorpora habitare | in corpore habitare |
| 198 | κετριωπαθειας | μετριωπαθειας |
| 203 | cognitio ſecundo | cognito ſecundo |
| 215 | virtutum officio | virtutum officia |

*Reliqua minoris ponderis æquitati tuę permiſimus.*

# FLAMINII

NOBILII DE VERA, ET FALSA VOLVPTATE

LIBRI DVO.

AD FRANCISCVM MEDICEM FLORENTINORVM, ET SENENSIVM PRINCIPEM.

## FRANCISCO MEDICI FLORENTINORVM, ET SENENSIVM PRINCIPI.

### Flaminius Nobilius. S. D.

*QVOD illi, qui ſoluendo non ſunt, neque in temporis interuallo ſpem habent, facere conſueuerunt, vt bonorum ſuorum poſſeſſione creditoribus cedant; idem mihi Princeps Ampliſſime faciundum video; vt cum nullam multorum ſeculorum Principis parentis tui erga me meritorum partem referenda gratia conſequi vnquàm me poſſe ſperem, omnia mea, mequè ipſum, & illi, & tibi, qui ſuus hæres es, neceſſariò tradam, atq; addicam. Hoc inter meum, ac decoctorum factum intererit; quòd illi fortunarum ſuarum alios fieri dominos moleſtiſſimè ferunt, nequè interea creditores ſatis ſibi eſſe factum putant: ego verò eximia patris tui virtute captus, quam tu pulcherrimè imitaris, libentiſſimè me vobis dedo; neq; vos non ſatis precij ob collata in me beneficia, vobis à me perſolutum iri conqueramini pertimeſco, qui benefactorum veſtrorum non aliam vobis proponere mercedem ſoletis quàm laudem, decus, honeſtatem. Cum igitur apud me eſſent libri duo de vera, & falſa voluptate proximè præte*

*rita æſtate conſcripti, quod tempus noſtri ordinis ho minibus vacuum, ac ſolutum eſt, eosquè vobis debe ri intelligerem, ad te deferendos iudicaui, cuius æta- ti, quæ in illis tractantur, videntur quodãmodo ma gis conuenire; quiquè nihil antiquius habere oſten- diſti, quàm excolere optimis diſciplinis animum. Non tam enim imperio, & opibus, quàm rerũ ma- ximarum cognitione excellere verè regium cenſui- ſti. Itaquè, & antea apud Italos, & nunc in iſta Maximi Regis aula, id eſt in pulcherrimo totius or- bis theatro ea virtutis indicia præbuiſti; vt nemo dubitet Principatu iſto tuo nihil apud poſteros ad- mirabilius fore. Vale, & his meis erga te obſeruantiſsimi clientis officijs, quan- do maiora præſtare non poſ- ſum, ne offendaris.*

# QVÆ DVOBVS DE VERA, ET FALSA VOLVPTATE LIBRIS CONTINENTVR.

OMnis hæc de vera, & falſa voluptate queſtio ſatis cõmodè duobus libris videtur explicata. Nam cum ea ſit ingenii noſtri conditio: vt primò rerum quaſi vmbram videat, deindè ad vim, & naturam co gnoſcendam accedat; idcircoquè probabi libus rationibus erudiri debeat, antequàm néceſſariis, & ex rei natura ductis argumen tis ſcientiam conſequi poſſit; primo libro Bartholomæus Riccius, & Flaminius Nobi lius apud Vincentium Madium loquentes inducuntur, ac de voluptate probabiliter diſputantes; ſecundo autem libro Madius ipſe huius rei certam, quantum ab autore præſtari potuit, ſcientiam tradit. Riccius multis rationibus, multis exemplis, multis naturæ teſtimoniis probat, longiſſimè à bo ni natura abeſſe uoluptatem. Contrà Nobi lius multas, & ipſe cauſas affert, quamobrem voluptatem ſtatuere ſummum bonum oporteat. Argumenta Ricii hæc ſunt. Quòd voluptas non reddat hominem bonum, ſed improbũ potius, ac ſceleſtum, Quòd ſit proprium, peculiareque bruto-

rum animantium bonum,

Quòd principis hominis vita, ex qua de reliquis hominibus eſt iudicandum, voluptates omnes reiiciat, & expellat,

Quod à voluptate maximi dolores, & grauiſſimi morbi proficiſcantur.

Idcirco voluptatem nullo pacto hominis bonum eſſe ſtatuendam.

Exempla autem ex Perſarum regno, ex Romano Imperio, ex multis illuſtribus viris petuntur.

Naturam etiam de hac re tacitam iudicare oſtenditur; quòd pueri præ diſcendi ſtudio omnes voluptates contemnãt; quòd in voluptatibus capiẽdis lucem fugiamus, cuius tamen lucis animus noſter naturà ſit amiciſsimus; quòd omnes ferè maximo in illos odio incendamur; qui voluptariam viuendi rationem delegerũt. Hinc labor, induſtria, vigilantia, aſsiduitas commendantur. Præcipuè autem tenera ætate in bonis artibus eſſe laborandum concluditur. Ex altera parte rationes huiuſmodi à Nobilio pro voluptate afferuntur.

Quòd voluptas notioni felicitatis maximè coniuncta, atquè intima ſit.

Quòd dolor omnis, ſed meherclè etiam labor ſit malum, ac fugiendum, contra-

riorum autem contraria ſoleant eſſe con
ſequentia.
Quòd ſenſus, qui nobis à natura vtiliter
ſunt tributi, in voluptatem mirificè pro
pendeant.
Quòd ex honeſtis actionibus, et contempla
tione maxima voluptas hauriatur.
Sũmum quoddam bonum eſſe cenſendam voluptatem. Dum autem hæ rationes explicantur, et confirmantur multa interim ex Ricii argumentis refelluntur. Atquè hæc ſunt, quæ continentur primo libro.
In ſecundo autem Vincentius Madius, cum, non modò Nobilius ſed etiam Malegutius, & Rugerius, qui duo noui auditores acceſſerant, multa de illo quererent, totum hunc locum cumulatiſsimè explicare aggreſſus à voluptatis definitione initium ſumit; illiusquè partes explicat; & multas dubitationum nubeculas diſiicit.
Hoc iacto fundamento, pertineat ne voluptas ad ſenſum, & mentẽ, an potius ad ap
petitum, & voluntatem diſquirit,
Conſiſtat in perceptione, quam latini rectam, vel in altera potius, quam reflexam
nominant:
De dolore, & cauſis doloris, & quomodo
in mente, quomodo in ſenſibus locum ha

# FLAMINII NOBILII DE VERA, ET FALSA VOLVPTATE

## LIBER PRIMVS.

*SI NATVræ noſtræ excellentem præſtantiam ſatis cognitam, atquè perſpectã haberemus, vix fieri vnquã poſſet, vt in vitæ genere deligendo erraremus, ac nõ ſemper optimam, laudatiſſimamquè viuendi rationem ſequeremur. Id multis quidem ex rebus vt longè non abieris, intelligi poteſt Quis ita ſit aduerſus vocem veritatis agreſtis, vt ſinoſcat intelligentia, ac mente ſe Dijs Immortalibus eſſe perſimilem, cæteriſquè animantibus longè preſtantiorem, idcircoquè illam omni ſtudio, ac dilligentia eſſe excolendã; addicat ſe totum opibus, ac diuitijs acquirendis? omneſquè ſuas eò referat cogitationes? cum illæ quidẽ*

*ad corporis potius cultum pertineant, & ad animæ illius cuſtodiam, qua nutrimur, & creſcimus, quæ infima, et vilißima animæ noſtræ pars eſt, ſint comparandæ? Quis propriam, germanam, maximã, maximèq; diuturnam animo percipi voluptatem, dum ex virtute agimus; atquè in contemplatione verſamur, ſibi perſuadens, voluptates illas, quæ ſenſu capiuntur, vehementius amplexetur? quæ ſæpè doloris plenæ ſunt; & ſemper beſtijs etiam cõmunes? Nunc verò cum Endymionis quaſi obdormientes ſomnum nos ipſos nunquã ſpectemus; & naturæ lumen à malæ conſuetudinis corruptela, tanquã ignis interclusus extinguatur: mirandum non eſt, ſi maxima ſequatur erratio in vita, conſectemurq; plerumquè non modò vllam expreſſam, eminentemquè effigiem, ſed ne adumbratam quidem imaginem veritatis. Ex hoc ſomno, qui quidem morti ſimillimus eſt, ſola Philoſophia nos poteſt excitare, quæ nos ipſos nobis notos reddit, admonetq; continenter, quid natura noſtra poſtulet, quid recuſet; quo pacto vitia expellamus, & ſenſus rationi obedientes præbeamus; quo itinere perueniamus ad felicitatem. In qua diuina, cæleſtiquè ſcientia cum omnia, quæ traduntur, frugifera ſunt, atq; fructuoſa; tum nihil hominum vitæ vtilius, quàm conſideratio, atquè cognitio voluptatis. Huius enim po-*

*tiundæ cupiditas, cum neſcitur vbi, aut qualis ſit, omnium ferè malorum fons eſt, & origo. Quòd ſi natura, & vis ipſius benè perciperetur; nullis fortaſſe ſtimulis ad virtutem, honeſtatemq́ ſequēdam vehementius incitaremur, quàm deſiderio voluptatis. Nam quemadmodum dulcendo illa, qua ſenſus perfuſi, ac deliniti mouentur minimè rarò homines de ſtatu deijcit, planèquè efficit, vt non ſint homines; ſic voluptate illa, & gaudio, quo mens ſuis muneribus, officijsquè optimè functa afficitur, nihil fortaſſe optabilius, nihil diuinius excogitari poteſt. Accuratè autem quondam ab homine omnium ſapientiſſimo, atq́ doctiſſimo, totum hunc locum memini eſſe explicatum, ac patefactam veritatē, cum antea non nihil eſſet dialecticè, ac probabiliter diſputatum. Cuius ſermonis memoriam, ſi dum eam viuā teneo, literis cōmendans cuſtodire, atq́ immortalē reddere conarer, non mediocre me beneficium honeſtatis, ac ſapientiæ ſtudioſis allaturum exiſtimaui. Id ſi erit, præclarè mecum putabo agi, & ſatis amplam mihi meorum laborū tribui mercedem. Nam cum de omnibus hominibus benè mereri pulchrum, atq́ iucundum eſt, tùm verò ex inſigni aliquo ijs collato beneficio, qui tibi probati ſint, quosquè ſingulari quodam amore proſequaris incredibile ad animum tuum affluere gaudium ſolet. Mihi au-*

*tem ſummopere placerè, probatosq́; eſſe eos, qui menti excolendæ ſe dedant, ſtudiorum ſimilitudo declarat, hæc verò quæ tradam, fore ipſis vtiliſsima, ſi ſtudium, atquè aures adhibere non grauabuntur, ſumma illius, à quo accepi, ſapientia fretus audeo affirmare.*

*Cum igitur Ferrariæ eſſem, vt Philoſophiæ ſtudiis operam darem, & Vincentium Madium Brixianum aſsiduè audirem, maxima hominis doctrina, incredibiliq́; ſcientiæ copia, ac varietate, eximia probitate, humaniſsimis moribus ita ſum captus, vt tùm deniquè vitam mihi iucundam putarem, cum illius hærerem lateri, aliquidq́; ex eo vel ſeriò, vel iocò dictum excipere liceret. Euenit autem Prid. Kal: Ian: cum ob natalem Domini noſtri diem Gymnaſia ſilerent, vt ego ad illum ſalutandi cauſa accedens, cum eo colloquentes reperirem Bartolomeum Riccium virum optimum, ac de bonis literis optimè meritum, & Siluium Antonianum, tum quidem primùm ex pueris excedentem, ſed ea indole, eaq́; ingenij vi, ac gloria præditum, vt omnibus artibus, quibus ætas puerilis infici debet, egregiè inſtitutus, & iam ſcribere, quæ probarentur, poſſet, & magnum numerum optimorum verſuum de maximis rebus ex tempore diceret. Tùm poſt prima illa, quæ in congreſſu ſolemus, cũ apud ignem omnes aſſediſſemus,*

*vere, atquè ex animo Siluio ſum gratulatus, quem heſterna die coram Ampliſsimis Cardinal: Hippolito Eſtenſi, & Carolo Guiſio Regis Gallorum ad Pontificem legato, & ſapientiſsimo Ferrarienſium Duce Hercule, regijſquè illius filijs, Alphonſo, & Aloiſio de Pace, quod illi ab Hippolito propoſitum argumentum fuerat, eo modo dicētem audiueram, vt opiniònem, quam maximam de eo conceperam, plane vinceret, atquè ſuperaret. Tum Riccius qui Siluium & cōmendatione Herculis Ducis, & præclara Adoleſcentis indole adductus, filij loco amabat, propriamquè illius curam gerebat, manantibus propemodum præ gaudio lachrimis (nunquā enim teneriorem, atquè in amando ardentiorem hominem noui) hunc ſermonem intulit. Natum ſibi illum ad Muſas, & Apollinem viſum ſemper fuiſſe, nullamq́ eſſe tàm eximiam, atq́ præclarā doctrinæ, & eruditionis laudem, ad quā ipſe peruenturus non eſſet, ingenio, & memoria omnibus hominibus, quos vnquā cognouiſſet, excellens, nactus præterea ex Herculis optimi, atq́ omnibus rebus præcellentiſſimi principis liberalitate commoditates omnes, vt quieto, tranquilloquè animo literarum ſtudijs dare operam poſſet: Pergeret modò, eandemquè viam non modò conſtanter, ſed etiam alacriter inſiſteret: nec auocaretur voluptate, aut labore deterreretur.*

*Hoc enim, ut magnus vir dixit, omnia nos bona à Dijs Immortalibus quaſi mercari, atquè emere; voluptatem autem dulci illo, atquè blando aſpectu nos ad ſe ſe amplectendam allicientem, omnium poſtea malorum cauſam, & originem eſſe. Nihil aliud Cyrcis poculo, nihil Syrenum cantu ſignificari. Hæc, inquit, amica ſenſibus, quòd ex illis ortum ducit, guſtui præſertim, atquè tactui, illos etiam in homine regnare vult, atq; ita vult, ut, niſi mentem, & intelligentiam tanquā verum, legitimumq; regem, regno expulſam è medio ſuſtulerit, atquè extinxerit, nihil actum putet, & in eo vim omnem, poteſtatemquè ſuam oſtendat. Firmiſſimis rationibus ſummi philoſophi probant, illuſtribus exemplis hiſtoria confirmat, natura ipſa non obſcuris vocibus teſtatur, longiſſimè à boni conditione abeſſe voluptatem. Rationes quidem ſi deſiderentur; veriſſimæ, quæq; nullo pacto refelli queant, ab Heroe illo noſtro Platone ſunt allatæ. Ipſius enim eſt hoc argumentum. Quod hominis bonum eſt, id ipſum omninò hominem bonum reddat oportet. At ubi ſe ſe animus cupiditate deuinxit mala, voluptatiquè cōſtringendum dedit, tantum abeſt, ut boni euadamus, ut omnia potius tunc facinora, omnia ſcelera ſe ſe proripiant, atquè proijciant; quì igitur bona, aut quì potius non deterrima, atq; exitiabilis cenſeri voluptas*

*poteſt? Nam quemadmodum ignis omnium corporũ putatur eſſe calidiſsimus, propterea quòd reliqua ab ipſo concaleſcunt, ita voluptas, cum ab ea omnia ferè mala proficiſcantur, maius reliquis, vt Architæ Tarentino placebat, ac perniciosius malum meritò ſtatuetur. Adde cuiusq; naturæ proprium, & peculiare bonum eſſe ab alijs omnibus ſeiunctum, ac diſpertitum. Quare, ſi ferarum eſt voluptatem ardenti ſtudio perſequi, vt certe videmus eſſe, hominum conſilia alium finem, aliud, longèque præſtantius bonum ſpectare debebunt. Quòd ſi fortaſſe bono, quod nobis proprium ſit, caremus, et alienum eſt adſciſcendum; curbelluarum: potius, quàm Deorum immortalium nobis optemus bonum.; quibus mente, & intelligentia ſimiles, propèq; pares ſumus? In Deorum quidem feliciſsimam; beatiſsimamq; vitam voluptas tamen non cadit. Inepta enim, planèque ridicula Epicuri ratio eſt; qui cum felices illos non iudicare minimè poſſet, nullamque ſine voluptate felicitatem, aut ſine corpore voluptatem eſſe opinaretur; ſi non corpus, & ſanguinem, at certè quaſi corpus, & quaſi ſanguinem illis etiã affingere non eſt veritus. Alias afferrem aduerſus voluptatem rationes (mirabiliter enim tuæ gloriæ Silui faueo, cui hæc vna officere poteſt) ſi tempus poſceret, ac non ineptæ cuiuſdam loquacitatis crimẽ*

*pertimeſcerem. Quin imò, inquit Madius, gratiſſimum nobis facies, vt pro Flaminio etiam, ac Siluio pollicear, ſi quæcunq; tibi in mentem venerint, attuleris. Nequè enim aliud nunc habemus, quod huic ſermoni anteferamus, & Siluio accommodatiſſima oratio erit, et mihi ac Flaminio periucunda, qui Philoſophiam ornatè loquentem audiemus. Vt placet, inquit; quãquã intelligo hoc te dare ætati meæ, quã natura eſſe garrulam non ignoras. Illud igitur maximi etiam ponderis eſt, in eo, qui aut regnum benè, & feliciter adminiſtrare velit, aut in libera ciuitate principem locum obtinere, mirificam quãdam omnium voluptatum continentiam neceſſariò requiri. Adeſt tempus ſumendi cibi, fortaſſe etiam fames, & ſitis; ſi ita negotia vrgeant, vt nulla mora ſit interponenda; negotijs ipſis, non ventri eſt ſeruiendum. Incendit, in iuuentute præſertim, libido, ſuadet venereas perſequi voluptates; caueat ipſe, ne quenquam offendat, qui ſuas iniurias vlciſci queat probè, ne à rebus gerendis nimium auocetur, ne magnam aliquam infamiam ſubeat. Somnos autem quàm breues perſæpè, quàm interruptos capiat neceſſe eſt? Quod enim ſummus ille Vir de agro dicebat, id verisſimè in hanc rem transferri poteſt; Principis oculum quaſi benè cultam, beatamquè reddere Rempub: at vigilantem oculum, non ſomno conſopitum.*

*conſopitum. Grauiſsima, & ſapientiſsima T. Manlij Torquati delatum ſibi Conſulatum ob valetudinem oculorum recuſantis vox fuit, non rectè ciuium capita, atq; fortunas ei committi, qui alienis oculis omnia gerere cogeretur. Eiuſdem principis viri domus, & aures omnibus rumoribus, nuncijs, querelis, ſuorum præceptis, atquè monitis dies, & noctes patere debent; quod à ſe præſtari princeps aliquando Senatus M. Tullius gloriabatur. Sed fortaſſe Principatus iſte contemnetur à multis, qui Principem tanquam adminiſtrum, ac potius ſeruum eorũ, quos regit, putabunt eſſe, cum illis omnes cõparet cõmoditates, ipſe omnium expers: priuatamquè vitam multò feliciorem, magisq; expetendam exiſtimabunt. Qua tamen in re longè animi falluntur. Nam quemadmodum genus hominum, quod reliquis omnibus animãtibus præeſt, idcirco nobilitate, ac perfectione illis excellere meritò cenſetur; quemadmodum cœleſtes illæ, beatæquè mentes, propterea quòd nos regunt, atquè gubernant, longè meliore locō, atquè conditione ſunt, quàm nos, qui regimur ita inter homines ipſos, eorum qui principatum, imperiumq; obtinent, qui ad Reipub. gubernacula ſedent, modò ſeſe dignos eo dignitatis gradu præbeant, ſtatus optimus, ratioq; vitæ maximè expetenda iudicari debet. Vel in apibus ipſis, tantulis animalibus,*

*intueri licet earum Regem quadam naturæ perfe-ctione præſtare cæteris. Ergo ſi primi hominis conditio optima eſt; ea autem voluptates omnes reijcit, & expellit, certè in voluptate bonum hominis conſiſtere non poteſt. Accedit & illud, qui voluptatibus vehementer deditus ſit, eum in multos perſæpè dolores incurrere; à quibus eò magis opprimitur; quò mollius, ac delicatius viuere conſueuerat. Nam ſicuti brutis animantibus, aut eſcam apponentes, aut fœminæ vocem imitantes inſidias facimus; ita qui palato, ac libidini ſeruiunt, facilè incidunt in fraudem; plurimisq́, ac maximis periculis ſunt expoſiti; perſæpè etiã, poſtquã patria abligurierunt bona, atquè omnes facultates diſsipauerunt, ad inopiam redacti, & ab omnibus ludibrio habiti, miſerrimam vitam degunt. Præclarus certè Imperator ille, qui clamabat, aut Cæſarem, aut frugi hominem eſſe oportere, egeſtate aliquandò ſe laborare ſenſit, ac doluit. Non raro etiam, vel potius omninò ſemper, iſtiuſmodi homines ita eneruatum habent corpus, atquè imbecillum, vt maximis doloribus, morbisquè grauiſsimis crucientur; nec ad ſenectutem ferè perueniant, aut ſi perueniunt, pleniſsimam illam ſentiant moleſtiarum. Quid? dum iſti ad voluptatem ardenti, inflammatoq́ ſtudio feruntur, non ne longius ſemper eam vides recedere, propiusquè mulierculæ*

*cuiuſdam more ad eos accedere, qui non ſequuntur, negligunt, contemnunt? Etenim iſti, cum naturæ deſiderio non expectato, ſed recordatione tantũ ſuauitatis, quã aliquandò perceperunt, incitati cibum, ac potum ſumunt; vix vllam præ ijs capiunt voluptatem; qui fame, ac ſiti, tanquàm ſuauiſsimo, vti re uera eſt, condimento vtuntur. Quapropter illos omnium rerum ſatietas, ac faſtidium ita capit, vt hinc varia, precioſaq; vina, illhinc niuem, aliunde ſalſamenta, ſummo labore, quẽ tamen æquè ac mortem fugiebant, conquirere cogantur. Proinde non iniuria gloriabatur Ageſilaus, Perſarum quidem Regi, quamuis magnus appellaretur, mollitie interim, ac luxu planè perdito, ſi vellet abſquè dolore viuere, è terræ finibus eſſe voluptatis illecebras petendas, & accerſendas; ſe verò, quòd laboris patiens eſſet, quòd famem, ſitimq; expectaret, in medijs verſari voluptatibus; ſuauiſsimũ ſibi omnẽ cibũ, ac potũ eſſe, placatiſsimã à ſomno quietẽ afferri; nunquã eſſe Deos Immortales accuſandos, quòd aliquãdò maximos calores, aliquãdo maxima frigora ſentiremus. Poſſe enim ſe vtrumq; facillimè perferre. Verè etiã apud Luciliũ verè ſapiens Lelius dicebat.*

» *O Publi, ò gurges, Galloni es homo miſer, inquit,*
» *Cenaſti in vita nunquã bene, quũ omnia in iſto*
» *Conſumis, ſquilla, atq; acipenſere cum decumano.*

*Quantum autem mœroris afferre arbitramur, vel maximis vndiq; voluptatibus ad nos affluentibus, illabentibusque conſcientiam ſegniter, ac ſocorditer actæ vitæ? Quantam eſſe vim pœnitendi? Præclarè Demoſthenes, cum Laidis oraret noctem, illaquè magnam admodum peteret mercedem, ad ſe rediens non, inquit, tanti emo pœnitere. Quid multa? ſume voluptatem, quam maximam iudices in rebus humanis; eam non ſimplicem, atquè ſinceram, ſed perpetuò dolori annexam reperies. Quid autem iucundius, vt eſt in Epigrammate Deliaco, quàm re amata potiri? Quàm verè tamen ſtatus, atquè conditio vitæ huiuſmodi à ſuauiſſimo, doctiſſimoquè Poeta planè miſera appellatur?*

*„ Etenim potiundi tempore in ipſo*
*„ Fluctuat in certis erroribus ardor amantum;*
*„ Nec cōſtat, quid primū oculis, manibusq; fruātur;*
*„ Quod petiere, premunt, arctè, faciuntq; dolorem*
*„ Corporis; & dentes illidunt ſæpe labellis;*
*„ Osculaq; affigunt, quia non eſt pura voluptas;*
*„ Et ſtimuli ſubſunt, qui inſtigant lædere id ipſum*
*„ Quodcunq; eſt, rabies inde illi germinat vrgens.*

*Quàm verò præclara ſunt, quæ paucis interiectis ſequuntur? Libet enim tentare, an verſus illos memoria teneam; & ſi procedet, benè quidem erit; ſin minus; ætati, quæ, vt videtis, ſeptuagenaria eſt, vitio vertetis.*

„ *Adde quod abſumunt vires, pereuntq́; labore.*
„ *Adde quod alterius ſub nutu degitur ætas,*
„ *Labitur interea res, & vadimonia fiunt;*
„ *Languent officia, atq́; ægrotat fama vacillans;*
„ *Vnguenta, & pulchra in pedibus ſicyonia rident;*
„ *Scilicet, & grandes viridi cum luce ſmaragdi*
„ *Auro includuntur, teriturq́; thalaßina veſtis*
„ *Aßiduè; & Veneris ſudorem exercita potat;*
„ *Et bene parta patrum fiunt anademata mitræ;*
„ *Interdum in pallam, et qualos, et iacchia vertũt.*
„ *Eximia veſte, & victu, conuiuia, ludi,*
„ *Pocula crebra, vnguenta, coronæ, ſerta parantur*
„ *Ne quicquam: quoniam medio de fonte leporum*
„ *Surgit amari aliquid, quod in ipſis floribus angat*
„ *Aut cum conſcius ipſe animus ſe forte remordet,*
„ *Deſidio ſe agere ætatem, luſtriſq́; perire,*
„ *Aut quod in ambiguo verbum iaculata reliquit,*
„ *Quod cupido affixum cordi viueſcit, vt ignis,*
„ *Aut nimium iactare oculos, alium ve tueri*
„ *Quòd putat, in vultuq́; videt veſtigia riſus.*
„ *Atq́; in amore mala hæc proprio, ſummèq́; ſecũdo*
„ *Inueniuntur; in aduerſo verò, atq́; inopi ſunt,*
„ *Prendere quæ poßis oculorum lumine aperto,*
„ *Innumerabilia.*

*Ergo voluptates illæ, quas omnium maximas vulgus iudicat, antequàm capiantur, inſatiabili nos tor*

*quent cupiditate, ex quo animum illis emãcipatum vaſi perforato ſimilem dicunt eſſe Architas, & Plato; dum capiuntur, nullam afferunt quietem, nullam tranquillitatem, quod boni maximè proprium eſt, ſed ita potius nos commouent, atq; perturbant, ita de ſtatu deijciunt, vt quemadmodum diuinus vir Democritus dicere ſolebat, morbo illo teterrimo, quem comitialem vocant, correpti videamur; paulò poſt innumerabiles, atq; ingentes moleſtias pariunt. Tot igitur, ac tantis rationibus conuictam voluptatem, tanquàm hominum peſtem quaſi exilio mulctemus, & à nobis omninò quàm longiſſimè repellamus. Nec verò abundant quidem rationes, deſunt autem exempla, quibus eadem cauſa confirmetur. Nam præter illa, quæ, vt rationes confirmaremus, attulimus, adhuc innumerabilia afferri poſſunt. Quis enĩ plurima, maximaq; hominibus à voluptate illata detrimenta non nouit? Quid Antonij, Quid Anibalis omnem dignitatem, quam erant ampliſsimam conſequuti, conuellit? Voluptas. Quid Perſarum opulentiſsimum, ac potentiſsimum Regnum funditus euertit? voluptas. Nam ſi illi traditam à Cyro Maiore diſciplinam ſeueritatis, laborisquè plenam retinuiſſent, aut ipſos aggredi non eſſet auſus Alexander, aut certè pretium ob temeritatem tuliſſet. Quid verò, vt alia nunc ve-*

*tera exempla ommittam, Populi Romani Imperium, Cuſtodiam gentium, Humani generis lumen, atquè ornamentum perdidit, atquè deleuit, niſi illa eadem voluptas? Obſcœnæ, inquam, & monſtruoſæ mollitudini tantum, atque libidini indulgentium Cæſarum deleuerunt. Quapropter veriſsimè à poeta valde bono dictum fuit.*

*,, Otium Catulle tibi moleſtum eſt;*
*,, Otio exultas, nimiumq; geſtis:*
*,, Otium, & reges prius, & beatas*
*perdidit vrbes.*

*Quòd ſi recentia exempla, quòd nobis propinquiora quoddãmodò ſint, magis nos afficiunt, cõmouentq;, Coſmus, & Laurentius ex Medicea Familia patrum noſtrorum memoria, cum à Reipub. cura, & procuratione nullum vnquã aut cõmodum, aut otiũ eos abſtraheret, nõ voluptas abduceret, non labor auocaret, non retardaret ſomnus, habitu, inceſſu, ſermone priuatorũ ciuium ſpeciẽ præſeferẽtes, ſine vlla tamen controuerſia principem locum in Florentina ciuitate ita tenebant, vt ex illorum conſilio, atquè voluntate vniuerſa Reſpub. penderet. Petrus verò Laurentij Filius nullo inſigni vitio, multis etiam virtutibus præditus, & Aui, & Patris recordatione imprimis commendatus, tamen cum rarò conſilijs, ac negotijs publicis intereſſet,*

*tem ſummopere placere, probatosq́ eſſe eos, qui menti excolendæ ſe dedant, ſtudiorum ſimilitudo declarat, hæc verò quæ tradam, fore ipſis vtiliſſima, ſi ſtudium, atquè aures adhibere non grauabuntur, ſumma illius, à quo accepi, ſapientia fretus audeo affirmare.*

*Cum igitur Ferrariæ eſſem, vt Philoſophiæ ſtudiis operam darem, & Vincentium Madium Brixianum aſſiduè audirem, maxima hominis doctrina, incredibiliq́ ſcientiæ copia, ac varietate, eximia probitate, humaniſſimis moribus ita ſum captus, vt tùm deniquè vitam mihi iucundam putarem, cum illius hærerem lateri, aliquidq́ ex eo vel ſeriò, vel iocò dictum excipere liceret. Euenit autem Prid. Kal: Ian: cum ob natalem Domini noſtri diem Gymnaſia ſilerent, vt ego ad illum ſalutandi cauſa accedens, cum eo colloquentes reperirem Bartolomeum Riccium virum optimum, ac de bonis literis optimè meritum, & Siluium Antonianum, tum quidem primùm ex pueris excedentem, ſed ea indole, eaq́ in genij vi, ac gloria prȩditum, vt omnibus artibus, quibus ætas puerilis infici debet, egregiè inſtitutus, & iam ſcribere, quæ probarentur, poſſet, & magnum numerum optimorum verſuum de maximis rebus ex tempore diceret. Tùm poſt prima illa, quæ in congreſſu ſolemus, cũ apud ignem omnes aſſediſſemus,*

*Verè, atquè ex animo Siluio ſum gratulatus, quem heſterna die coram Ampliſsimis Cardinal: Hippolito Eſtenſi, & Carolo Guiſio Regis Gallorum ad Pontificem legato, & ſapientiſsimo Ferrarienſium Duce Hercule, regijſquè illius filijs, Alphonſo, & Aloiſio de Pace, quod illi ab Hippolito propoſitum argumentum fuerat, eo modo dicētem audiueram, vt opinionem, quam maximam de eo conceperam, planè vinceret, atquè ſuperaret. Tum Riccius qui Siluium & cōmendatione Herculis Ducis, & præclara Adoleſcentis indole adductus, filij loco amabat, propriamquè illius curam gerebat, manantibus propemodum præ gaudio lachrimis (nunquã enim teneriorem, atquè in amando ardentiorem hominem noui) hunc ſermonem intulit. Natum ſibi illum ad Muſas, & Apollinem viſum ſemper fuiſſe, nullamq́, eſſe tàm eximiam, atq́, præclarã doctrinæ, & eruditionis laudem, ad quã ipſe peruenturus non eſſet, ingenio, & memoria omnibus hominibus, quos vnquã cognouiſſet, excellens, nactus præterea ex Herculis optimi, atq́, omnibus rebus præcellentiſſimi principis liberalitate commoditates omnes, vt quieto, tranquilloquè animo literarum ſtudijs dare operam poſſet: Pergeret modò, eandemquè viam non modò conſtanter, ſed etiam alacriter inſiſteret: nec auocaretur voluptate, aut labore deterreretur.*

Kk iii

*Hoc enim, vt magnus vir dixit, omnia nos bona à Dijs Immortalibus quaſi mercari, atquè emere; voluptatem autem dulci illo, atquè blando aſpectu nos ad ſe ſe amplectendam allicientem, omnium poſtea malorum cauſam, & originem eſſe. Nihil aliud Cyrcis poculo, nihil Syrenum cantu ſignificari. Hæc, inquit, amica ſenſibus, quòd ex illis ortum ducit, guſtui præſertim, atquè tactui, illos etiam in homine regnare vult, atq; ita vult, vt, niſi mentem, & intelligentiam tanquã verum, legitimumq; regem, regno expulſam è medio ſuſtulerit, atquè extinxerit, nihil actum putet, & in eo vim omnem, poteſtatemquè ſuam oſtendat. Firmiſsimis rationibus ſummi philoſophi probant, illuſtribus exemplis hiſtoria confirmat, natura ipſa non obſcuris vocibus teſtatur, longiſsimè à boni conditione abeſſe voluptatem. Rationes quidem ſi deſiderentur; veriſsimæ, quæq; nullo pacto refelli queant, ab Heroe illo noſtro Platone ſunt allatæ. Ipſius enim eſt hoc argumentum.*

*Quod hominis bonum eſt, id ipſum omninò hominem bonum reddat oportet. At vbi ſe ſe animus cupiditate deuinxit mala, voluptatiquè cõſtringendum dedit, tantum abeſt, vt boni euadamus, vt omnia potius tunc facinora, omnia ſcelera ſe ſe proripiant, atquè proijciant; quì igitur bona, aut quì potius non deterrima, atq; exitiabilis cenſeri voluptas*

*poteſt? Nam quemadmodum ignis omnium corporũ putatur eſſe calidiſsimus, propterea quòd reliqua ab ipſo concaleſcunt, ita voluptas, cum ab ea omnia ferè mala proficiſcantur, maius reliquis, vt Architæ Tarentino placebat, ac perniciosius malum meritò ſtatuetur. Adde cuiusq; naturæ proprium, & peculiare bonum eſſe ab alijs omnibus ſeiunctum, ac diſpertitum. Quare, ſi ferarum eſt voluptatem ardenti ſtudio perſequi, vt certe videmus eſſe, hominum conſilia alium finem, aliud, longèquè præſtantius bonum ſpectare debebunt. Quòd ſi fortaſſe bono, quod nobis proprium ſit, caremus, et alienum eſt adſciſcendum; cur belluarum: potius, quàm Deorum immortalium nobis optemus bonum: quibus mente, & intelligentia ſimiles, propèq; pares ſumus? In Deorum quidem feliciſsimam; beatiſsimamq; vitam voluptas tamen non cadit. Inepta enim, planèquè ridicula Epicuri ratio eſt; qui cum felices illos non iudicare minimè poſſet, nullamquè ſine voluptate felicitatem, aut ſine corpore voluptatem eſſe opinaretur; ſi non corpus, & ſanguinem, at certè quaſi corpus, & quaſi ſanguinem illis etiã affingere non eſt veritus. Alias afferrem aduerſus voluptatem rationes (mirabiliter enim tuæ gloriæ Silui faueo, cui hæc vna officere poteſt) ſi tempus poſceret, ac non ineptæ cuiuſdam loquacitatis crimẽ*

*conſopitum. Grauiſſima, & ſapientiſſima T. Manlij Torquati delatum ſibi Conſulatum ob valetudinem oculorum recuſantis vox fuit, non rectè ciuium capita, atq; fortunas ei committi, qui alienis oculis omnia gerere cogeretur. Eiuſdem principis viri domus, & aures omnibus rumoribus, nuncijs, quærelis, ſuorum præceptis, atquè monitis dies, & noctes patere debent; quod à ſe præſtari princeps aliquando Senatus M. Tullius gloriabatur. Sed fortaſſe Principatus iſte contemnetur à multis, qui Principem tanquam adminiſtrum, ac potius ſeruum eorũ, quos regit, putabunt eſſe, cum illis omnes cõparet cõmoditates, ipſe omnium expers; priuatamquè vitam multò feliciorem, magiſq; expetendam exiſtimabunt. Qua tamen in re longè animi falluntur. Nam quemadmodum genus hominum, quod reliquis omnibus animãtibus præeſt, idcirco nobilitate, ac perfectione illis excellere meritò cenſetur; quemadmodum cæleſtes illæ, beatæquè mentes, propterea quòd nos regunt, atquè gubernant, longè meliore loco, atquè conditione ſunt, quàm nos, qui regimur ita inter homines ipſos, eorum qui principatum, imperiumq; obtinent, qui ad Reipub. gubernacula ſedent, modò ſeſe dignos eo dignitatis gradu præbeant, ſtatus optimus, ratioq; vitæ maximè expetenda iudicari debet. Vel in apibus ipſis, tantulis animalibus,*

intueri licet earum Regem quadam naturæ perfectione præſtare cæteris. Ergo ſi primi hominis conditio optima eſt; ea autem voluptates omnes reijcit, & expellit, certè in voluptate bonum hominis conſiſtere non poteſt. Accedit & illud, qui voluptatibus vehementer deditus ſit, eum in multos perſæpè dolores incurrere; à quibus eò magis opprimitur, quò mollius, ac delicatius viuere conſueuerat. Nam ſicuti brutis animantibus, aut eſcam apponentes, aut fœminæ vocem imitantes inſidias facimus; ita qui palato, ac libidini ſeruiunt, facilè incidunt in fraudem; plurimiſq́, ac maximis periculis ſunt expoſiti; perſæpè etiã, poſtquã patria abligurierunt bona, atquè omnes facultates diſsipauerunt, ad inopiam redacti, & ab omnibus ludibrio habiti, miſerrimam vitam degunt. Præclarus certè Imperator ille, qui clamabat, aut Cæſarem, aut frugi hominem eſſe oportere, egeſtate aliquandò ſe laborare ſenſit, ac doluit. Non rarò etiam, vel potius omninò ſemper, iſtiuſmodi homines ita eneruatum habent corpus, atquè imbecillum, vt maximis doloribus, morbiſquè grauiſsimis crucientur; nec ad ſenectutem ferè perueniant, aut ſi perueniunt, pleniſsimam illam ſentiant moleſtiarum. Quid? dum iſti ad voluptatem ardenti, inflammatoq́ ſtudio feruntur, non ne longius ſemper eam vides recedere, propiuſquè mulierculæ

*cuiuſdam more ad eos accedere, qui non ſequuntur, negligunt, contemnunt? Etenim iſti, cum naturæ deſiderio non expectato, ſed recordatione tantũ ſuauitatis, quã aliquandò perceperunt, incitati cibum, ac potum ſumunt; vix vllam præ ijs capiunt voluptatem; qui fame, ac ſiti, tanquàm ſuauiſſimo, vti re uera eſt, condimento vtuntur. Quapropter illos omnium rerum ſatietas, ac faſtidium ita capit, vt hinc varia, precioſaq; vina, illhinc niuem, aliunde ſalſamenta, ſummo labore; quẽ tamen æquè ac mortem fugiebant, conquirere cogantur. Proinde non iniuria gloriabatur Ageſilaus, Perſarum quidem Regi, quamuis magnus appellaretur, mollitie interim, ac luxu planè perdito, ſi vellet abſquè dolore viuere, è terræ finibus eſſe voluptatis illecebras petendas, & accerſendas; ſè verò, quòd laboris patiens eſſet, quòd famem, ſitimq; expectaret, in medijs verſari voluptatibus; ſuauiſſimũ ſibi omnẽ cibũ, ac potũ eſſe; placatiſſimã à ſomno quietẽ afferri; nunquã eſſe Deos Immortales accuſandos, quòd aliquãdò maximos calores, aliquãdo maxima frigora ſentiremus. Poſſe enim ſe vtrumq; facillimè perferre. Verè etiã apud Luciliũ verè ſapiens Lelius dicebat.*

*» O Publi, ò gurges, Galloni es homo miſer, inquit,*
*» Cenaſti in vita nunquã bene, quũ omnia in iſto*
*» Conſumis, ſquilla, atq; acipenſere cum decumano.*

*Quantum autem mœroris afferre arbitramur, vel maximis vndiq; voluptatibus ad nos affluentibus, illabentibusquè conſcientiam ſegniter, ac ſocorditer actæ vitæ? Quantam eſſe vim pœnitendi? Præclarè Demoſthenes, cum Laidis oraret noctem, illaquè magnam admodum peteret mercedem, ad ſe rediens non, inquit, tanti emo pœnitere. Quid multa? ſume voluptatem, quam maximam iudices in rebus humanis; eam non ſimplicem, atquè ſinceram, ſed perpetuò dolori annexam reperies. Quid autem iucundius, vt eſt in Epigrammate Deliaco, quàm re amata potiri? Quàm verè tamen ſtatus, atquè conditio vitæ huiuſmodi à ſuauiſſimo, doctiſſimoquè Poeta planè miſera appellatur?*

*„ Etenim potiundi tempore in ipſo*
*„ Fluctuat in certis erroribus ardor amantum;*
*„ Nec cõſtat, quid primũ oculis, manibuſq; fruãtur;*
*„ Quod petiere, premunt, arctè, faciuntq; dolorem*
*„ Corporis; & dentes illidunt ſæpe labellis;*
*„ Oſculaq; affigunt, quia non eſt pura voluptas;*
*„ Et ſtimuli ſubſunt, qui inſtigant lædere id ipſum*
*„ Quodcunq; eſt, rabies inde illi germinat vrgens.*

*Quàm verò præclara ſunt, quæ paucis interiectis ſequuntur? Libet enim tentare, an verſus illos memoria teneam; & ſi procedet, benè quidem erit; ſin minus; ætati, quæ, vt videtis, ſeptuagenaria eſt, vitio vertetis.*

,, *Adde quod abſumunt vires, pereuntq́; labore.*
,, *Adde quod alterius ſub nutu degitur ætas,*
,, *Labitur interea res, & vadimonia fiunt;*
,, *Languent officia, atq́; ægrotat fama vacillans;*
,, *Unguenta, & pulchra in pedibus ſicyonia rident;*
,, *Scilicet, & grandes viridi cum luce ſmaragdi*
,, *Auro includuntur, teriturq́; thalaßina veſtis*
,, *Aßiduè; & Veneris ſudorem exercita potat;*
,, *Et bene parta patrum fiunt anademata mitræ;*
,, *Interdum in pallam, et qualos, et iacchia vertũt.*
,, *Eximia veſte, & victu, conuiuia, ludi,*
,, *Pocula crebra, vnguenta, coronæ, ſerta parantur*
,, *Ne quicquam: quoniam medio de fonte leporum*
,, *Surgit amari aliquid, quod in ipſis floribus angat*
,, *Aut cum conſcius ipſe animus ſe forte remordet,*
,, *Deſidio ſe agere ætatem, luſtriſq́; perire,*
,, *Aut quod in ambiguo verbum iaculata reliquit,*
,, *Quod cupido affixum cordi viueſcit, vt ignis,*
,, *Aut nimium iactare oculos, alium ve tueri*
,, *Quòd putat, in vultuq́; videt veſtigia riſus.*
,, *Atq́; in amore mala hæc proprio, ſummèq́; ſecũdo*
,, *Inueniuntur; in aduerſo verò, atq́; inopi ſunt,*
,, *Prendere quæ poßis oculorum lumine aperto,*
,, *Innumerabilia.*

*Ergo voluptates illæ, quas omnium maximas vul gus iudicat, antequàm capiantur, inſatiabili nos tor*

*quent cupiditate, ex quo animum illis emãcipatum vaſi perforato ſimilem dicunt eſſe Architas, & Plato; dum capiuntur, nullam afferunt quietem, nullam tranquillitatem, quod boni maximè proprium eſt, ſed ita potius nos commouent, atq; perturbant, ita de ſtatu deijciunt, vt quemadmodum diuinus vir Democritus dicere ſolebat, morbo illo teterrimo, quem comitialem vocant, correpti videamur; paulò poſt innumerabiles, atq; ingentes moleſtias pariunt. Tot igitur, ac tantis rationibus conuictam voluptatem, tanquàm hominum peſtem quaſi exilio mulctemus, & à nobis omninò quàm longiſſimè repellamus. Nec verò abundant quidem rationes, deſunt autem exempla, quibus eadem cauſa confirmetur. Nam præter illa, quæ, vt rationes confirmaremus, attulimus, adhuc innumerabilia afferri poſſunt. Quis enĩ plurima, maximaq; hominibus à voluptate illata detrimenta non nouit? Quid Antonij, Quid Anibalis omnem dignitatem, quam erant ampliſſimam conſequuti, conuellit? Voluptas. Quid Perſarum opulentiſſimum, ac potentiſſimum Regnum funditus euertit? voluptas. Nam ſi illi traditam à Cyro Maiore diſciplinam ſeueritatis, laboriſquè plenam retinuiſſent, aut ipſos aggredi non eſſet auſus Alexander, aut certè pretium ob temeritatem tuliſſet. Quid verò, vt alia nunc ve-*

*tera exempla ommittam, Populi Romani Imperium, Cuſtodiam gentium, Humani generis lumen, atquè ornamentum perdidit, atquè deleuit, niſi illa eadem voluptas? Obſcœnæ, inquam, & monſtruoſæ mollitudini tantum, atque libidini indulgentium Cæſarum deleuerunt. Quapropter veriſſimè à poeta valde bono dictum fuit.*

„ *Otium Catulle tibi moleſtum eſt:*
„ *Otio exultas, nimiumq́ geſtis:*
„ *Otium, & reges prius, & beatas*
*perdidit vrbes.*

*Quòd ſi recentia exempla, quòd nobis propinquiora quoddãmodò ſint, magis nos afficiunt, cõmouentq́, Coſmus, & Laurentius ex Medicea Familia patrum noſtrorum memoria, cum à Reipub. cura, & procuratione nullum vnquã aut cõmodum, aut otiũ eos abſtraheret, nõ voluptas abduceret, non labor auocaret, non retardaret ſomnus, habitu, inceſſu, ſermone priuatorũ ciuium ſpeciẽ præſeferẽtes, ſine vlla tamen controuerſia principem locum in Florentina ciuitate ita tenebant, vt ex illorum conſilio, atquè voluntate vniuerſa Reſpub. penderet. Petrus verò Laurentij Filius nullo inſigni vitio, multis etiam virtutibus præditus, & Aui, & Patris recordatione imprimis commendatus, tamen cum rarò conſilijs, ac negotijs publicis intereſſet,*

atq; amoribus ſemper vacaret, ſe ſe idoneum præbuit, quem aduerſarij non modò Principatu, ſed etiã Patria priuare, & ſperarent, & poſſent. Hunc nõ imitatus Coſmus, qui nunc Florentinis imperat, ſed cæteros potius, quos recenſui ex Medicea familia, mentem ſemper, tanquàm arcum, intentam habet, contemptisq; omnibus voluptatibus ita Reipub. dat operam, vt nullam ferè ſuarum cogitationum partem aliò deriuet. Itaquè tempeſtates omnes quaſi è ſpecula quadam proſpiciens, eas à ſe, atquè populis ſuis arcet, ac propulſat: resquè ſemper ex ſententia fluunt; vt iam ſplendore nominis ſui compleat, atq; illuſtret orbem terrarum. Ecquid verò cauſæ putamus eſſe, cur in tot bellorum incendijs in hac tamen Ducis noſtri ditione omnia pacata, tranquilla, ſecuritatisq; plena ſint, niſi ipſius vigilantiam, quam vidẽmus, et admiramur? Habet autẽ, quẽ ſequatur, Alphonſum Patrẽ ſuum, induſtriæ, diligentiæ, tolerantiæ exemplum; cuius non modò nomen, ſed etiã laudes iam refert Alphonſus meus, et altiſſimo quodam animo à natura præditus, & domeſticis exemplis incenſus, & non nihil fortaſſe meis monitis, atq; præceptis confirmatus; de quo, vt principia ſe ſe dant, augurari libet, gloriam, ac decus noſtræ ætatis fore. Sed exemplorum aut hoc ſatis eſt, aut quemadmodum de teſtibus iudex ille dicere ſolitus erat,

neſcio

*neſcio quid ſatis ſit. Age verò nonne perſpicua ſunt iudicia naturæ? Videmus pueros, in qua potiſſimū ætate nondum à conſuetudine deprauata naturalis inſtinctus, atque propenſio elucere poteſt, præſertim ſi excelſiore animo ſint affecti, ſi ad aliquam præclaram artem ſe contulerint, ita incitare, atque inflammare ſtudium ſuum, vt nihil fieri poſſit ardentius, ita porrò labores omnes, æſtum, frigus, famē, ſitim patienter ferre, ac pro nihilo putare, vt ſenſu propemodum carere videantur. Nonne aliud quiddam intelligis ſpectare hominis naturam, quàm voluptatem? Quid? qui in aliqua libidine ſe vult effundere, vt voluptatem capiat; etiam ſi nullam pœnā extimeſcat, tamen ne deprehendatur, diligenter curat, veretur hominum reprehenſionē, diurni ipſius luminis aſpectum reformidat. Quid hoc eſt? Homo, qui à veteribus Græcis φὼς eſt appellatus, quòd tenebras odio proſequatur, lucis ſit amiciſſimus: cuius animum Summi Philoſophi nihil aliud putarunt eſſe, quàm lucem quandam, propterea quòd adueniente nocte mirabiliter perturbetur, ac lædatur, & quaſi ignis cinere, ita ipſe ſomno obruatur, & ſepeliatur: illuceſcente autem die lætetur, & quaſi renaſci ſibi videatur, alacerque ſuis fungatur muneribus; cui etiam animo rectè, & ex virtute agenti poſt diſceſſum à corpore, pleniſſima lucis loca, vitijs au-*

*tem inquinato, vt ait poeta neſcio quis.*

*„ Acherontia templa, alta orci, pallida*

*„ Lethi, obnubila, obſita tenebris loca.*

*Vniuerſa antiquitas aſsignauit, ita igitur, inquam, à natura factus, & inſtitutus homo, in voluptatibus tamen capiendis lucem fugit, tenebris libenter ſe committit. Non ne igitur vides noſtræ naturæ aduerſari maximè voluptatem? Multa adduci poſſunt; ſed nos hoc vno præterea contenti ſimus. Mirum eſt, quamuis nos prauis infecti opinionibus, vitioſoquè more deprauati, ſimus ipſi appetentiſsimi, ac ſtudioſiſsimi voluptatis, quàm ſeuerè tamen in alijs id reprehendamus, quantoq; in illos odio incendamur, qui voluptariam, delicatamq; viuendi rationem delegerunt. Docuit enim nos non Ariſtoteles, non Plato, ſed multò melior magiſtra natura ipſa; neq; hanc à matre, aut nutrice opinionē accepimus, ſed ab illo præſtantiſsimæ, ac ſapientiſsimæ mentis nomine; quo vniuerſus orbis regitur, animo noſtro inſitam, in hanc venientes vitam nobiſcum geſsimus, colendam eſſe omnibus officijs humanam ſocietatem. Atqui voluptatem tanquā filiolam amplexantur, & oſculantur ſuam; qui illi vni operam dant, atq; inſeruiunt, ij profectò aliorum ſtudere cōmodis, atq; in cōmune conſulere, nullo pacto queunt; proindequè iuſtiſsimum in ſe concitant cunctorum*

*hominum odium. Quàm verò publicum hoc, & commune odium perniciosum, ac funeſtum ſit, multorum docuit euentus. Ergo ſi multis, iiſq; firmiſſimis rationibus, ſi perſpicuis, illuſtribuſq; exemplis, ſi grauiſſimo naturæ teſtimonio rem iudicatam vides; cum voluptate perpetuum tibi bellum ſuſcipiendum, atq; immortales exercendas eſſe inimicitias, omnemq; animi mollitiem eijciendam mi Silui puta to; amplectendum autem laborem; quem, vt initio etiam dicebamus, tanquã bonorum mercedem, quæ nobis tot, tantaq; tribuunt, à nobis exigunt Dij Immortales. Etenim ſi hominum beneuolentiam plurimi ſacis, vt facienda certè eſt, illorum commodis ſumma diligentia, ſummiſq; perſæpè laboribus tibi erit ſeruiendum; ſi Veneta Ciuitate donari cupis, qui honos hoc tempore ampliſſimus cenſetur, præclaram illi operam vel pace, vel bello naues neceſſe eſt; Si Romæ maiorem aliquem magiſtratum vis conſequi, pro Eccleſia Dei tuenda, atq; amplificanda, omne ſtudium, ſedulitas, fides eſt adhibenda, nulliq; non alacriter adeundi labores. An non vides illos qui diuitijs, opibusquè excellere ſummũ bonum putant, idq; ſibi tanquã finem atquè extremum propo nũt, lõginquas regiones obirè pedibus, duriſſima hieme trãſmittere maria, calorẽ, atq; frigus ita cõtemnere, vt ex ferro, atq; marmore facti eſſe uideãtur?*

Mm ii

*Quapropter, quod ille à Ioue ortus ſuis præcepit fi-
lijs, vigilandum eſt ſemper, hoc nobis, vt ad labo-
rem, atq; decus excitemur, præceptum eſſe exiſtima
re debemus. Non eſt iucundum Imperatori media
hieme ſub dio pernoctare, æſtate loricatum in ho-
ſtes vel ipſo meridie irrumpere; cum vrget pericu-
lum, totis noctibus ſomnũ oculis non videre ſuis, in
commeatus inopia herbis, & radicibus, vt è terra
naſcuntur, veſci, atque etiam, ſi opus ſit, inediam
diutius ferre. Non enim quia illi cor ſapit, idcirco
vt inquit ille, non ſapit palatũ. Verùm hæc omnia
ſpe victoriæ compenſat, ac propterea libentiſſimè
tolerat. Hercules quidem non modò Iouis filius,
ſed illius etiam amor, atq; deliciæ, cum de omnibus
gentibus optimè mereri ſtuderet, cum opem indigẽ
tibus, atq; ſalutem ferret, cum nihil aliud, quàm lau
dem, gloriam, immortalitatem ſibi proponeret, tot,
tantosquè labores ſuſtinuit, atq; adeò exantlauit,
vt illos quidem triſti admodum nomine ærumnas
veteres appellarint. Hàc igitur vna laboris via,
hòc vno vigilantiæ, atq; aſſiduitatis itinere ad lau-
dem, ac decus peruenitur. Nec verò parui refert, à
primis temporibus ætatis hunc eſſe curſum inſtitu-
tum; In ore omnium ſunt carmina illa Hora-
tiana.*

,, *Fingit equum tenera docilem ceruice Magiſter*

,, *Ire viam, quã monſtrat eques: venaticus ex quo*
,, *Tempore ceruinam pellem latrauit in aula,*
,, *Militat in Siluis Catulus. nunc adbibe puro*
,, *Pectore verba Puer; nunc te melioribus offer.*
,, *Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem*
,, *Teſta diu.* *Combibuntur enim omninò teneriore animo artes, atquè diſciplinæ, & altius quodammodo imprimuntur. Quapropter Græci educationem, inſtitutionem, ac diſciplinam* παιδείαν *vocant, quòd in puerili præſertim ætate adhibita plurimum proficiat; magniq; tunc ad virtutem progreſſus fiant. Sed ego planè ineptus ſum, qui te Silui ad ſtudium laudis cohorter fræno potius, quàm calcaribus egentem, & coram grauiſſimo, ac maximo omnium philoſopho de voluptatis natura tàm multa dicam. Aura ſcilicet amoris, quo te proſequor, longius me prouexit, quàm par erat, & vitio ætatis vtor, quæ loquacitatis eſt amica. Sed quando vitium naturale eſt, à vobis certè ignoſci debebit. Ego verò, inquit Madius, præclariſſimas doctiſſimorum hominum ſententias quaſi vnum in locum conductas, & ſumma quadam caſtitate, atq; elegantia ſermonis tractatas audiens mirabiliter ſum delectatus. Spero etiam cohortatione tua Siluium confirmatum in curriculo virtutis, atq; laudis conſtantius permanſurum. Sed quid tu Flamini ad*

*hæc? Ex ore enim, & oculis tuis videor mihi intelligere nonnihil reſediſſe in animo tuo, quod tibi pariat dubitationem. Nihil mirum, inquam, ſi probè noſti animum meum, qui tecum amore, atquè admiratione tui captus aſsiduè verſatur. Sed certè dicente Riccio, quamquam eloquentiam maxima cum doctrina coniunctam admirabar, tacitusquè mecum ipſe laudabam, eum tamen ex animo meo eijci ſcrupulum non ſentiebam, qui diù malè me habuiſſet. Sæpè enim multùmquè dubitaui, cur voluptas in tàm graues grauiſsimorum hominum reprehenſiones incurriſſet; cum illa quidem mihi beatæ vitæ effectrix in primis videatur. Cuius ſententiæ meæ, quandò in hunc ſermonem incidimus, libenter cauſas, rationesq; afferrem (vehementer enim aueo ſcire, quid tu de illis optime præceptor ſentias) niſi pertimeſcerem; ne vobis moleſtus eſſem. Iſtud periculũ ego, inquit Madius, præſtabo. Quid enim hoc tempore agamus potius, non habemus, & res mehercle digna eſt, de qua diſputetur; nec vt arbitror, iſta de voluptate tractatio carebit voluptate. Hic Riccius leniter arridens, metuo, inquit, ab iſta oratione. Facile enim ad aures Siluij gratior accidet, quàm mea, fortaſſequè nonnihil de illius diligentia, atq; ſtudio detrahet. Quapropter iſtud quoq; periculum tibi Madi, quan*

*do tu Flaminio poteſtatem dicendi facis, eſt propulſandum. Verò, ac libenter, inquit ille, hasq; mihi ſuſcipio partes, vt ſi quid à Flaminio non ſatis verè dicetur, neque ſatis ad Siluij rationes accommodatè, ego errorem, fontemquè erroris oſtendam, Siluiumquè decipi nullo pacto ſinam. Quanquam vides Ricci eum, qui voluptatem eſt laudaturus, ab omnibus voluptatibus, quarum præcipuè affinis eſt ipſius ætas, vt virtutem ſequatur, ac decus, ab horrere. Tum Siluius, ò vere candido mihi lapillo ſignandum diem, cum mea cauſa tàm præclara diſputatio eſt inſtituta. Et mihi etiam, inquam, pulcherrimè hic dies illuxit, qui locum hunc à Madio illuſtrari ſummopere cupiebam. Proinde, & ſi Riccius non optimè de me videtur ſenſiſſe, exiſtimauit enim, quantum ex ipſius verbis intelligere potui, me ambitione potius, quàm diſcendi cupiditate ductum, contra ſe dicturum, facilè tamen hanc illi iniuriam remitto, atquè ignoſco, qui rem tandiu exoptatam mihi à Madio impetrauit. Utinam, inquit Madius, opinio, quam de me concepiſti, ne te fallat, ac ſuſtinere poſſim expectationem. Nulla enim ferè res eſt tàm perſpicua, atquè illuſtris, cuius uis, & natura in obscuro, vt inquit ille, non lateat; & ego homo ſum; id eſt, qui facile decipi, ac falli poſſim.*

*Sed experiar tamē, ut rectiſsimo, atq; honeſtiſsimo, tuo deſiderio morem geram. Hoc loco, cum omnes ad audiendum ſe ſe oſtenderent paratos; ego ſic ſum exorſus.*

*Felicitas ſummum, præſtantiſsimumq; hominis bonum eſt, ſicuti extremum omnium malorum miſeria: quocirca ad illam omni ſtudio ferimur: hanc quantum poſſumus euitamus. Felicitatis autem notioni, quam in animo inſitam habemus, ita mihi coniuncta eſſe voluptas videtur: ut neq; etiam Deorum immortalium vita, niſi maximis voluptatibus confertiſsimam mente concipiamus, ſatis felix, ac beata intelligi à nobis poſsit. Quapropter veteres poetæ, quos, quò propius à mundi origine aberant, eò ſapientiores fuiſſe credibile eſt, tametſi in Deos, qui corporis ſunt expertes, nec cibi, nec potus, nec obſcœnarum voluptatum deſiderium cadere probè ſcirēt, totos tamen dies in opiparè paratis conuiuijs conſumentes, nectareq; & ambroſia ſe ſe oblectantes, & amori palam ſeruientes inducunt, ut intelligeremus feliciſsimam eſſe eorum vitam, & voluptatibus affluentem. Ergo ſi Deorum immortalium vita uſquequaq; felix, atquè beata ſtatui debet, ut certè debet; illa autem ſine infinitis propemodum, atquè immenſis voluptatibus ne fingi quidem poteſt, profectò non eſt cunctandum profiteri humanæ etiam*

felicitati coniunctiſsimam, idcircoq́; ſummum quoddam bonum, ac ſummopere expetendum eſſe voluptatem. Cui rei illud etiam argumento eſſe poteſt, quòd cum cæteræ res omnes ob aliud quippiam expetantur, vt diuitiæ ob vitæ commoda, virtutes, vt feliciter viuamus: felicitatem duntaxat, atquè voluptatem per ſe ipſas appetimus, atq́; complectimur. Ineptus enim, ac planè ridiculus videatur, qui cauſam quærat, cur felicitatem, aut voluptatem ſequamur. Quã obrem vtramq́; Eudoxus honore potius, quã laudibus dignã cenſebat. Laudantur enĩ virtutes, vt illarum pulchritudine, atq́; ſplendore capti ad ipſas colendas incitemur; at ad felicitatẽ, & voluptatem adamandam, ac proſequendam nihil cohortatione, nihil incitamento eſt opus. Per nos ipſi ad illas mirabiliter propendemus. Proinde vtraq́; honorari, non laudari debet: quemadmodum etiam Deos immortales non laudamus, ſed honoramus, & colimus. Accedam propius. Contrariorũ contraria ſolent eſſe conſequentia; vt ſi iniuſtitia vitium eſt, malum fugiendum, iuſtitia certè virtus, bonum, atquè expetendum poni debebit. Id in rem propoſitam commodè transferri poteſt. Nam ſi dolor omnis malus, ac fugiendus eſt, quid cauſæ ſit, cur non continuò voluptas bona, atq́; optabilis ſtatuatur, non video. Dolor quidem huiuſmodi malum

*eſt, vt illi etiam philoſophi, qui dolorem in malis connumerare verebantur, paulò tamen ſignificantioribus verbis naturæ inimicum, reijciendum, fugiendum dicere non dubitarint. Non enim ſi à dolore vocabulum illud mali auferre poterant, vt ab Academicis diſſentire viderentur; propterea etiam id, quod illa voce ſignificatur, poterant auferre. Sed quid multa de dolore afferre opus eſt: cum à labore etiam, qui multò leuius quiddam eſt, quàm dolor, ſimus omnes natura abhorrentes, ac maximè propenſi ad voluptatem? Declararunt id Græci eodē perſæpè vocabulo dolorem, laboremq; quaſi duas res ſimillimas, atq; inter ſe maximè coniunctas comprehendentes; & Latini etiam, vt Riccius modò dicebat, labores aliquādo ærumnas appellant: quo vel ipſo nomine compellimur in fugam. Vocat Homerus laborem* θυμοφθόρον *quaſi non modò corporis, ſed etiam animi corruptelam, ac peſtem; negatquè apud eundem Mercurius, quē tamen Deum actuoſæ, laborioſæq; vitæ præeſſe veteres voluerunt, ſe niſi præpotentis Patris imperio parendum fuiſſet, ad Calypſus inſulam fuiſſe acceſſurum, nullam aliam ob cauſam, niſi propterea quòd multū maris eſſet traſmittēdum, nullaq; propinqua eſſet ciuitas, quæ Dijs ſacrificia faceret, atq; hoſtias immolaret. Noſter autem Homerus & improbū laborem dixit, & vna*

*cum luctu, morbis, ſenectute, metu, fame, egeſtate, letho, quæ perſpicue non mediocria mala ſunt, in primis Orci faucibus collocauit, alibiq; etiam, ut ſententiam ſuam nobis teſtatiorem relinqueret, tanquàm bonis rebus contrarium poſuit.*

,, *Optima quæq; dies miſeris mortalibus æui*
,, *Prima fugit: ſubeunt morbi, triſtiſq; ſenectus.*
,, *Et labor; & duræ rapit inclementia mortis.*

*Ac ſanè cum Saturno regnante aurea illa toties decantata ſecula erant, & naturæ cum primis congruenter uiuebatur, ne nomen quidem laboris notũ fuiſſe crediderim.*

,, *In medium quærebant, ipſaque tellus*
,, *Omnia liberius nullo poſcente ferebat,*
,, *Ipſæ mella dabant quercus, ultroq; ferebant*
,, *Obuia ſecuris ubera lactis oues.*

*Noſtis clarorũ poetarũ carmina. Ergo ſi cum maximè ex naturæ lege ætas agebatur, longiſſimè omnis labor aberat: certe laborem noſtræ naturæ eſſe aduerſariũ poſſumus cõfiteri. Atqui res ita ſe habet, ut nemo ſit ita uel ſtultus, uel ſui ipſius negligẽs, qui ſe laborare dicat, ut laboret. Aliud quiddã ſẽper ſpectamus, aliud uolumus, aliũq; omninò finẽ cõſequi ſtudemus. Fuit hæc laudatiſſimi illius Cyri Maioris ſententia à uoluptatibus nõ aliam ob cauſam eſſe abſtinendum, capiendosquè labores; quàm ut maioribus,*

*ac diuturnioribus fruamur voluptatibus. Quocirca laborem iucundæ vitæ ducem appellabat; ab illo enim & cibum, & potum, & ſomnum iucundiſſimum reddi. Hinc Heſiodus, cum virtutis viam aſperam, difficilem, laborioſam poneret, ei tamen, qui ad ſummum perueniſſet, plana omnia, læta, ac voluptatis pleniſſima apparere affirmauit. Pyrrus certè præclari nominis Rex Cyneæ interroganti, quid tot laboribus, atquè expeditionibus ſuſcipiendis quereret, reſpondit adeptum ſe ea quæ concupierat, iucundiſſimam, maximèq; hilarem acturum vitã. Atqui hoc loco Riccij oratio, pace ipſius dixerim, hærere mihi nonnihil, atq; fluctuare videbatur. Nam cum multis argumentis, adhibitis etiam locupletibus teſtibus, probaret, eum, qui laboribus deditus eſſet, iucundius illo viuere, qui nihil aliud, quàm voluptatem ſequeretur; non videbat ſe ad voluptatem quidem cohortari Siluium, idem enim, niſi fallor, eſt iucundè, atq; cum voluptate viuere; ſed interim artem quandam illius percipiendæ conſtituere; vt quemadmodum Lyſias autore Platone, cum maximè amaret, facilius tamen quod cupiebat, aſſequi poſſe ſperabat, ſi non amantis ſpeciem præ ſe tuliſſet; ita qui appetens, atq; ſtudioſus voluptatis eſt, ſi illius amorem diſſimulet, ad eius poſſeſſionem facilius, atquè expeditius ſit peruenturus. Quòd ſi non modò.*

*dolor omnis, hoc enim ſatis clarum, atq; perſpicuum eſt, ſed etiam labor, niſi voluptatem pariat, per ſe, ſuaq; natura eſt fugiendus, atq; à nobis amouendus, contrarijs autem, ſicuti dicebamus, contraria conueniunt, cõſectarium profectò eſt voluptatem omnem ſuaui, atq; natura ſummopere eſſe expetendam, atq; amplectendam. Verum intrabo etiam magis. Senſum nobis à natura datum eſſe nemo eſt, qui dubitet, & voluptatem eſſe amicißimam ſenſui ſatis etiam eſt exploratum. Quam obrem naturæ noſtræ conuenientem, atq; conſentaneam eſſe fateamur oportet. At enim dices, menti, & intelligentiæ, quæ humanæ naturæ principatum debet obtinere, repugnat, atq; inimica eſt, quamuis amica ſenſibus. De iſto mox videro. Nunc illud teneatur, niſi effectorem illum omnium rerum, & conditorem, aut imprudentiæ, aut improbitatis crimine accuſare velimus, quod à cogitationibus noſtris lõgißimè abeſſe debet, vtiliter nobis ſenſum eſſe tributum, non noxam inferre, ac detrimentum. Id hac re intelligi poteſt, quòd mens ipſa, ratioq; ſenſibus vtitur tãquã ducibus ad veri inueſtigationem, & inuentionẽ, illisq; orbata vix, aut ne vix quidem vllam aſſequi ſcientiam poteſt. Quamobrem ſi ſenſuum perceptio, atq; cognitio tantum abeſt vt nobis officiat, vt mirificas potius, & ingentes afferat vtilitates; neq;*

*eorundem certè appetitio, propenſioq́ obeſſe debebit: At perſpicuè voluptatem appetunt, atq́ in eam toti propendent. Voluptas igitur mala, ac noſtræ naturæ repugnans, & inimica eſſe qui poteſt? Nec verò deſunt grauiſſimi viri, qui in Hercule, atquè Euriſtheo noſtræ vitæ expreſſam eſſe conditionem putent; vt queadmodum Hercules quãuis Iouis filius, & virtute, animiquè magnitudine ſupra humanas etiam vires excellens, cæloquè iam pridem deſtinatus, ignauiſſimo tamen, atq́ inertiſſimo omnium hominum homini Euriſtheo, dum in terris ageret, ſeruire coactus fuit, ſic animus noſter, quamuis longè nobiliore, ac præſtantiore natura conſtet, quàm cætera omnia, quæ in hac inferiore mundi parte continentur, ac cæleſtium, beatarumq́ mentium loco, ac numero ferè cenſeatur, dum tamen verſatur in hoc corpore, ipſius imperium ſubire, ipſius ſeruire commodis cogatur. Id ſi eſt, vt multis fortaſſe veriſimile videbitur, profectò vici. Nam ſi voluptas corpori, ſenſibusquè maiorem in modum placet; & his tanquàm dominis in hac vita animus parere debet; certe etiam vt multæ ſemper voluptates preſtò ſint, & vndiq́ affluant, operam dare debebit. Quòd nobis, ſi Principum vitam, moresquè intueamur, mirum ni credibile videatur. Tiberius Cæſar magiſtratum inſtituit, qui nouas continenter inueniendi*

*voluptatis curam gereret, Xerſes Perſarum Rex incognitum afferenti voluptatis genus ampliſſima præmia edicto ſtatuit. Ex quo ſatis mirari nequeo Riccium ea ratione nos à voluptate auocatum iri exiſtimaſſe, quòd in Principum virorum vita, quam tamen imitari deberemus, nihil illi eſſet relictum loci: cum potius nullam aliam ob cauſam beatiſſimos eos iudicemus, quàm quòd plurimas, maximasquè quandolibet, poſſunt capere voluptates. Sed, vt voluptas illa, qua ſenſus perfunduntur, ac demulcentur, noxia homini ſit, ac pernicioſa, iuſtisquè de cauſis malè audiat, non enim vehementius repugno; at aliam reperiri, quæ mentis, atquè intelligentiæ propria ſit, idcircoquè laudabilis, honeſta, ſummo ſtudio complectenda, quis ſatis verè negare poteſt? Vulgatum illud prouerbium eſt, tùm demum in artibus, atquè diſciplinis magnos progreſſus fieri, cum voluptas quædam actionum comes acceſſerit. Cyrus Maior, quem iam ſæpius admiratione quadam commoti laudauimus, leues eſſe Imperatori labores dicebat, cùm voluptate illa, quæ de honoribus, gloriaquè manat, compenſarentur. Duillius, qui primus Carthaginenſes claſſe deuicit, è conuiuio tibijs præcinentibus domum redire ſolitus erat, vt lætitiam illam, quam animo ex proſpero euentu cœperat, ſignificaret.*

*Magni verò ſunt eorum labores, qui in magna aliqua, & præclara diſciplina excellere ſibi in animum induxerunt; quis dubitat? Attamen facilè perferuntur, cum multò maxima voluptas, quæ contemplando, atquè intelligendo percipitur, aſsiduè comes adſit. Habent in ore philoſophi tùm Socratem, & Chriſippum, qui ſtudijs ſuis intenti tanta voluptate perfundebantur, vt corpore euolaſſe viderentur, tùm Solonem, qui extremum ſpiritum ducens, extinctisquè iam propemodum aduentante morte ſenſibus tantùm aberat, vt voluptatis huius guſtum amiſiſſet, vt potius tunc quoquè nullo alio se; quàm diſcendi deſiderio teneri, morientibus, ſed ſempiternæ memoriæ commedandis vocibus indicaret. Tùm verò nihil afferunt admirabilius, quàm Archimedis factum, qui defixus in ſtudijs ſuis nõ patriæ caſum, ac ruinam ſenſit, nõ ciuium gemitus, non hoſtium exprobrantium ſuperbas voces audiuit, non gladiorum, quibus & ipſe confoſſus eſt, fulgorem aſpexit. Nos autem præſtantiſsimæ huius voluptatis teſtes Heroas noſtros citare poſſumus, quorum immenſa quædam vis voluptatis, quam ex Dei contemplatione, atquè amore hauriebant, maximos, ac planè intolerabiles cruciatus imperceptos tranſire faciebat. Vel proximè Stephani proto martiris memoriam coluimus, quem dubitandum*

*non*

*non eſt quin iucundiſſimus ille præpotentis Dei filij aſpectus, qui globis cœleſtibus diductis illi ſe intuendum dederat, ab omnibus iniurijs, quæ à Iudæorum crudelitate proficiſci poterant, & ab illo acerbiſſimo ſenſu mortis vindicaret. Verum res amplior, quàm hoc anguſto ſermone concludi poſſit. Neque verò exiſtimarim ego pueros, cũ cibi, potus, ſomni nullam ſentiunt cupiditatem, modò ludis, atq; ſpectaculis interſint, voluptatem cõtemnere, ſed potius illam, quæ in cognoſcendo conſiſtit, ad quã cuncti natura ferimur, ac rapimur, cæteris omnibus voluptatibus anteferre. Memini Adoleſcentem quendam noſtratem bonis omnibus, quæ aut Fortuna, aut Natura hominibus largiri poteſt, ornatiſſimum, cum à mercatura, cui operam nauare cœperat, bono quodam noſtræ ciuitatis fato ad literarum ſtudia, vt ſuis morem gereret, ſe contuliſſet principiò, quòd nõ dum voluptatem illam guſtaret, quæ ex huiuſmodi ſtudijs hauritur, vix animum ad ea applicare potuiſſe: paulò poſt cum guſtare cœpiſſet, eam operam curam, diligentiam, in ijs ponere ſolitum fuiſſe (quam etiam cum ætate ſimul accreuiſſe audio) vt iam omnia ſumma de illo ſperem. Quapropter quòd ab ingenioſo poeta de improbis, ſceleratiſq; hominibus dictum fuit, ſatis illos facinorum ſuorum pœnas perſoluturos, ſi virtutis ſpeciem, ac pulchritudinem*

*vnquam conſpexiſſent, quod quàm excellentis, diuiniquè boni poſſesſionem ſibi ipſi inuidiſſent, tùm deniquè intellecturi eſſent; idem mihi de indoctis, literarumquè expertibus dicendum videtur, ſi voluptatem illam, quæ ex multarum, & præſtantiſſimarum rerum cognitione hauritur, ſemel animo poſſent intueri, ipſosmet vitam ſuam quantumuis reliquis commodis, ac voluptatibus circumfluentem, planè infelicem, miſeramquè eſſe iudicaturos. Ergo ſi felicitas, quæ ſummum hominis bonum eſt, ſine voluptatis ſocietate, atquè coniũctione intelligi non poteſt, ſi dolor omnis, & mehercle etiam labor per ſe, ſuaptequè natura eſt fugiẽdus, ſi voluptas ſenſui placet, atquè amica eſt, ſenſus autem nobis eſt à natura vtiliter tributus, ſi aliqua poſtremò exiſtit voluptas germana, maximèquè propria rationis, & mentis, cur voluptatẽ in bonis numerare veremur, cur non expetendam, complectendamq́; ſtatuimus? cur tot illam obiurgantium philoſophorum voces audiuntur? Hic cum finem dicendi feciſſem; priores, inquit Siluius, rationes tuæ, licet ego illarum vitium non deprehenderem, modum duntaxat, ſpeciemquè neceſſariæ argumentationis habere mihi videbantur, re vera autem huiuſmodi eſſe, quæ refelli poſſent: at poſtrema & veriſſima viſa eſt, & me in eodem curriculo retinuit; atquè in priſtina vi-*

uendi ratione mirificè confirmauit. Tùm Madius Macte, inquit: Quemadmodum enim corporis noſtri vis, & facultas illa, quam Medici naturalem vocant, poſtquam cibum ſumpſimus, eam partem ſibi ſeponit, atq; cuſtodit, quæ naturæ noſtræ conueniens, conſentaneaq; eſt, noxia autem repellit, ita nunc te video Silui ex multis, & ſatis quidem acutè concluſis rationibus, quæs Flaminius attulit, admirabili quadam naturæ bonitate, eam duntaxat, quæ veritatis, vt dixiſti, & vtilitatis, vel ſalutis potius pleniſſima eſt, in animum admittere, ac probare, cæteris quæ aliquod vitium continebant, non aſſentire. Quare cum Flaminij oratio, quod Riccius metuebat, tibi non modò non obfuit, ſed etiam profuit, nihil amplius cauſæ eſt, cur ego de hac re verba faciam. Tùm ego animo maximè perculſus, potes, inquã, ſi vis, me in ſummã expectationem adductum deſerere; ſed ſi benè noui humanitatem tuã, non facies: quãquã non tàm mehercle humanitas, quã etiã probitas, ac iuſtitia tua agitur, cũ promiſſis non ſtare iniuſti planè hominis ſit. Hac, inquit ille, conditione pollicitus eram, ſi ſermo tuus Siluio nocuiſſet. Nunc & tu dicendo profuiſti, & ego aliâs hanc rem totam tibi patefacere potero. Multa enim te deſiderare nõ ignoro, quæ ſi nunc à me afferantur, paruã omninò rationẽ habuiſſe Siluij uidear.

*Et ſi enim in illo omnia ſumma adſint, abeſt tamen maturitas ætatis, quam flagitant ea, quæ ut non modò tibi, ſed etiam Riccij præſentis ſingulari eruditioni ſatisfacere poſſem, mihi tractanda eſſent. Quid, ſi ita faciam, inquit Siluius, ut cum in aliquam tabernam librariam venio? Conſpecta enim plurimorum, optimorumq; librorum copia, & omnes in manus ſumens; quos ex indice de rebus abditis, atquè occultis tractare intelligo, alijs coemendos relinquo, illos verò, qui ad has manſuetiores muſas pertinent, mihi ſepono, atquè domum, ut legam, affero. Sic nihil, opinor, impediet, quominus cum tu omnia, quæ ad hunc locum pertinent, more tuo, id eſt verißimè, & copioſißimè explicabis, ex aureo iſto Philoſophiæ flumine eam partem hauriam, quam ferre poſſum, reliquum Riccio, ac Flaminio hauriendum relinquam. Tum Riccius, Gerendus eſt tibi, inquit, mos omninò nobis. Aueo enim & ego te audire litem inter me, & Flaminium dirimentem, aut pro altero contra alterum iudicantem. Nam etſi ille tanto minor natu eſt, quàm ego ſum, tamen quòd te aßiduè audit, ſatis idoneum ſtatuo, qui mihi ſit aduerſarius. Et quamuis ſi ſubtiliter promiſſa tua interpretari velis, poßis fortaſſe te excuſare, tamen ſummum ius, ſummam ſis eſſe iniuriam. Tum Madius, nihil inquit, à me proficiſci poteſt,*

*quod vobis ſingulis vel nutu veſtrum mihi deſiderium ſignificantibus, non ſit paratiſsimum, ne dum vniuerſis tanto ſtudio cōtendentibus, hoc, quod vultis, negare poſsim. Quapropter dicere aggrediar, quicquid mihi hac de re in mentem venerit, ſi vnum prius à vobis impetraro. Annuentibus verò nobis, & quid iſtud eſſet, interrogantibus, ſi apud me inquit, cœnare volueritis. Nunc enim, antequam nox adueniat, quæ iam proxima eſt, vt ab hac dicendi, & audiendi contentione pauliſper animi relaxentur, ac recreentur, ſurgendum, & in viam Herculeam eundum cenſeo: ibi tribus, aut quatuor ſpatijs factis domum reuertemur, & vſquè ad cœnæ tempus commodè huic ſermoni operam dare poterimus. Hanc igitur vobis conditionem pono, quæ ſi placet, dicere non recuſo, ſin minus, nihil eſt, quòd me vllum verbum eſſe facturum credatis. Hîc, cum ego, & Siluius dubitaremus, meo quodam iure inquit Riccius, pro omnibus reſpondebo, nosquè ita, vt vis, eſſe facturos pollicebor. Nullam enim tibi recuſſandi rationem relinqui uolo. Tûm ego, cum iam omnes exurgeremus, parum, inquam, tibi Præceptor optimè videbaris effeciſſe, ſi animum aleres, niſi etiam corpus aluiſſes.*

# FLAMINII NOBILII DE VERA, ET FALSA VOLVPTATE

## LIBER SECVNDVS.

*AGGREDIENTI mihi ea mandare literis, quæ ab optimo illo viro, & homine ſapientiſſimo acцepi, in mentem venit gratias agere fortunæ meæ, quæ, cum ego nihil afferrem, quo ſummo iudicio præditi homines mea conſuetudine delectari poſſent, ita tamen tulerit, vt quocunquè venerim, illis fuerim planè intimus, qui ingenio, virtute, doctrina longè omnibus præſtarent. Audiui adoleſcens, ac penè puer domo ſtudiorum cauſa profectus Remigium Melioratum, & in Philoſophia pereruditum, & noſtri temporis Dialecticorum ſine controuerſia principem, ex cuius priuatis, & quotidianis ſermonibus,*

*cum ab illius latere, quò ad liceret, nunquàm diſcederem, haud paulò maiorem vtilitatem, quàm ex publicis diſputationibus percepi. Deinde cum ille triſti admodum ſui deſiderio ſtudioſis relicto mortem obijſſet, idcircoquè Piſis ego abiens Ferrariam me contuliſſem, in qua vrbe bonas literas in primis florere acceperam, & cum Ioan. Baptiſta Giraldio, Bartolomeo Riccio, Io. Baptiſta Pignio eloquentiſſimis, ac doctiſſimis hominibus ſumma mihi amicitia, atquè conſuetudo interceſſit, & Vincentio Madio tàm comi, ac beneuolo præceptore ſum vſus, vt nihil incideret, quod ego minus intelligerem, quod ille priuatim copioſiſſimè, & planiſſimè mihi explicare grauaretur; nec vnquam omninò abnueret voluntas eius ſtudio meo. Poſtremò cum Piſas, vt Parenti meo morem gererem, rediſſem, & Logicam facultatem publicè profiteri cœpiſſem, cum ijs viris mihi verſari contigit, cum quibus æquè ferè libenter, atquè cum Dijs immortalibus viuo. Hi ſunt Vidus Vidius Florentinus, in arte medica ita tùm doctrina, tùm explicandi ratione excellens, vt illam de ſupremo loco profiteri meruerit, omnibusq; ſuis præditam ornamentis ſit poſteris traditurus, ea variarum rerum cognitione, atq; vſu, vt nihil vel illius ſermonibus iucundius, & ad animos auditorum tenendos aptius, vel monitis, & conſilijs ſapientius*

*pientius excogitari poßit, ea humanitate, ac probitate, vt obſit nemini, quàm plurimis proſit, & alacriter, atq; amanter proſit, Iulius præterea Salernius, qui ad iuris ciuilis ſcientiam, in qua Deus quidam auditoribus videri ſolet, ſummam eloquentiam, & in cunctis artibus, quibus ad humanitatē informari ſolemus, eruditionē, et optimos, ſuauißimosq; mores adiunxit, et Mainettus Mainetius, vir in Philoſophia clarus, atq; inſignis, et admirabili quadam lenitate, et comitate vitæ gratioſißimus. Quapropter verè mihi illud videtur dici neminem ferè eſſe, cui in hac vita, aut omnia commoda congruant, aut omnes bonæ proſperitates ſint aduerſæ. Id adeò ex me intelligi poteſt, qui, & ſi multis in rebus à me non ſit collaudanda fortuna, hoc tamen bono, quod commemoraui, facilè omnes illius iniurias feram, atq; compenſem. Proindè ſi prima illa ingenij laus mihi negata eſt, vt non multa, neq; magni ponderis in Philoſophia reperire per me ipſe poßim, noui enim tarditatem meam, at certè ſecundam mihi eripi non ſinam, & ſingulari doctrina, acerrimoquè ingenio hominum, quos partim audiui, partim quotidiè audio, benè inuentis obtemperabo, eaquè non modò meæ, ſed etiam, ne fruſtra natus videar, utq; illis, quam poſſum, gratiam referam, poſterorum memoriæ commendare ſedulò enitar. Quam tamen*

*laudem tanti fecit Zeno Stoicorum Pater, vt ab Heſiodi ſententia diſcedens non ſecundam, ſed primam poſuerit. Pauca enim omnino propter vitæ breuitatem, de qua iure Theophraſtus conqueri videbatur, homini quantumuis ingenioſo venire in mentẽ poſſunt. Multa verò cognoſcet ille, qui aliorum inuenta quaſi in vnum locum conduxerit, animoq; et memoria comprehenderit. Sequamur igitur inſtitutum noſtrum, & ſuſceptum hoc munus explicandi naturam voluptatis conficientes, ad Madij ſermonem veniamus; cum præter eos, quos recenſui, alij duo Auditores acceſſerunt. Nam cum, vt egrederemur, pedem porta efferremus, ſeſe nobis obuiam fecerunt Horatius Malegutius, & Iulius Rugerius, quibus Regiũ Lepidi patria erat, nobilitate, opibus, diſciplinis liberalibus, & præſertim Philoſophia florentiſſimi Iuuenes; qui & ipſi ad Madium ſalutandum, ac deducendum venerant, Ita cùm his in viam Herculeam venimus, quæ Ferrarienſi populo baſilicæ cuiuſdam inſtar eſt, & quotidiè nobilibus equitibus, ac Matronarum affabrè factis ciſijs referta conſpicitur. Ibi aliquot ſpatijs factis, ad reducendum Madium omnes vnà profecti ſumus, atque interea cum ego Horatium, & Iulium ſubmonuiſſem, quid inter nos conueniſſet, ſeſe etiam vſque ad cœnæ tempus nobiſcum velle eſſe dixe-*

*runt. Tum Madius, video, inquit, quid agatis, ſed quanquam imparatus ad dicendum accedere non libenter ſoleo, tamen quod Flaminio conceſsi, vobis negare æquum non puto. Itaquè faciam, quod vultis, non tam mehercle veſtro deſiderio ſatisfaciendi ſpe, quàm omnibus in rebus amantiſsimi Præceptoris officio fungendi voluntate. Nec verò dubium mihi eſt, quin eidem conditioni, cui reliqui ſteterunt, vobis quoquè ſtandum putetis. Nam ſi dubitarem, verbo non hiſcerem. Hæc dicens, nos in conclaue quoddam bibliothecæ coniunctum perduxit, atquè apud ignem reſidere iuſsit; ipſe autem bibliothecam ingreſſus, paulò poſt ad nos reuerſus, hũc in modum eſt exorſus. Quam copioſa, & elegans Riccij oratio in accuſanda voluptate, quàm item acuta Flaminij in defendenda fuerit, facilè per vos Horati, & Iuli coniectura aſſequi poteſtis. Verum neuter vim, & naturam voluptatis attingere conatus eſt. Euenta potius hic bona, ille mala omni dicendi copia dilatarunt. Omnis autem via, & ratione ſuſcepta diſputatio, vt Principi noſtro placet, à definitione ſumere initium debet. Hæc enim queſtiones omnes ad exitum deducere, omnesquè ſedare controuerſias ſolet. Ego igitur, qui non oratorie, ac probabiliter, vt Riccius, & Flaminius fecerunt, ſed verè,*

verè, & ſubtiliter hanc rem à me tractari puto oportere, ab Ariſtotelis præcepto mihi non cenſeo diſcedendum. Ordiamur igitur à voluptatis definitione. Eam ex iis, quæ à nobis, dum libros Ariſtotelis de anima interpretaremur, ſunt explicata, inueſtigantes, omnibus, niſi fallor, veſtigiis aſſequemur.

Oſtendimus eo in loco ſatis accuratè quemadmodum illa tractatio poſtulabat, quot, & quales eſſent animæ noſtræ partes. Erant enim tres, prima illa, qua nutrimur, & viuimus, altera qua ſentimus, poſtrema, & reliquarum perfectiſſima, qua intelligimus, & ſapimus. Declarauimus etiam quid eſſet voluntas, & appetitus. Appetitus enim à ſenſu, voluntas à mente, & intelligentia non re, ſed cogitatione ſecernuntur, atque appetitus nihil aliud eſt, quàm commotio quædam ipſius ſenſus, dum uel propendet in rem, quàm ſibi iucundam fore exiſtimat, vel à moleſta abhorret, atq; refugit; Voluntas item nihil aliud quàm inductio, & propenſio mentis in id, quod ſibi bonum cognoſcit, proſequendum, aut malum repellendum. Atqui eodem loco multa de affectionis natura, ac partibus diximus, quæ à vobis memoria teneri & cupio, & credo.

Nos verò, inquit Ruggerius, optimè tenemus. Omnia enim ita tu explicare ſolitus es, vt ea non in aures transfundere, ſed in animo inſcribere videaris

*propius igitur, inquit Madius ad id, quod agimus, accedamus. Ex tribus animæ facultatibus, ad vegetabilem, quam infimum locum tenere ſtatuimus, nullo pacto voluptatem, aut dolorem pertinere Ariſtoteles cenſet; quāquā Anaxagoras, & Democritus aliter fortaſſe exiſtiment, qui plantas ſenſu præditas eſſe, ac dolore, voluptateq́; affici conſtanter affirmant, ſicq́; vegetabilem animam cum ſenſu confundunt; ſed huiuſcemodi opiniones his eruditis temporibus ſatis explòſæ ſunt. Ad Ariſtotelem igitur, & Platonem reuertamur, quorum de hac re eandem fermè fuiſſe ſententiam credimus. Vegetabilis igitur animæ facultas nec voluptatem, nec dolorem accipit; reliquæ autem duæ animæ partes, ſenſus, & intelligentia tùm voluptatis, tùm doloris ſunt compotes. Verum antequàm longius progrediamur, illud etiam, atque etiam animaduertendum eſt, quod in eorumdem librorum interpretatione admonuimus, facultatem ab actione multum differre, vt mentem ab ipſa cogitatione, & contemplatione, ſenſum oculorum ab ipſa contortione aſpectus; quam ſi placet, viſionem, & ipſum ſenſum, vt res clarior ſit, viſum appellemus. Non enim ſimiles Megarenſium Philoſophorum haberi volumus, qui dum nihil agimus, facultate etiam agendi nos planè deſtitutos exiſtimabant, quorum opinio nono libro*

*Theologiæ ab Ariſtotele firmiſsimis rationibus eſt confutata. Cum igitur viſum dicimus, vim ipſam, & facultatem animæ intelligi volumus, viſio autẽ eſt ipſius viſus functio muneris (ſic ego ἐνέργειαν interpretor) cum ſcilicet oculis rei alicuius externæ ſpeciem recipimus, & per ſpeciem rem cognoſcimus. Quod de vno viſu dictum latiſsime patet, & in cæteros etiam ſenſus, mentemque transferri commodè poteſt. Animaduertiſtis autem vnquam, tuque in primis Flamini, qui huius diſputationis in cauſa fuiſti, à quibus cauſis viſio pendeat? Puto, inquam, viſionem, duo potiſsimum principia, duas cauſas habere, facultatem videndi, et rem extrinſecus obiectam, in cuius ſpeciem facultas ipſa fingitur, & formatur tamquam ſpeculum quoddam, ſicque formata erumpit in actum. Gaudeo, inquit Madius, cum iſta à te benè comprehenſa video. Sed perge, cauſamq; nobis affer, quamobrem aliquando viſio manca quoddãmodo, & imperfecta reddatur. Mirum, inquam, ni aut propter videndi facultatem non optimè affectam, aut quòd nulla ſit rei obiectæ cum facultate, conuenientia nulla proportio, atque naturæ conſenſio. Rectè, inquit Madius. Senſus enim, vt aiebat Ariſtoteles in proportione quadam, & vt ita dicam, concordia conſiſtit, quæ non aliter à rebus obiectis perturbari poteſt, atq; in fidibus harmonia*

*neruis vehementius pulſis, Perfecta igitur viſio tūc appellanda erit, cum & facultas videndi belliſſimè ſe habebit, & illi aptè congruet res obiecta, planequè conſentanea erit; hac autem conditione illam quoq́; contineri intelligamus, vt ſpacium aeris, quod interiacet, benè ſe habeat. Hanc igitur rei obiectæ conuenientiam percipiens ſenſus benè affectus, atq́; in eam totus propendens mirabili ſuauitate, voluptateque perfunditur. Cæterum, vt ſenſus paulò melius, vel deterius eſſe affectus poteſt, & ſimiliter rei obiectæ conuenientia gradus quosdam habet; ita voluptatum alia maior, alia minor exiſtit. Et quemadmodum in fidibus cum nondum chordæ ad eundem ſonum peruenerunt, nōnihil deſiderant eruditæ aures, at cum primùm peruenerunt, mirabiliter implentur, ac delectantur, ita cum cōuenientia iſta facultatis percipientis cū re obiecta ad ſummū deuenit, ſumma quoq́; exoritur voluptas. Voluptatis igitur natura iam ferè eſt patefacta. Nihil enī aliud hæc vox ſignificare videtur, quā perceptionē rei obiectæ; quæ cōuenientiā, et cognationē habeat cū facultate percipiēte: ſit autē facultas ipſa benè affecta, et in ſuo fungēdo munere nō impedita. Dolor autē (cōtrariū enim ex contrario facillimè iudicatur) ſtatuetur perceptio rei obiectæ, quæ diſcrepet, et facultati percipienti naturali quodā odio ſit inimica, ipſamq́; malè afficiat.*

*Quòd ſi res obiecta neque perſpicuam conuenientiã, neque diſcrepantiam præſeferat; exiſtet actio quædam inter uoluptatem, & dolorem interiecta intermedia, quæ vtriuſq; expers erit. Hinc dicebat Ariſtoteles non acrem, & exquiſitam olfaciendi vim hominibus eſſe tributam: quippè quæ moleſta tantũ, & iucunda percipiat; medium illum ſtatum volũptate, doloreque carentem tenere non queat. Quoniam igitur ſenſus, atque mens, vt ſuum munus obire poſsint, à rebus obiectis ſpecies recipiunt (eſt enim res ſæpius repetenda) & ſpecies partim conuenire, partim diſcrepare à ſenſu, & mente poſſunt, proportione autem ſeruata mirabilem iucunditatem oriri perſpicimus; rata, firmaq; ſit voluptatis finitio, quã attulimus, vt voluptas ſit perceptio, & comprehenſio rei obiectæ, quæ proportionem, conuenientiam, naturæ coniunctionem habeat cum facultate comprehendente benè affecta, & non impedita. Atquè hæc definitio ita quidem latè patet, ita ſe fundit, vt non modò ſenſus, & noſtræ intelligentiæ voluptati conueniat, ſed etiam incredibilem ſuauitatem illam, quam beatæ, & ab omni materiæ admiſtione ſegregatæ mentes percipiunt, quodammodo complectatur. Et enim quãquã illæ à rebus externis ſpecies non recipiunt, ratione tamen, & cogitatione in ipſis quoquè vis intelligens à re intellecta ſecernitur. Cum*

*autem re non ſecernatur, mirabilisq́ conuenientia, & naturæ coniunctio adſit, veriſsimèq́ ex illis vnũ efficiatur, perfectione autẽ illarum natura reliquas omnes infinitis propè partibus excedat, quid mirũ, ſi ſimplici etiam, perpetua, omnibus numeris abſoluta voluptate potiantur? Quamquam de hac re inferius etiam dabitur dicendi locus.*

*Hoc loco, cum Madius aliquantulum à dicendo quieuiſſet, verè mihi, atq́ ita vti eſt, inquit Malegutius, videris naturam voluptatis expoſuiſſe, meminique non multò ſecus ab Ariſtotele ſeptimo libro de moribus eſſe explicatam. Ibi enim ſtatuebat voluptatem nihil aliud eſſe, quàm functionem muneris non impeditam habitus illius, qui cum natura conſentiat. Quibus verbis hoc ſignificari puto, tunc in mente exiſtere voluptatem, cum illa habitu ſuæ naturæ accommodato, qualis ſapientia eſt, perpolita ſuo munere expeditè fungitur, & in contemplatione verſatur: ſimiliter in ſenſu exiſtere, cum ille acer, atquè vigens benè, ac celeriter percipit, quæ ab ipſo percipienda ſunt. Hæc igitur Ariſtotelica definitio à tua non videtur diſcrepare. Ac ſi quod ſentio dicendum eſt, iſta tua, nihil puto afferri poſſe perfectius. Cæterum verba nonnulla, quæ ab eodem Ariſtotele decimo deindè libro proferuntur, ſemper me mirabiliter torſerunt. Ibi enim primùm ſtatuit*

*voluptatem perficere muneris functionem mentis, & ſenſus, non tanquàm habitum penitus inſitum, ſed vt finem quendam inde exorientem, veluti eos, qui in ætatis flore ſunt, perficit decor ille iuuenilis, & venuſtas. Deinde hæc addit.* Non tamen videtur voluptas, aut ratio, aut ſenſus eſſe. Abſurdũ enim fuerit, ſed propterea quòd non ſeparantur, idem eſſe nonnulli exiſtimant. *Quæ quidem ſententia ab omnibus et Græcis, & Latinis, qui ad manus meas peruenerint, ita explicatur, vt cum inquit* διανοια, & αισθησις *idem ſignificet, ac ſi dixiſſet,* διανοιας. και αισθησεως ενεργεια; *id eſt rationis, & ſenſus actio, atquè muneris functio. Ergo voluptatem idem eſſe ſtatuere, quod functionem muneris. abſurdum eſt. Hæc igitur ſunt quæ mihi ſemper negotium faceſſerunt, quæquè à te explicari diſcuperem. Quanquàm licet nimis me ineptùm, ac moleſtum iudicetis, qui tam diuinæ orationis curſum leuibus fortaſſe dubitationibus meis interpellem. Imò, inquit Madius, iſthìc eram, illaq; verba tacitus memoria repetebam, ac perpẽdebam. Nec verò gratius mihi quicqnã accidet, quàm ſi omnia, quæcunquè in mentem vobis venerint, in medium proferetis: ſermo enim meus veſtris precibus inſtitutus, ac ſuſceptus, ad veſtram etiàm voluntatem accommodari debet. Videndum igitur di-*

*ligenter eſt, vt tu modò Horati dicebas, ne verba illa decimi libri noſtram ſententiam frangant. Sed præſtat, vt hæc facilius, ac verius poßimus interpretari, aliam quandam ſententiam eodem decimo libro poſitam examinare. Ea eſt, ſi verbum de verbo exprimere velimus.* Perficit autem muneris functionem voluptas; ſed non ita perficit, vt res ſubiecta, & ſenſus ipſe, cum benè ſe habent; quēadmodum bona valetudo aliter in cauſa eſt, cur aliquis valeat, aliter medicus. *Horum verborum hæc ſententia videtur eſſe. Aliter muneris functionem ipſius ſenſus perficit voluptas, aliter et id, quod ſenſu percipitur, & ſenſus. Voluptas enim, vt forma perficit, quemadmodum bona valetudo benè valentem hominem. Id autem, quod ſenſu percipitur, & ſenſus, vt mouentia quædam perficiunt. Quamuis autem Euſtratius ſcripturam immutet, tamen quod ad voluptatem attinet, eadem ſententia manet. Atqui ex hac bonæ valetudinis ſimilitudine, quæ ab Ariſtotele affertur, colligi poſſe videtur, voluptatem eſſe habitum planè inſitum, & quaſi formam functionis muneris ſenſus, & intelligentiæ. Bona enim valetudo in homine benè valente habitus quidam inſitus videtur eſſe. Dicemus igitur ſecum pugnantia loqui Ariſtotelem? Nihil vnquàm tanti nobis*

*ſit, quo debitam illi obſeruantiam, pietatemq́; violemus, fateamurq́; potius à nobis non intelligi, quàm ſibi ipſum non ſemper conſtare. Verùm vt intelligamus, ſummum ſtudium eſt adhibendum. Præclarè enim à nobis opera ponetur. Equidem hanc rem diligentiſſimè perpendens, vix adduci poſſum, vt de ſententia decedam, voluptatemq́; ab ipſa met muneris functione ſenſus, & intelligentiæ credam diſcrepare. Nam cùm voluptas non in appetendo, ſed in ſentiendo, & intelligendo conſiſtat, in ſentiendo autem, & intelligendo nihil aliud ſpectetur, quàm facultas percipiens, ſpecies recepta, & huius ſpeciei vſus, atq́; functio, profectò, quando voluptas, vt ſatis eſt perſpicuum, neq́; ſpecies recepta, neque facultas percipiens verè ſtatui poteſt, ipſam met eſſe functionem, & actionem, aut certè quiddam illi ſimillimum concedamus oportet. Quid ergo ſibi volunt verba ſuperius ex Ariſtotele allata? Illud, niſi me mea fallit opinio, poſſe functionem muneris, ſi vniuerſè ſpectetur, à voluptate ſeparari: eſt enim aliqua functio muneris plena doloris. At ſi voluptas eſſet habitus planè inſitus, & forma perpetua, omnis ſemper muneris functio iucunda eſſet (quod eſt perſpicuè falſum) forma enim ab eo, cuius eſt forma, non ſeparatur. Eſt igitur habitus, & abſolutio non omnis functionis, ſed optimè*

*ſe habentis, vt bona valetudo non omnis hominis habitus, & forma eſt, ſed benè valentis hominis, et ὡραιότης illa, id eſt, decor quidam, atq; ſplendor iuuenilis non omnem ætatem ſequitur, ſed ætatis florem, vel idem potius cum hoc flore ætatis cenſeri poteſt. Si igitur ſpectemus muneris functionem ſine voluptate reperiri poſſe, ſic voluptatem finem potius exorientem, quàm habitum planè inſitum ſtatuemus, ſin autem totum hoc, functionem muneris perfectam, & abſolutam ſumamus, voluptatem eſſe ipſius formam, & habitum non eſt negandum. Sed vt ſunt celeres, atquè repentini animorum motus, nunc mihi occurrit, quod à vobis etiam, atq; etiam animaduerti velim. Specie enim certè, ſi minus re ipſa, magnũ quiddã videtur eſſe. Ex perceptione illa rei obiectæ, quæ facultati percipienti quadam naturæ cõiunctione ſit accõmodata, atq; cõſentanea, expletio quædã ipſius facultatis exiſtit, quam fortaſſe voluptatem eſſe verisſimè ſtatuere poßimus. Ita perceptio, atquè cognitio rem obiectam ſpectabit, quæ comprehenditur, voluptas autem facultatem percipientem, quæ ex perfecta perceptione expletur, atquè perficitur, ſic aptißimè Ariſtotel. voluptatem finem exorientem appellare poterit, atquè hæc alia verba, quæ eodem decimo libr. leguntur, adiungere.* Verum muneris functio

nibus propinquiores, & coiunctiores ſunt eæ, quæ in eis inſunt voluptates, quàm appetitiones. Hæ enim diſtinctæ ſunt, & temporibus, & natura; illæ functionibus muneris ſunt proximæ, & cohærent; itaquè ſunt indiſtinctæ, & confuſæ, vt controuerſia ſit, an idem ſit muneris functio, quod voluptas. *Hoc inuentum ſi placet, ita voluptas optimè definietur, expletio facultatis percipientis, ob ei obiectæ expeditam perceptionem, quæ res cum facultate perſpicuam habeat cõuenientiam. Voluptas autẽ mentis à felicitatis notione diſtinguetur; quòd voluptas, vnius facultatis percipientis expletio à nobis intelligitur, felicitatis autem vocabulum hoc præterea ſignificat, in ea facultatis percipientis abſolutione, perfectioneq; naturæ, etiam ipſius humanæ perfectionem conſiſtere, præſertim ſi nonnulla alia, vt valetudo, et mediocris bonorum externorum copia, eodem acceſſerint. Augere autem, & amplificare dicitur muneris functionem voluptas, quoniam appetitus in id, quod ſenſum, voluntas in id, quod intelligentiam explet, maximè propendent. Nosque ad ea gerenda, quibus voluptas comparetur, impellunt. Atquè omninò quæque muneris functio, quò perfectior eſt, eò etiam diuturnior; vt qui acri oculorum acie præditus eſt, minus aſpiciendo defatigatur*

*ſquàm qui hebeti. Hinc etiam cauſa reddi poteſt, cur rerũ nouitate maximè delectemur. Senſus enim & mens nouitate illa excitata, cognoſcendiquè auida ſe ipſam quaſi exacuit, idcircoquè perfectius ſuo fungitur munere, & maiorem inde haurit voluptatem. Hæc igitur mihi de voluptatis natura in mentẽ venerunt, quæ vobis probata eſſe vehementer cupio. Quamobrem antequam ad ea, quæ ſequũtur, aggrediar, ſcire velim, ſi quid habeatis ad hæc. Tum Riccius. Quanta inquit, eſt vis veritatis, quamquè luce ſua omnes dubitationum nubeculas diſijcit. Nam mihi quidem tua definitio exorta, vt inquit ille, veluti ætherius Sol, totam voluptatis naturam videtur illuſtraſſe, maximèquè perſpicuam reddidiſſe. Idem iudicium ab his eruditiſſimis iuuenibus video fieri, qui orationem tuam non laude, quod iam vulgare commendationis genus eſt, ſed tacita admiratione ſunt proſequuti. Quamquàm fortaſſe non deeſſent ex iſtis, qui ſubtilitatis, & acuminis laudem ſedulò aucupantur, qui huic patefactæ veritati obſcuris quibuſdam argumentis tenebras offundere conarentur, ac vetere prouerbio nodum quærerent in ſcirpo. Vera narras, inquit Rugerius. Nam ego audiui aliquandò Clarum Philoſophũ, qui poſteriorẽ partem allatæ à Madio definitionis omninò falsã putabat; in qua parte*

*dicebatur proportione ſeruata inter rem obiectam, et facultatem percipientem, exiſtere, atq; oriri voluptatem. Obijciebat illud primum, proportionem & conuenientiam, vt ſecundo libro de anima docuit Auerroes, eſſe relationem quandam (ſic noſtri dicunt, M. Tullius in libr. de vniuerſitate comparationem videtur appellare) relatio autem apud Peripateticos nullam habet efficientiam. Qua igitur ratione voluptatis eſſe effectrix poterit? Secundo loco ſtatuebat, multa eſſe, quæ propè ſenſum poſita dolorem pariant, procul autem ſint voluptati: vt in odoribus cernitur, quorum plurimi propè nares poſiti moleſti ſunt, procul verò gratiſſimi: Multa item, quæ ſenſim accedentia ad ſenſum, delectent, curſim irruentia offendant, maximumq; inferant dolorem, vt ſi membris nimio frigore concretis ſuum repentè calorē reſtituere conemur, mirabiliter torqueamur, & excruciemur voluptatem percepturi, ſi ſenſim reſtitueremus. At eadem ſemper proportio facultatis cum re obiecta manere videtur, aut illa res propè ſit, aut longius, aut ſenſim accedat, aut cōfeſtim irruat. Ergo iſthæc proportio vera, & propria voluptatis cauſa non erat. Hæc ille, quæ & ſi ſpecie aliquid videntur, ego tamen re nihil eſſe opinor. Non iniuria, inquit Madius, Nam ſecundum quidem argumentum, vt illud priore loco reprehendamus, huiusmodi*

*iuſmodi eſt, vt qui illud tãquàm validũ, firmũq; afferunt, planè in Phyſicis plumbei eſſe videantur. Quẽadmodum enim haud paulò maior calor exempli cauſa ab igne, ſi propè ſit, ad sẽſum peruenit, quàm ſi procul poſitus eſſet, ſic etiam eandem non manere proportionẽ clarum, perſpicuumq; meo iudicio eſt. In primo autem argumẽto plus fortaſſe roboris, ac neruorũ eſt, quàm vt cõtemnere, minus certè, quàm vt pertimeſcere debeamus. Relatio inquit, nullam efficientiã habet, id verum eſt, at nos nudã, ſimplicemq; proportionem voluptatis eſſe cauſam non ponimus ſed rẽ ipſam obiectam, quæ ſua quadam vi facultatẽ iucunde afficiat, quam tamen vim proportio hæc, & conueniẽtia ſequitur, idcircoq; his vocibus ſignificari poteſt: quẽadmodum etiam à Patre filium generari dicimus non quòd relatione illa generetur, ſed quoniam pater adhibet quandam vim, & efficiẽtiam, quam relatio illa conſequitur. Sunt igitur hæc argumenta non intelligẽtis ſententiam noſtram, & facilè refelluntur. Definitione voluptatis cõſtituta, & multis, quæ illi officere videbantur, propulſatis, ad veſtram Ricci, & Flamini litem dirimendam accedamus. Tum Malegutius, Memini, inquit, cum verba illa Ariſtotelis modò exponeres, poſitũ à te eſſe voluptatem in ſentiendo, & intelligendo, non in appetendo conſiſtere. Quam tamen rem in magnã apud Peripateticos cadere quæ-*

*Rr*

ſtionem ſcio. Eam vellem, antea quã ad alia pergas, explicari. Plenis ſcilicet velis, inquit Madius, cum temerè è portu egreßi ſumus, eſt nauigandum. Veniat igitur in medium quæſtio iſta, habeat ne ſedem ſuam voluptas in ſenſu, an potius in appetitu, in mente, an voluntate. Ac primùm de ſenſu, & appetitu diſquiramus. Hoc enim probè cognito, facilè etiam de mente, & voluntate controuerſia ſedabitur. Qui igitur voluptatem ad appetitum potius, quã ſenſum pertinere putant, eoq; voluptatem vocant facultatis appetentis cum bono optato cõiunctionem, copulationemq; & mirificam quandam tranquillitatem (in quibus fortaſſe Lucretius fuit, qui dixit. Requies hominum, Diuûmq; voluptas) multis, validisq; agere argumentis poſſunt. Primùm ſi aduerſa ſub eodem genere collocantur, vt ſub colore nigredo, et candor, voluptas autem, & dolor aduerſa ſunt, certè ſi dolor eſt perpeßio, vt Ariſtoteles in Topicis inquit, voluptas quoq; perpeßio quædam erit. At perceptio ſenſus non eſt perpeſſio, ſed potius quedã functio muneris, & actio. Ergo voluptas in perceptione ſenſus nõ eſt collocanda. Dein de illud euenire quotidiè cernimus, vt ſi quis puellam perditè amet, deturq; ei forte fortuna illius manũ attrectare, incredibili dulcedine perfundatur, vbi verò ardor ille deferbuerit, ſi eandem manum tetigerit, nullã amplius, aut certè perexiguam ſentiat voluptatem. Id

*autem aliundè proficiſci nõ poteſt, quã quòd eadem cũ piditas, ac libido nõ manet, quãuis eadẽ ſit perceptio ſenſus. Appetitus igitur, non ſenſus magnæ illius voluptatis efficiens erat; quare in appetitu, nõ in ſenſu voluptas erit reponenda. Quid multa? Voluptas, et Dolor ſunt affectiones, vt oſtendemus, ergo ad appetitũ omninò pertinent. Nã vt aliâs declarauimus, affectio nihil aliud planè eſt, quã ipſemet appetitus ſeſe prodẽs, et erũpens in actum. Oſtendemus autẽ quod polliciti ſũmus ex ijs, quæ tertio lib: de morib: ſunt ab Ariſt. tradita. Statuit enĩ Fortitudinem in dolore cõprimendo, Temperantiã in cõpeſcenda voluptate conſiſtere, cum tamen eaſdem virtutes in affectionibus, tanquã in ſubiecta materia verſari antea apertè dixiſſet. Quãobrẽ omnes ferè veteres Peripatetici, & Platonici, vbiq; voluptatem, et dolorẽ maximè omniũ vehementes, præpotentesq; affectiones nuncupant: atq; omninò hæ maximè omniũ principia motus eſſe videntur (dolore enim, et voluptate incitati facilè huc, & illhuc impellimur) quod nõ ſenſus, ſed facultatis appetentis propriũ eſſe Ariſt. cenſuit. His igitur argumentis, qui putãt voluptatẽ in appetitu reſidere, ſatis tueri videbuntur ſententiam ſuã. Cõtrà qui voluptatẽ ad ſenſum referunt, multa, nec infirmiora afferunt argumenta. Primum ſtatuunt, quod multò veriſsimũ eſt, & à me initio huius diſputationis poſitũ, appetitum eſſe cõ-*

*motionem ſenſus ad rem, quã ſibi iucundam iudicat, proſequendã, vel moleſtam declinandam. Ex quo primo lib: Rhetoric: cupiditatem definiebat Ariſtoteles iucundi appetitionem. Hinc verò concludunt neceſſariò à ſenſu prius eſſe perceptam iucunditatem, vel moleſtiam, quã emergat appetitio. Ergo tùm voluptas, tùm dolor in ſenſu ſpectari debent, nõ in appetitu. Deindè cõmuni quodam ſenſu cõprobant. Vir tẽperans, ſi aliquando liberis det operam, multò maiorẽ ſentiet voluptatem, quàm intemperans, qui diuturno vſu voluptatis, illius ſibi ipſe ſenſum ademit. Quòd ſi in appetitu voluptas conſiſteret, cõtra eueniret. Temperans enim minimam ſentiret voluptatem, cuius appetitus iam eſt caſtigatus, & ad moderationem redactus. Intemperans maximam, qui vehementi libidine fertur incitatus. Idem in dolore reperias. Etenim cũ crudeliſſimi Tyranni iuſſu ferreis malleis Anaxarchus tunderetur, cum Zeno, cum Attilius Regulus, ingentibus cruciatibus torquerentur, nõ ne cenſes maximũ illos dolorem cœpiſſe? Non eſt dubitandum. Appetitus tamen virtutis robore confirmatus mediocriter cõmouebatur. Hinc præclaræ illæ voces ſunt auditæ. Clamabat Anaxarchus, tunde, tunde Anaxarchi vtrẽ, Anaxarchum non potes tundere. Attilius Thorio potante in roſa beatiorem ſe eſſe profitebatur. Zeno autẽ ſuis ipſe dentibus linguam ſibi abſcidit, ne quæ ſibi cre*

*dita erãt arcana, et occulta prodere cogeretur. Atqui vt idem onus cõtento corpore facillimè fertur, remiſſo opprimit, ſic idem dolor, eadem voluptas fortem, & temperatum virum mediocriter mouet, ignauum, & intemperantem rapit ſecum, atq; de ſtatu deijcit. Ad ſenſum igitur voluptas ſine dubio eſt referenda. Præterea verò dolorem, & voluptatem non modò inter affectiones eſſe recenſendas, non concedunt, ſed cõtrà afferunt locum Ariſtotelis, in quo perſpicuè illud videtur negare. Inquit enim ſecundo libr. de moribus dum affectionem ab habitu, & facultate ſeiungeret.* Affectiones autem voco cupiditatem, iram, excandeſcentiam, odium deſiderium, timorẽ, ſpem, inuidiam, gaudium, beneuolentiam, æmulationẽ, miſericordiam, ea deniquè omnia, quæ voluptas, vel dolor conſequitur. *Ergo ſi affectiones omnes voluptas, vel dolor conſequitur, nihil autem ſe ipſum conſequi dicimus, concludendum certè eſt voluptatem ab affectione plurimũ differe. Adde affectiones ab Ariſtot. animi motus appellari, cum tamen in decimo libro de moribus multis, firmiſquè rationibus concludat, voluptatem nullo pacto conuenire cum motu. Sed vt hæc diſſolui fortaſſe poſſint, verba certè illa, quæ ſuperius ex eodem dec. lib: attulimus, omnem tollere dubitationem videntur; Cum in illis affirmet voluptatẽ ab appetitione tùm na*

*tura, tùm tempore eſſe diſtinctã. Prius enim cupimus, deinde ſi cõſequamur, perfundimur voluptate. Per obſcura igitur quæſtio eſt, & magnæ, arduæq́ cognitionis indiget. Verũ nobis iam, quid ſtatuamus, conſultatione nihil eſt opus. Nam & in libris de anima ſententiam noſtrã exponere veriti nõ ſumus, cum de affectionibus agentes, voluptatẽ, & dolorẽ ab illis diſtin gueremus: et nunc in voluptatis definitione cõſtituenda, cũ ipſam perceptionem nuncuparemus, apertè in ſenſu collocauimus. Quod tamen ex ore ipſius Ariſt. ſi diligenter vndecimũ cap. i. lib. Rhetoricorum legeritis, mitti iudicabitis. Eorum igitur, qui aliter exiſtimant, argumẽta ſunt refellenda. Primũ autem illud intelligatur, cum appetitus maximè ſit cõiunctus, atq́ copulatus cũ ſenſu, vel potius, vt ſæpè diximus, reapſe non differant, in appetitu autem prima affectio inſit illa, qua in voluptatem propendet, abhorret autẽ à dolore, Hinc euenire, vt voluptas, et dolor nõ modò perceptionem ſenſus ſignificent, aut iucundã, aut moleſtã, ſed etiam ipſam appetitus propenſionem, vel cõtractionem. Id autem multis alijs in rebus euenire cernimus. Voluntas apud Ariſtotelem facultatem illam ſignificat, qua mens noſtra mouetur, ad bonum amplectendum, & euitandum malum. Significat tamen aliquando actionem etiam ipſius facultatis, qua quidem ferimur in finem (ſicq́ ab electione ſecernitur,*

*quæ in ijs potius verſatur, quæ conducunt ad finem) quoniã actio hæc facultati illi maximè cognata, atq; proxima eſt, proptereaq; eodem nomine appellatur. Intelligentia itidem facultatem animi ſignificat, qua intelligimus, & ſapimus, ſignificat etiam habitum, quo rerum principia, & cauſas cognoſcimus, quoniã hic habitus naturæ ipſius facultatis intelligentis maximè proprius eſt. Hæc ex tert. lib. de moribus, & ſexto ſunt accepta. Sic etiam in libris de anima facultatem illã animæ quã phantaſiam dicimus, cum muneris functione, dum illam Ariſtoteles definit, videtur confundere. Eadem igitur ratione voluptas, & dolor, vt dicebamus, non modò perceptionem vel iucundam, vel moleſtam ſenſus ſignificant, ſed etiam cõmotionem appetitus, qua voluptati, tãquã bono optato hæremus, & à dolore refugimus; quòd affectiones hæ perceptionem ſenſus ſtatim cõſequuntur, et ad ipſas, tanquam caput, & originem reliquæ omnes affectiones referuntur; Quanquã ſi proprijs vocibus vti velimus, amor potius, & odium, vt in libris de anima diximus, appellari debent. Amor enim propenſionem illam appetitus in rem iucundam, odium verò fugam, declinationemq; à re moleſta ſignificat. Sed ob cauſam expoſitam confunduntur. Hoc probè fixo, & ſtabilito, facilè, reprehenſorum vitia diluentur. Iam enim apparet, quo pacto voluptas & dolor affectiones, & principia*

*motus appellari queant. Significant enĩ propter quandam naturæ coniunctionem vim etiam appetentem, ad quam pertinent affectiones omnes, quæq́ principiũ eſt omnis motus. Ad illud autem, quod priore loco proponebatur, reſpondemus, primum exempli cauſa in Topicis dolorem nuncupari perpeſsionem. Deinde, vt verè dicatur, & ex Ariſtotelis ipſius ſententia, eodem pacto dolorem appellari poſſe perſpeſsionem aſſerimus, quo perceptionem, et cognitionem omnem. Nam in omni cognitione neceſſariò præit ipſa perpeſsio: niſi enim ſpecies rerum obiectarum reciperemus, et quaſi pateremur, nihil vnquam percipere poſſemus. Voluptatis autem illius, quam in manu puellæ amatæ tangenda maximam capimus, veriſsimam, vt arbitror, cauſam ex ijs, quæ iam diximus, afferemus. Amor enim, vt de nouitate dicebamus, ſenſum quaſi exacuit, efficitq́ vt in rem obiectam magis incumbat, & contentius agat, ſuoq́ munere perfectius fungatur, vt qui intentis oculis rem aliquam intuentur: quapropter nihil mirum ſi maior ad ipſum peruenit voluptas, quàm cum deferbuit ardor ille cupiditatis. Ratum igitur, firmumq́ ſit, voluptatem in ſenſu conſiſtere, non in appetitu: ex quo ſequitur etiam in nobiliſsima, & diuina animæ noſtræ parte, uoluptatem ad intelligentiam pertinere, non ad voluntatem. Idem enim iudicium, vt millies diximus, de appeti-*

*tu, &*

*tu, & voluntate, idem de ſenſu, & intelligentia eſt faciendum. Prius enim mens noſtra rem obiectam bonam, ſuæq; naturæ accommodatam, & iucundam percipiat omninò neceſſe eſt, quàm voluntas ad appetendum excitetur. Hac profligata, & ad exitum deducta queſtione exiſtit alia, quæ & ipſa, quando omnia, quæ ad hunc locum illuſtrandum faciunt, explicare aggreſſi ſumus, diligenter, accuratèq; tractari poſtulat. Duæ enim ſunt in mente, & intelligentia perceptiones, quarum Latini vnam rectam, alteram reflexam appellant. Primò namq; animus exempli cauſa dulcedinem percipit, quæ prima perceptio ex ipſius rei, quæ obiecta eſt, ſuauitate oriri videtur, & recta ab iſtis nominatur, deindè quaſi in ſe ipſe reuerſus dulcedinem ſe conſequutũ cogitat, iſtaq; cogitatio ab ijsdẽ vocatur reflexa. Cum igitur hæ duæ perceptiones, tùm perſpicuè in mente, & intelligentia reperiantur, tùm etiam, vt nonnulli exiſtimãt in ſenſu, in vtra potius ſit locanda voluptas cadit in queſtionem. Iſtud inquit Ruggerius, cupidè expectamus. Veſter, Madius inquit, nutus, fidem mihi faciebat. Alij igitur in priore, alij in poſteriore perceptione voluptatem poſuerunt; quorum controuerſiam cum vtrorumquè rationibus exponere, vt hic locus benè intelligatur, neceſſe eſt. Qui igitur in poſteriore ponunt, ſic argumentantur. Poſterior perceptio prioris acceſſio quædam,*

*& abſolutio videtur eſſe. Perfectiſsima autem, quæq; & abſolutiſsima voluptatem maximè parere rationi conſentaneum eſt. Ergo ad poſteriorem illam perceptionem voluptas maximè pertinebit. Quod ſpectans Epicurus beati vitam in conſpiciendis, totaquè mente contrectandis varijs voluptatibus poſitam eſſe affirmare non eſt veritus. Qui autem in priore perceptione ponunt, primùm putant Ariſtotelis ſententiam à ſe defendi, qui poſteriorem hanc perceptionem de voluptate tractans ne nutu quidem ſignificauit. Deindè iſtas duas perceptiones aiunt re non eſſe fortaſſe diuerſas, neq; id ab Ariſtotelis ſententia ſecundo lib. de anima explicata eſt alienũ: prǽterea vt diuerſæ ſint, non ad eandem fortaſſe facultatem ambas referri perceptiones. Dicebat enim Ariſt. in libello de ſomno, & vigilia quòd cernamus, non iudicare nos viſu, ſed alia quadam ſuperiore facultate. Cum igitur ſua etiam voluptas viſui, ſua tactui, et reliquis externis ſenſibus ſit aſsignãda, et in iſtis sẽſibus poſteriori perceptioni nihil ſit relictũ loci, ſequitur ut voluptas in priore, nõ in poſteriore perceptione conſiſtat. Cæterũ quoniã ſuprema ſaltem animæ noſtræ facultas, mens inquam, & intelligentia non modò res obiectas cognoſcit, ſed etiam percipit ſe cognoſcere, nequè ipſius etiam voluptatem in poſteriore perceptione concedunt, ſed in priore affirmant eſſe collocandam. Facultati enim nobiliſsimæ,*

*& præſtantiſſimæ præſtantiſſima res obiecta ſummam inter cæteras omnes voluptatem afferat, neceſſe eſt. At cum mens, vt exemplis res ſatis obſcura illuſtretur, Principem illum Deum conditorem, moderatoremquè huius vniuerſitatis contemplatur, quæ res obijci amplius poteſt, quæ dignitate, perfectioneq; Deum antecellat, aut æquet, aut proximè ad ipſum accedat? Maxima igitur omnium, quæ excogitari poſſint, voluptas in Dei contemplatione, & cognitione, quæ prior perceptio eſt, non in poſteriore ſentietur. Argumentum autem, quo altera opinione nitebatur facilè refellitur. Eſt enim poſterior perceptio quaſi quædam appendicula prioris. Quapropter vt idem ille Deus Opti. Max. ſi ſumma cum infimis conferrè fas eſt, ſe ipſum intelligendo ſuam ſatis obtinet perfectionem, nihilq; extrinſecus deſiderat, cognoſcit tamen & reliqua omnia, quæcunquè ſunt, fuerunt, futura ſunt, quaſi redundantia quadam cognitionis, & hæc à Theologis noſtris perfectio ſecundaria nuncupatur; ita mens noſtra res dignitate, & perfectione excellentes, ſuæquè facultati cognatas contemplando præcipua afficitur voluptate, ſecundo autem loco poſteriore etiam illa perceptione delectatur, quæ prioris, vt dicebamus eſt appendix. Hac expoſita Peripateticorum controuerſia, qnanquàm illa quidem non ſit eiuſmo-*

*di, ut alteri prorſus, nihil dicere putentur, nobis tamen ſententia illa, quam ſecundo loco explicauimus, multo verior, & firmioribus munita rationibus, decretisquè Ariſtotelicis magis conſentanea videtur. Eam igitur libentiſſimè ſequemur, & voluptatem in priore potiſſimum perceptione conſiſtere ſtatuemus. Hæc ad voluptatis definitionem, quam principiò attulimus illuſtrandam, confirmandamquè ſatis fortaſſe erunt. Nunc de dolore nonnulla dicamus, ut cui voluptati aduerſetur, intelligatur.*

*Senſus apud Peripateticos, quorum potisſimum ſententias adamamus, eſt quædam forma ex materiæ latebris eruta, atquè inſtrumento corporeo vtitur, quod ex elementorum temperatione conſtat. Poteſt autem temperamentum iſtud à re obiecta lædi, atquè diſſolui, vndè continuò dolor ortum ducit. Vt enim à re obiecta, quæ conuenientiam, naturæquè coniunctionem habet cum facultate percipiente, atquè ipſius temperamento, voluptas proficiſcitur, ita ſi res obiecta inſtrumenti temperamento aduerſetur, facultati etiam repugnabit, parietquè dolorem. Quapropter in quæſtione illa de cauſis doloris diù, multumquè à medicis tractata veriſſimè mihi Petrus Aponenſis ſenſiſſe videtur, diſcrepantiam ſtatuens, ſiue ut ipſe inquit, diſproportionem rei obie-*

*ctæ præcipuam eſſe cauſam doloris,quæ quidem diſcrepantia intemperiei nomine,niſi fallor, ab Auerroe appellata fuit,idcircoquè ab illius etiam ſententia non diſcedimus. Quod autem ad continui, ut omnes noſtri Medici vocant, ſolutionem attinet, equidem exiſtimo ab illa inferri dolorem,ut motus quidam eſt naturæ noſtræ maximè aduerſarius, atquè ab ea maximè diſcrepans,& à ſenſu hæc diſcrepantia percipitur,præterea etiam ratione rei extrinſecus obiectæ diuidentis,et diſſoluentis, quæ aut acuta eſt, aut dura, aut alijs de cauſis naturæ ſentientis facultatis,illiusquè inſtrumento aduerſatur. Mens autem,& intelligentia diuinitatis ſinè dubio particeps, & inſtrumento corporeo non affixà nihil ſuapte natura habet,quod illi repugnet,& omnes ſpecies recipere pariter poteſt, ex quo à rebus obiectis non læditur,nequè dolorem ſentit, niſi fortaſſe ex rei,quam cognoſcere aueret,ignoratione, et ita ex quadam priuatione,ut optimè à Platone in dialogo illo, qui Philebus inſcribitur, eſt explicatum. Habet tamen ex rebus,quæ intelligentia percipiuntur, vna maiorem conuenientiam cum ipſa mente,quàm altera,& ita maioris,minoriſquè voluptatis eſt efficiens.Nec verò ſequitur,ſi dolor non eſt in mente, nequè etiam maiorem, & minorem voluptatem eſſe poſſe. Non enim admiſtione con-*

*trarij omnia remittuntur, ſed ea tantum, quibus cōtraria altera ex parte reſpondent. Hinc commodiſſimè ratio reddi poteſt, cur inter reliquos ſenſus maximè omnium tactus dolorem percipiat, ita vt dolor propriè tactui conuenire videatur, ad cæteros ſenſus moleſtia potius quædam, quàm dolor pertineat. Tactus enim maximè corporeo vtitur inſtrumento, cuius quidem temperamentum facilè lædi, diſſoluiquè poteſt, proptereaquè dolori maximè eſt expoſitus. Reliquorum verò ſenſuum, cum puriore, & ſubtiliore conſiſtant inſtrumento, vix temperamentum peruerti poteſt, niſi vnà quoquè inſtrumentum tactus lædatur, & violetur. Quocirca Ariſtoteles definitionem illam Platonicam voluptatis perpendens, in qua dicebatur voluptatem ex indigentiæ expletione oriri, concedebat in guſtu, & tactu id verum eſſe, quorum inſtrumentum maximè craſſum, concretumquè eſt, facileque diffluit, ac dilabitur, idcircòquè refici poſtulant, & dum reficiuntur, maximam ſentiunt voluptatem. Reliquorum autem ſenſuum inſtrumenta non ita euaneſcunt, idcircòquè nulla expletione, & quaſi ſupplemento egentes ſunt tamen compotes voluptatis. Quamobrem dicebat finitionem illam non omnibus ſenſibus vſque quaquè conuenire. Quanquàm veritate perpendenti eadem vtriuſquè ſententia eſſe videbitur.*

*Duplex enim indigentia reperitur, altera rei alicuius, quæ amiſſa eſt, altera rei, quæ non eſt amiſſa, ſed acquiri tamen, & obtineri poteſt. Duplex item expletio, indigentiæ altera ex parte reſpondens. Priore notione accepta indigentia guſtui, & tactui potiſſimum conuenit, cum enim diſſoluuntur, amittunt aliquod, itaquè ſi reficiuntur, mirificam ſentiũt voluptatem. Poſteriore verò in reliquis etiam ſenſibus, locum habet. Et ſi enim nihil amiſerint, poſſunt tamen adhuc magis perfici, eamquè perfectionem dum conſequuntur, & expleri dici poſſunt, & re vera voluptate potiuntur. Hanc igitur putamus fuiſſe Platonis ſententiam in eodem dialogo de ſummo bono apertè explicatam, atquè Ariſtotelicæ omnino congruentem. Nam Ariſtoteles quoq; vndecimo capitu. primi libr. Rhetoricorum, cuius iam ſæpè mentionem fecimus diſcendo nos expleri, atquè ad naturalem ſtatum reuerti aſſeruit. Dolor igitur, vt ad propoſitum reuertamur, in tactu, & guſtu ſpectatus, in eorum contrariorum genere reponetur, quæ aduerſa à Mar. Tullio appellantur, exprimit enim aduerſam quandam naturam voluptati, ſicuti calor frigori, in intelligentia autem, & cæteris fortaſſe ſenſibus aut locum non habet, aut ſi habet, in priuantium potius genere ſtatuetur. Nunc voluptatis partitionem ab Ariſtotele alla-*

*tam exponere, niſi quid aliud mea vultis commodum erit, propoſitæquè tractationi maximè neceſſarium. Nihil malumus aliud, omnes ferè vna voce reſpondimus. Tum ille. Principio cum duplex in nobis perceptio ſit, vna intelligentiæ, et mētis, altera ſenſus, duplicē etiā voluptatē exiſtere neceſſe eſt, alteram, quæ ad ſenſum alterā quæ ad intelligentiā pertineat. De hac poſterius loquemur. Illam autem, quà ſenſus titillantur, & quaſi liquefiunt, in duo rurſus genera Ariſtoteles diſtribuit. Aut enim ex naturæ inſtinctu prouenit, aut contrà naturam exiſtit. Naturalem voluptatem eam vocat, quæ cum naturam reficiat, & recreet, ab omnibus, aut pluribus appetitur. Atquè huius rurſus voluptatis alia cunctis animantibus eſt communis, alia vni duntaxat ſpeciei propria, & accommodata. Nam quòd ex cibo, & potu, & rerum venerearum vſu, voluptas percipiatur, commune omnibus animantibus eſt. Quòd autem ſingulæ ſpecies, vt naturam habent à reliquis diuerſam, & diſpertitam, ſic certis quibuſdam, & naturæ ſuæ accommodatis rebus delectetur, in eo naturalis quidem, attamen non iam communis, ſed propria conſpicitur voluptas. Nam cum id volupe cuiquè videatur, quod ſuæ naturæ maximè eſt cognatum, & conſentaneum, certè diuerſas naturas diuerſæ voluptates conſequantur oportet.*

*oportet. Hinc dicebat Heraclitus certam, & quaſi propriam ſingulis animantibus cupiditatem, voluptatemq́ eſſe asſignatam. Hinc egregiè doctiſſimus, & ſuauisſimus Poeta Virgilius.*

*,, Torua leæna lupum ſequitur, lupus ipſe capellam*
*,, Florentem Cytiſum ſequitur laſciua capella*
*,, Te corydon ò Alexi, trahit ſua quenq́ voluptas.*

*Naturalis igitur voluptas ab Ariſtotele appellatur, quæ aut omnibus animantibus, aut vni ſaltem ſpeciei conuenit. Contrà naturam autem eas vocat quæ partim propter debilitationes corporũ, partim propter malæ conſuetudinis coruptelam, partim propter vitioſas naturas iucundæ ſunt, & expetuntur. Ex quibus immanes, & planè ferini habitus proficiſcũtur; qualis erat eius mulieris, quam dicunt grauidis mulieribus apertis, & perſectis pueros deuorare ſumma voluptate ſolitam; aut qualis agreſtium quorundam circà Pontum populorum; quorum alios crudis, alios humanis carnibus delectari ferũt, alios liberos ſuos inter ſe mutuas in epulas dare. Ferini igitur hi ſunt habitus. Alij propter morbos: & furores nonnullis innaſcuntur, qualis illius fuit, qui matrem immolauit, & comedit, & qui conſerui iecur. Alij ex diuturna conſuetudine oriuntur, vt pilorum euulſiones, & vnguium corro-*

*ſiones, carbonum quoquè, & terræ. Huiſmodi igitur habitus voluptates à natura abhorrentes pariunt. Hæ autem quamuis in hominibus ſæpius, & euidentius ſint, aliquandò tamen etiam in beſtijs conſpiciuntur: vt in cane, cum inuſitata rabie in homines inuadit. Poteſt autem voluptatis illius, qua ſenſus commouetur, alia afferri partitio. Quot enim ſenſus ſunt, tot etiam voluptatum genera exiſtunt. Senſus autem vel interni ſunt, vel externi. Externi omnibus notiſſimi. Interni autem duò præcipuè ſunt, ſenſus communis, qui inter res à ſenſibus externis ad ſe delatas iudicat, colcremquè à ſono, odorem à ſapore, & frigore differre percipit & φαντασία, quæ de rebus etiam abſentibus quandam cogitandi vim habet, et præterita recordatur His omnibus ſenſibus tùm internis, tùm externis propria, & ſua voluptas eſt attributa. Nam & ſenſibus externis perſpicuè ſunt quædam ex rebus obiectis maximè conſentaneæ, nec minus ſenſui cõmuni, qui quaſi fons exteriorum eſt, et rerum imagines ad ſe delatas perfectiſsimè iudicat. Iucundum etiam eſt præteritam voluptatem memoriâ repetere, & futuram cogitatione præcipere; quod alterius interni ſenſus eſſe proprium diximus. Cum igitur voluptas partim in ſenſu, partim in mente conſiſtat, Plato tamen illas tantum, qui-*

*bus perfuſi ſenſus mouentur, videtur voluptates appellare (quem ſequutus Marcus Tullius definiuit voluptatem iucundum motum in ſenſu) menti verò lætitiam, & gaudium tribuit, vt ex Marſilio Ficino in libro de voluptate ſententiam Platonis accuratè explicante intelligi poteſt. Ariſtoteles autẽ à voluptate gaudium non diſtinxit, eamquè menti etiam conuenire eſt arbitratus, quem nos in præſentia ſequimur. Quanquàm nonnullis in locis Platonem ipſe ſequi videtur, vt cum bonum diſtribuit in treis partes, quarum vna in honeſtate conſiſtit, altera in utilitate, tertia à voluptate ducitur. Qua quidem in partitione ſatis apparet, voluptatem eam tantum intelligi, quæ permulcet, & delinit ſenſum. Cum enim vtilitas à vegetabili animæ parte ducatur (vtile enim illud dicimus, quod ad ſalutem, & incolumitatem vel dandam, vel conſeruandam, vel reſtituendam etiam facit, incolumitas autem ad animam vegetabilem pertinet) honeſtas verò in mente locum obtineat ſuum; clarum, opinor, perſpicuumquè eſt voluptatem ad ſenſum duntaxat pertinere. Qua propter nunquam in Rhetoricis cum ab honeſto, tum ab vtili argumentari nos doceret, voluptatis mentionem fecit; quòd in iudicijs,*



Vt

*& in ſenatu, ubi uiri tantum graues conuenire putantur, uoluptatis cauſa faciundum aliquid, aut omittendum ſuadere, minimè decorum exiſtimaret. Præterea in libris de moribus cùm de uoluptate ageret, nominis huius hæreditatem ad uoluptates corporis ueniſſe confeſſus eſt, propterea quòd plerumquè iis ſeſe homines dedunt, & earum ſunt omnes participes, eaſquè ſolas pleriquè norunt. Exigua igitur controuerſia inter Platonem, & Ariſtotelem eſt; & licet, modò de re ipſa conueniat, ut inter illos, quantum ego poſſum iudicare, certè conuenit, huic uoluptatis uoci tùm ſolam commotionem ſuauem ſenſus ſubiicere, tùm etiam gaudium intelligentiæ & mentis. Nos in præſentia uoluptatem uniuersè accipimus, ut perceptionem iucundam & ſenſus, & intelligentiæ comprehendit.*

*Iam uerò quot, qualesq; ſint intelligentiæ uoluptates uideamus, qua quidem in re pertractanda ſcopulos præteruecta oratio liberius fluere iam poterit: & Siluio etiam erit accommodata. Sentio enim ea, quæ hactenus dicta ſunt, ſpinoſiora fuiſſe, quã uellem: Nimirum rei de qua agebatur, natura ita ferente. Ac primùm uoluptas illa occurrit, quæ uirtutis munera exequendo, iuſtè, inquam temperanter, fortiter agendo, familiã, atquè Remp. rectè adminiſtrando percipitur. Quo enĩ gaudio exultare*

*illũ credimus, qui videt in ſe naturæ ordinẽ nõ peruerti ſed mentẽ, quæ ad imperãdũ nata erat, principatum obtinere, appetitum verò rationi eſſe obediẽtem, non temerè ferri? non ſe auri cupiditate, non obſcœnarum voluptatum illecebris, quibus multi ita ducuntur, vt etiam inſaniant, à recto, & honeſto vnquam deflectere? inſtrui à ſe familiam ſuam ad omne officij munus? nullam in Repub: oriri ſeditionem, quam ipſe non comprimat, nullum impendere periculum, quod non auertat, prodeſſe deniquè ſe omnibus tanquam terreſtrem quendam Deum? Huic voluptati meo quidem iudicio maximæ illa altera ſtatim ſuccedit, honos & gloria. Rectè enim Simonides apud Xenophontem* neque ſanè ex humanis voluptatibus ulla proprius ad illam, qua Deus fruitur, accedere videtur, quàm hæc quæ de honoribus manat. *Neque vero honorem in iis tantum rebus pono, quæ iam leuia ſunt, & communia, vt ſalutari, appeti, decedi, aſſurgi, deduci reduci, ſed in amore potius hominum, & pietate. Quæ quidem pietas tanti ponderis eſt, vt aptius, & maius ipſa præmium virtuti tribui non poſſit. Et enim ſi magnum quiddam eſt, plurimam auri, & argenti vim, multa, & fructuoſa prædia obtinere, quarum quidem rerũ in hac vniuerſitate viliſſima conditio eſt; non ne,*

*obſecro, maius cenſeri debet poßidere animos hominum? qui natura diuini, & cœleſtes ſunt? Verum hæc in tuo Flamini libello de honore diligenter memini eſſe explicata. Quid verò de illo præſtantiſsimo voluptatis genere, quæ contemplando hauritur, dicendum eſt? Ea quidem eſt huiuſmodi, ut nihil ſimilius Deorum immortalium vitæ reperiri queat. Etenim cum in illis non doloris, non libidinis faces admoueantur, nulliquè incerti exiſtant caſus, profectò nec temperantiæ, nec fortitudini, nec mehercle prudentiæ relinquitur locus. Solum ſe ipſos intuentes, vitam uſquequaq; iucundiſsimam, ſummiſq; voluptatibus confertiſsimam degunt. Contemplatio igitur ſimplicibus illis, & puris mentibus nos ſimillimos reddit. Hæc autem ſimilitudo multis alijs argumentis apparet. Nam qui contemplationi deditus eſt, pauca ex rebus externis requirit. Ex quo Socrates, cum aliquandò perforum obambulans mercium copiam, quæ illhìc vendebantur, aſpiceret, ita ſecum loquutus fertur, quàm multis rebus ego non egeo. At qui negocijs ciuilibus eſt implicatus, virtutiſq; perfectæ omnia officia præſtare parat, diuitijs potens, opibus amplus, gloria, & autoritate clarus exiſtat oportet. Quis autem eam vitam, quæ paucioribus ad ſe tuendam eget, ad Deorum Immortalium maieſtatem, qui nullius indiget rei, propius*

*accedere non putet? Adde quod maximi ponderis eſt, contemplationem ad ſolam mentem pertinere mentemquè dum contemplamur, quaſi ſecum viuere, at cum virtutis officia exequitur, appetitum ſibi comitem, & corpus adiungere, & externum ferè quippiam ſibi pro fini proponere, vt victoriam, vt ciuium concordiam. Quemadmodum autem beatiores erimus, cum his corporis vinculis, & compagibus ſoluta mens erit, atquè omni cupiditatum tumultu liberata, ita quò magis in hac etiam vita à corpore nos ſeiungemus, mentemquè ipſam ſecum quaſi habitare faciemus, puriorem ſine dubio, ac veriorem felicitatem, voluptatemquè conſequemur. Ex his igitur ſatis conſtare arbitror, quantum dignitatis, voluptatis, beatitudinis inſit in contemplatione. Poſtrema mentis noſtræ voluptas eſt liberorum, vt platonicè loquar, procreatio. Omnium enim hominum pregnans, & ſeminibus grauidatum corpus eſſe, pregnantem etiam animum Plato dicebat. Si ad corpus quidem reſpicias, filij noſtri ſunt, quos ex mulierum congreſſu gignimus; ſi ad animum, quos virtutum, & ſcientiarum ſocietate generamus; vt leges, vt Rerumpubli. inſtitutiones, vt poemata, vt philoſophici libri, vt gloria nominis noſtri. Hæc enim omnia ad largiendam homini*

*immortalitatem facere videntur, quam ob cauſam liberorum procreatio eſt inſtituta. Quicunquè igitur corpore fæcundi ſunt, fœminas amant, & filiorum ortu immortalitatem, & felicitatem ſe aſſequi poſſe putant. Qui verò animum fæcundum obtinent, hi nullos recuſant labores, maximaquè ſubeunt pericula, quò virtutes, & ſcientias ſibi comparent, quarum fructus videre poßint, & reliquis hominibus impartire, àtquè ex hac re ſumma ad ipſos peruenit voluptas. Quapropter apud Xenophontium Prodicum virtutis Dea Venerem ita increpat.* Nec verò, quod acroama iucundiſsimum ad audiendum eſt, laudem tuam vnquam audis, aut pulcherrimum omnium ſpectaculum ad te vllo pacto pertinet. Nunquam enim pulchrum aliquod opus tuum aſpexiſti. *Cum igitur tot, tantæquè mentis noſtræ ſint voluptates, videamus nunc, an cum his illæ, quæ ad ſenſum pertinent, conferri queant. Nequè hoc loco pugnabo autoritate, aut probabilibus rationibus. Id enim cumulatiſsimè Riccius præſtitit. Ex voluptatis tantum natura, validiſsima, vt arbitror, argumenta eruam; quibus confirmetur, eam, quæ ad corpus pertinet, & permulcet ſenſus, voluptate mentis longè eſſe inferiorem. Illud autem teneatur, quod ſuperius*

*perius à nobis poſitum eſt, quò melius quæquè facultas eſt affecta, eò maiorem capere poſſe voluptatem. Nam maiorem cernendo voluptatem haurimus, ſi acrem, & acutam, quàm ſi hebetem oculorum aciem habeamus. Ergo ſi in vna, eademquè facultate cognoſcente, quò melius affecta eſt, & ad cognoſcendum acrior, eò maior emergit voluptas; profectò & inter diuerſas facultates, quò quæquè meliorem, & perfectiorem obtinebit ſtatum, eò maioris, & perfectioris voluptatis compotem fore exiſtimare debemus. At mens noſtra longè meliore loco, atquè conditione eſt, quàm reliquæ omnes animæ facultates. Eſt enim ſummum, quò artem numerandi imitata natura, ex rerum inanimarum formis, ex vita, ex ſenſu quaſi per gradus quoſdam peruenit; Mentis igitur voluptas mirandum in modum ſenſuum voluptati præſtare cenſenda eſt. Quòd ſi cui fortaſſe hæc argumentatio obſcurior videbitur, eſt enim ducta ex reconditiore Philoſophia, eam, quæ ſequitur, atquè ex ſenſu quodam communi deprompta priorem etiam explicat, attentè audiat. Proponamus nobis ex altera quidem parte vitam beatarum, & diuinarum mentium, ex altera verò brutorum animantium, cum voluptate planè, liquefiunt. Quam ex his iucundiorem, ſuauioremquè vitam cenſebimus? non ne infinitis propè partibus*

*cæleſtium animorum voluptatem excellere indicabimus? Quid ita? quoniam ſolutæ illæ, & liberæ mentes longè perfectiorem, ac præſtantiorem, quàm bruta animantia, ſunt ſortitæ naturam. Cogitemus enim, quàm velimus; aliam cauſam non reperiemus. Deinde illud etiam animis occurrat noſtris, ex ipſis diuinis mentibus, quò quæq; propius ad Principis illius Dei, qui hunc Mundum regit, naturam accedit, eò maiore frui voluptate, ac felicius viuere. Eadem ratione cum mens noſtra longè perfectioris naturæ ſit, quã ſenſus, multoquè propius abſit ab illo præſtantiſſimæ, & ſapientiſſimæ mentis numine; quis, niſi planè ſit excors, negare audeat, voluptatem etiam, quã mente percipimus, multò cognatiorem, ſimilioremq; diuinæ voluptati eſſe, quàm illam, quæ ad ſenſum pertinet? idcircoq; maiorem, præſtabiliorem, optabiliorem eſſe? Quapropter ſi qui obliti mentem habere, qua Deorum immortalium vim, & maieſtatem in terris referimus, non ad ipſorum Deorum vitam adhibent cogitationem, ſed beſtiarum potius vitam intuentes, & quoniam eas vident ſolo ſenſu voluptatem comprehendere, & ad eam ſummo cupiditatis ardore ferri, earum iudicio, quaſi auium augures, ſtandum ſibi putant, eandemquè ſibi conſectandam voluptatem, ij belluæ iam ſunt humana ſpecie, atquè figura. Huius-*

modi enim voluptas, vt Plato dicebat, quem verè Riccius Heroem noſtrum appellauit, quaſi clauum tenens, animum corpori affigit, atquè coniungit; efficitquè vt infectus corporea qualitate, & ſpecie ea putet eſſe vera bona, quæ corpus, & ſenſus ſuadeat, itaquè cum alienam induerit ſpeciem, ſuam miſer exuit multò nobiliorem, ac perfectiorem. Sed quoniam multi, qui nullam vnquam mente voluptatem perceperunt, ad hanc veritatis ipſius vocem obſurdeſcunt, ſemperquè voluptatem illam, quæ ex vſu rerum venerearum percipitur, opponunt, ſemper hanc vnam prædicant, & admirantur. Agè quàm iſti ſtultè ſummo ſe in errore verſari non intelligant, expendamus. Fingant enim iſti, ſi modò animi aciem ad vllam præclaram cogitationem poſſunt intendere, hominem eſſe, qui oculis diu fuerit captus, atquè idem eodem planè temporis puncto quantumuis pulchra muliere potiatur, & præſtantis alicuius medici ope vſuram lucis acquirat. Tum verò non ne apertè ſentiunt multò maiorem ex mulieris aſpectu, quàm ex corporum congreſſione ad illum peruenturam eſſe voluptatem? Quid ergo tàm multos in errorem inducit? Primùm in omnibus fermè rebus copia vilitatem, vilitas ſatietatem, & contemptum parere ſolet.

*turæ inſtinctu dolorem cupidiſsimè fugiamus, voluptas autem ad tactum pertinens medicinam dolori afferat, et præterea cum contraria ſi propinqua ſint, magis eluceant, voluptas autem huiuſmodi non modò ſit propinqua dolori, ſed planè adiuncta, atquè annexa, nihil mirum ſi maior, atquè optabilior cernendi voluptate appareat. Quòd ſi vtriuſquè vis, & natura ſpectetur, longè ſecus rem ſe habere, vt ſatis oſtendimus, cenſendum eſt. Atquè hoc loco illud ex Platone animaduertatur, hoc, quod dicimus maius, duplicem habere in qualitatibus notionem. Aliquandò enim maius album, exempli cauſa, illud appellamus, quod maius occupat ſpatium, ac mole ipſa excedit, vt ſi diceremus parietem dealbatum eſſe maius album, quàm tantulam niuem. Aliquandò autem quod ui ipſius candoris præſtat, & ab alterius coloris admiſtione purius eſt, qua notione portionem niuis, quamuis exiguam, maius eſſe album dicemus. Sic in re propoſita nõnunquàm maiorem voluptatem in tactu, & corporum congreſsione eſſe dicimus, quoniam hæc voluptas quaſi mole quadam reliquas excedit. Occupant enim vniuerſum hominem, et concutit. Aliquandò autem viſu, & auditu maiorem percipi voluptatem aſſerimus, quoniam hæc verior, purior, integrior, quàm illa, voluptas eſt. Deſinamus igitur huiuſ-*

*videretur, obſecro, te inquit Maleguttius, vt antequã ad alia accedas, cauſã afferas, cur ſi mentis volupta tes ſunt maximæ, omnes tamẽ ſenſuũ ferè volupta-tes auidius ſequamur. Cauſa, inquit Madius ſatis in promptu eſt. Primùm ratio, & mens primis tem poribus ætatis non expergiſcitur, ſed ſenſu vtimur, idcircóq; eam tantùm percipimus voluptatem, quæ ſenſibus coniũcta eſt, quam cùm pleriq; non probè educati, atq; inſtituti cohibere, et frænare non diſcãt, mirandum non eſt, ſi tantas vires ſumat, vt adul-ta etiam ætate, et exorto rationis lumine, ipſa tamẽ adhuc ſibi vendicet principatum. Deinde ad hanc rẽ illud quoq; plurimũ facit, quòd ſenſus ſuas obeunt actiones abſq; labore, diſciplinæ, et exercitationis non indigentes. Neq; enim cernere, audire, tangere, vllus vnquã didicit, ſed ſimulatq; in lucem editi ſumus, niſi vis aliqua naturalem corporis noſtri ſtatũ per-turbet, iſtis facillimè, cõmodiſſimèq; fungimur mune ribus. Quapropter voluptates etiã, quæ ad ſenſus per tinent, vltrò ſeſe nobis offerũt, atq; dant. Mens autẽ, niſi diligẽter excolatur, niſi magiſtra vitæ Philoſo-phia acceſſerit, aut nihil aget, aut perperã aget. Vt igi tur rectè agat, rectèq; agẽdo capiat voluptatẽ, multi prius labores nobis ſubſtinẽdi ſunt, ſæpè frigus, ſæpè æſtus eſt perferendus. Ex quo doctiſſimus Poeta Horatius, quẽ Riccius etiam hodie laudauit, dixit.*

„ *Qui cupit optatam curſu contingere metam*
„ *Multa tulit, fecitquè puer, ſudauit, & alſit.*

*Ariſtoteles autem ſtudiorum radices amaras eſſe, quàmuis fructus ſint dulciſſimi, dicere ſolitus erat. Quoniam igitur pleraquè pars hominum in ea feruntur, quæ ſine moleſtia comparantur, propterea ſenſuum voluptatibus multò plures, quàm mentis, & intelligentiæ addictos videmus. Præclarè enim Terentius.*

*Omnes homines à labore procliues ad libidinem.*

*Iam, inquam ego, propè eſſe illud tempus ſpero, cum noſtram litem dirimes. Niſi enim fallor, ipſa rerũ ſeries, atquè connexio eò te trahit. Non falleris inquit. In manus igitur ſumamus, atquè excutiamus argumenta tua, & videamus diligenter, ſint ne demonſtrationes neceſſariæ, an probabiles tantummodò. Non moleſtè enim, opinor, feres rationes meas cum tuis rationibus contendere, atquè aliquas ex tuis, tanquàm inanes concidere, & confutari. Primum illud abs te allatum argumentum fuit (nam & numerum, & ordinem argumentorum tuorum, operam dedi, vt memoria retinerem) cum felicitatis notioni ſit ita adiuncta voluptas, vt neq; etiam cogitatione ab ea auelli queat, inter ea, quæ maxima bona ſunt, eſſe connumerandam voluptatem. Si de illo præſtantiſſimo voluptatis genere,*

quæ

*quæ ex rectè factis, aut ex contemplatione percipitur, intelligas, ad ſententiam tuam licet adſcribas quoq; iudicium meum. Neque Riccium puto contrà dicturum. Sin ad ſummam felicitatis omnes debere accedere voluptates exiſtimas, tota, vt aiunt erras via. Nihil enim felicitas admittere poteſt, ne à ſe ipſa diſſentiat, quod virtuti repugnet. Multæ autem voluptates acerrimæ virtutis aduerſariæ reperiuntur. Minimè tamen contemnenda eſt ratio illa, qua vt omnem voluptatem bonam eſſe probares, ſecundo loco vtebaris. Ita enim dixiſti, cum contrariorum contraria ſoleant eſſe conſequentia, dolor autem omnis, ſed etiam labor malus ſit, ac naturæ repugnans, certè voluptatem omnem bonam, naturæque amicam eſſe oportere. Id hoc pacto conuenienter ijs, quæ ab Ariſtotele ſcribuntur, diſſoluetur. Voluptas omnis ſuapte natura bona eſt, eſt enim perfecta, abſolutaq; muneris functio, ſed euentu quodam fit mala. Quod hoc pacto oſtendemus. Voluptatum altera alteri non mediocri eſt impedimento. Ea enim eſt animæ noſtræ partium inter ſe naturæ coniunctio, & quaſi conſenſus, vt cum vna attentius in ſuum incumbit officium, reliquæ à ſuis vacent, & quaſi ferias agant. Apparet iſtud apertiſsimè in ſenſibus. Etenim ſi ex pulchræ mulieris aſpectu magna ad animum noſtrum affluat,*

*& illabatur voluptas. Cytharedum eodem temporis momento ſcitiſſimè canentem non ferè audimus. Item qui fabulam ſpectant, quamuis fame, & ſiti laborent, tamen dum nobiles recitant hyſtriones, nec famem, nec ſitim ſentiunt. Eadem inter ſenſum, & mentem ratio eſt. Nam ſi mentem tanquàm arcum intentum habeamus, & in maximarum rerum contemplatione ſimus occupati, in corpore ſenſum adeſſe vix credas, ut de Socrate, et Archimede ferunt. Rurſus cum cupiditatis ardore incitamur, cum doloris admouentur faces, cum iracundia efferimur, tunc menti incredibiles offunduntur tenebræ, vt nullum planè extet ipſius lumē. Non modò enim præclarū quiſdiam cogitare, ſed ne cogitare quidē omninò poſſumus: ita dominãte cupiditate obcæcatur ratio, atq; extinguitur. Ex quo dicebat Ariſtoteles vnius facultatis voluptatē ab alienis voluptatibus æquè tolli, atq; à proprijs doloribus. Quamobrem, ſi ſenſus magnis voluptatibus titillentur, mentem perturbari, atq; à ſuis muneribus vacare planè neceſſe eſt. Ergo voluptates iſtæ, ſi cum facultatibus illis, quarum propriæ ſunt voluptates, cõferantur, omnes ſuapte natura bonæ ſunt, & expetendæ; euentu autem quodam malæ redduntur, ſi adeò ſint vehementes, vt mentem impediant, atquè perturbent. Magis enim immodera*

*tæ ſunt, quàm natura non dico ſentientis animæ, ſed ipſius hominis poſtulet, proptereaquè falſæ voluptates appellantur, non ſentientem animam ſpectãdo, ſed naturam hominis, à qua ſunt diſcrepantes, et alienæ, cum tamen voluptatẽ ex cõuenientia, nõ ex diſcrepantia oriri poſuerimus. Ergo ne uoluptates quidẽ appellari queunt. Quòd autẽ voluptas aliqua euẽtu quodã reddatur mala, abſurdũ nõ eſt; cũ aliquis dolor ſimiliter bonus reddi poſſit. Dolores enim illi, qui honeſtatis, virtutisquè colendæ cauſa ſubſtinentur, homini boni ſunt, et expetendi quamuis facultatem illam animæ ſentientis, ad quam propriè pertinent, lædant mirificè, & offendant. Hac eadem ratione tertium argumentum reprehenditur. Senſus enim vtiliter nobis à natura tributus eſt, atquè eiusdem ſenſus appetitiones; nequè id nos negamus, qui aliquas etiam ſenſu capi volupta tes æquum exiſtimamus. Sed illud apprimè curandum eſt, vt intrà modum. Periculum enim magnum eſt, nè nimiæ ſenſus voluptates mentem obruant, atquè extinguant. Quartum verò argumentum, vt Siluius dixit, veriſſimum, atquè firmiſſimum eſt, quod vnum, vt arbitror, ex animo protuliſti. Reliqua autem diſputationis potius cauſa, atquè vt me refellentem audires, voluptas profectò iſta, quæ virtutis, ac ſapientiæ comes eſt, à*

*me etiam maximis laudibus eſt affecta, neque tamen aut ego, aut tu ſatis dignè illam laudare potuimus. Nulla enim vel eloquentiſſimi hominis oratio rei ipſius magnitudini unquam reſpondebit. Quòd ſi Riccius in voluptatem acerbiſſimè inuectus eſt, eam ſe intelligi voluiſſe confitebitur, quam vnam vulgus noſcit, ac nominat voluptatem. Ea enim, præſertim ſi modum excedat, omninò eſt reprehendenda. Quæ nam eſſet vis, & natura voluptatis definitione, vt mihi quidem videtur, decretis Ariſtotelis conſentanea, congruenteq́; aperuimus. Deindè in ſenſu, & intelligentia conſiſtere declarauimus, atquè in ipſius intelligentiæ priore, quam noſtri rectam nominant, perceptione, nō in poſteriore, quã idem reflexam vocant. Tùm verò voluptatis partitionem attulimus, quotq́; & quantæ mentis eſſent voluptates, quot item animæ ſentientis oſtendimus. Poſtremò partes has voluptatis inter ſe comparantes, atquè conferentes, illas, quæ ad mentem pertinent, veræquè, & germanæ hominis voluptates ſunt, potiſſimum autem illam, quæ ex rerum maximarum contemplatione percipitur, cæteris omnibus mirandum in modum excellere iudicauimus. Quam ob rem omnia ferè, quæ ad hunc locum illuſtrandum faciebant, ſatis iam videntur expoſita. Exoriuntur autem in homine voluptate accepta,*

*hauſtaquè ſenſibus, aut intelligentia, innumerabiles affectiones, Amor, Deſiderium, Spes, Elatio, & quaſi exaggeratio quædam animi, & quædam etiam in ipſo corpore intimæ illius dulcedinis veſtigia imprimuntur. Quaſi enim liquefieri videtur corpus, atquè omninò mirabiliter commouetur, & concitatur. In puris autem illis, & ſolutis mentibus ex ijs, quæ ad animam appetentem pertinent, ſoli amori relictus eſt locus. Cum enim duplex finis inueniatur, vt Ariſtoteles inquit duodecimo libro Theologiæ (quamuis locus ille à nemine ſit ſatis explicatus) alter qui non eſt, vt ægroti finis eſt bona valetudo, quæ adhuc non exiſtit, alter qui eſt, vt Principem illum Deum ſibi ipſi, & cæteris beatis mentibus præſentem ſemper eſſe finem dicimus; ad finem qui non eſt: deſiderium, ad eum autem qui eſt, amor pertinet. Quapropter feliciſſima mentium illarum vita cenſenda eſt, cum maximas, & puriſſimas capiant volupta ptes, ſemperquè ſuo fini hæreant, & ſint copulatæ; ſumma quidem illa, & præſtantiſſima ſuum in ſe finem, omnemquè perfectionem incluſam gerens; reliquæ autem primæ tanquam formæ vndequaq; perficienti perpetuò coniunctæ.*

*Hæc habui, quæ ita de improuiſo dicerem. Aliâs fortaſſe totam hanc rem accuratius, atquè cumulatius*

*perſequemur. Nunc tempus eſt, ut cœnatũ eamus: ſi modò Riccio, ac Flaminio expleui animum, atq; huic meæ ſententiæ ſtandum ſibi putant. Ego verò, inquit Riccius, nihil verius, aut ſapientius dici potuiſſe affirmo. Optimè, inquam, inter nos conuenit. Nam, vt ſemper Philoſophos omnes, ita in hac diſputatione te ipſum mihi ſuperare viſus es. Quapropter tentare ſtatui, an ea, quæ hodiè dicta ſunt, in commentarium referre poſsim. Aueo enim illa multis, amicis meis communicare, & præſertim Io. Baptiſtæ Seriuſtio, Ptolomeo Porticio, Io. Baptiſtæ Minutolio honeſtiſsimis Adoleſcentibus, quorum ſingulari eruditione ac probitate, magnum decus ad patriam meã eſſe acceſſurum confido. Ac ſi proceſſerit, mittam etiã ad Lelium Taurellium, et Philippũ Meliorium, hunc prudentia, eruditione, grauitate ſumma comitate, & iucunditate condita admirabilem, illum eximia iuris ciuilis ſcientia, maximarũ rerum cognitione, ſapientia, probitate probatiſsimis ex omni antiquitate viris conferendum. Quæ cum dicta eſſent, & omnes me ad id, quod pollicitus eram, præſtandum cohortarentur, ſurreximus, ac paulo poſt lauti accubuimus. Quod quidem conuiuium, cum Madij ſermo, tanquam optimum condimentum accederet, huiuſmodi fuit, vt ſatis ſciam celebres illas Platonis cœnas, neque in præ-*

*ſens, nequè in poſterum tempus iucundiores, ac magis ſalutares fuiſſe.*

*F I N I S.*

## REGISTRVM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z. Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii α β γ δ ε ζ η Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vu Xx.

Omnes ſunt quaterni præter I i qui ſunt ſeni.

*Lucæ Apud Vincentium Busdragum Anno. M D L X I I I.*

# FLAMINII NOBILII DE HONORE.

*AD FRANCISCVM MEDICEM FLORENTINORVM, ET SENENSIVM PRINCIPEM.*

LIBER.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

# LIBRI CAPITA.

Quot res, honoris vocabulo ſignificentur; quæquè maximè propria notio ſit. Cap. i.
De. M. Tullii, & Ariſtotelis definitione Cap. ii.
De Platonis definitione. Cap. iii
De Partibus Honoris. Cap. iiii.
An Magiſtratus ſit Honoris pars: ſintquè omnes honoris partes eiusdem ponderis. Cap. v.
De Beneficentia, vnde honos manat. Cap. vi
Quæſtionis cuiuſdam, quæ ex dictis exoriebatur, explicatio. Cap. vii.
Cur honore afficiatur excellens alicuius rei præſtantia. Cap. viii.
Quid ſit fama, laus, gloria, enco mium, ευδαιμονισμος, multiquè Ariſtotelis loci illuſtrati. Cap. ix.
De cauſis, quamobrem honos expetatur. Cap. x.
Quatenus ſit omnium hominum beneuolentia æſtimanda. Cap. xi.
Vtrum ſit maius bonum, virtus, an honos; honorare, an honorari. Cap. xii.
In quo decem ſummorum generum ſit honos, vtrum ſit bonum honeſtum, quomodo magnanimitati tanquam materies ſubiiciatur. Cap. xiii.
Proponatur nè honos generi demonſtratiuo, an deliberatiuo. Cap. xiiii.
Quomodo adipiſcamur, & perdamus honorem: Cap. xv.
De iniuriis, quæ nobis inferuntur, an dedecore nos afficiant. Cap. xvi.

# FLAMINII NOBILII DE HONORE, AD FRANCISCVM MEDICEM FLORENTINORVM ET SENENSIVM PRINCIPEM LIBER.

VTINAM Clariſſime Princeps, vt amplum ac diuinum bonum ſuapte natura honos eſt, ita vnicam haberet ſpeciem, eamquè inſignem, vt nulla res illius naturā fallaciter imitando poſſet adulterare. Præclarè omninò nobiſcum ageretur. Intelligentes enim germanum honorem virtutis eſſe præmium, atquè ad eum malis artibus perueniri non poſſe, virtutem ſummo ſtudio ſequeremur, & coleremus. Nunc cum omnes ferè homines, illiquè præcipuè, qui maiore, atquè altiore animo ſunt affecti, incredibili honoris auiditate teneantur, quamuis ex his aliqui virtute omni præcellentes humano generi quaſi Dij quidam mortales mirabiliter proſint, multi tamen falſa honoris ſpecie decepti, & multis vitijs, ſceleribusquè inquinati ingentes inuehunt calamitates. Atqui idem fermè

*hac in re vſu venire cernitur, quod in Deorum Immortalium cultu. Nam cum gentes, et nationes omnes, hanc in animis inſitam Deorum præceptionem habeant, vt ob præſtantem ipſorum naturam, atque innumerabilia beneficia, quæ nobis tribuunt, ſumma pietate colendos exiſtiment; multæ tamen omnibus temporibus extiterunt, quæ peruerſis, impijsquè religionibus obſtrictæ in eorum potius offenſionem, atque odium incurrere, quàm eos ſibi propitios, ac beneuolos reddere iudicandæ eſſent. Hanc accuſandæ religionis oblatam occaſionē doctiſsimus, et ſuauiſsimus poeta Lucretius nō remiſit, auſusque eſt exclamare.*

*„ Tantum religio potuit ſuadere malorum.*

*Quamquam ille ob eam cauſam à veritate longiſsimè diſceſsit, quòd ex falſa religione de vera iudicium fecit; nec quot, quantaque bona ex vera proficiſcantur, animaduertit. Sic cum nullus ſit, qui hanc honoris anticipationem, prænotionemque non habeat, ipſum ex rebus eſſe maximè expetendis, ipſique diligentiſsimè ſeruiendum; nihilominus plurimi nimia illius cupiditate elati ea facinora, ea ſcelera committunt, vt veri honoris ne vmbram quidem vnquam vidiſſe ſunt exiſtimandi. Quapropter nullam maiorem peſtem in Rebus publicis, ac liberis Ciuitatibus eſſe, quàm inter ſummos viros honoris, gloriæquè certamen, & ex hiſtorijs didicimus, & ſæpè vidi-*

*mus. Nec verò alia res vlla inter ſanguine cõiunctos crudelia diſſidia æquè parit, ſanctiſſimeq́, vt Scipio dicebat, inſtitutas amicitias dirimit, atquè honoris contentio. Noſtris autem temporibus, vt reliqua detrimenta, quæ à germani honoris ignoratione proficiſcuntur, omittam, vniuerſos ferè chriſtiaanos populos hæc opinio oppleuit, ſi quis eum, à quo vel leuiſſima iniuria ſe affectum putet, aut in ſingulare certamen non vocet, aut maiore aliqua iniuria nõ afficiat, omnem illius eſſe violatam exiſtimationem; cum interea ratio clamet nihil deteſtabilius, nihil ferarum naturæ ſimilius, nihil virtuti, et honori magis aduerſarium iſta conſuetudine reperiri poſſe. Verum nullum fuit vnquã tempus, cum homines non multis cæcarentur erroribus, et vniuerſæ etiã nationes à vero longiſſimè abhorrentes opiniones non imbiberent. Cuius penè fatalis calamitatis cauſa, vt in aliud tempus inueſtiganda differatur, illud in præſenti dicam, vobis, qui ampliſſima poteſtate, & imperio præditi eſtis, hos hominum errores aditum dare ad immortalitatem. Non enim alijs gradibus veteres illos Saturnum, Mercurium, Orpheum in cælum aſcendiſſe credendum eſt, nequè alijs de cauſis ad religionem, & memoriam eſſe conſecratos, quàm quòd homines, qui in ſummis erroribus, & maximarum rerum ignoratione*

*verſabantur, docere, ac monere aßiduè non deſtiterunt, vt à perpetua conſuetudine vim ſibi mutuò inferendi conuerſi ad mitem, manſuetam, humanitatis, & officij plenam traducerentur vitæ rationem. Hanc rectißimam laudandarum actionum viam omnibus rebus præcellentißimus pater tuus ingreſſus, æquißimis ſemper legibus populos ſuos texit, ad omne virtutis munus inſtituit, diſciplinarum liberalium ſtudia, à quibus omnia fermè in homines bona proficiſcuntur, aut hominum improbitate, aut fortunæ vi nobis iampridem erepta reſtituit; atquè illum imprimis, de quo modò loquebar, peruerſum morem ſi minus ſuſtulit (inueterata enim non primo quoquè tempore deleri queunt) at certè magna ex parte correxit. In quo quidem ſatis perſpici potuit, quod à veteribus eſt dictum, ſuæ quemquè fortunæ ſibi fabrum eſſe. Nam cum ſe in omni vita dignum præſtitiſſet, in quem Dij poteſtatem omnem ſuam oſtenderent, ea proſperitas conſequuta eſt, vt aucto optimis artibus imperio, deuictis, aut ad ſuas partes traductis hoſtibus, liberis dignitate formæ, ingenij magnitudine, optimarum diſciplinarum cognitione, morum probitate ſua etiam ipſius vota exuperantibus, nihil illi ad ſummam, perfectamquè felicitatem, atquè ad immortalem penè conditionem deeſſe videatur. Eodem verè*

*laudis, ſolidæquè gloriæ itinere quin tu domeſticis exemplis incitatus, et paternis monitis confirmatus proficiſcaris, quin omnia, quæ ad benè, beatequè viuendum pertinent, non ſolum tibi, ſed etiam tuis compares, quin te tua facta commendent memoriæ hominum ſempiternæ, vel in cælo potius collocent, dubitari non poteſt. Quamobrem cum librum de honore ab Ariſtotelis, & Platonis veſtigijs non diſcedens conſcripſiſſem (etenim ne in re, quæ tantum momenti haberet ad vitam honeſtè agendam, tam turpiter laberemur, multa à præclariſſimis illis philoſophis, ac de hominum ſocietate diuinè meritis de verò honore, veraquè illius conſequendi ratione ſunt tradita) neminem habui, in cuius nomine apparere mallem, quàm in tuo, qui & ex ea familia natus es, in qua ſemper ſolida gloria ſtabile domicilium habuit, & ipſe poſteris tuis clariſſimum virtutis tuæ lumen principia ſeſe dant, es prælaturus. Fore enim putabam, vt bonam aliquam de me opinionem hominibus afferrem, ſi in eo deligendo, cui libri inſcriptio optimè cõueniret, me non errare oſtendiſſem. Huc acceſſit mea quædam ſingularis in te obſeruantia, atquè cultus ex eo tempore ſuſceptus, cum meæ in Philoſophorum, & Medicorum collegium cooptationi vnà cum Auunculo tuo Hiſpaniæ lumine, atquè ornamento, huma-*

*niſſimè interfuiſti, meamquè tibi dignitatem vehementer cordi eſſe declaraſti. Ex illo die me totum addixi tibi, tuiquè vnius eſſe decreui, quidquid in hac vita præſtare poſſem. Accipe igitur hunc libellum mei in te ſtudij teſtimonium, leuius illud quidem, quàm vellem, ſed teſtimonium tamen. Quem ſi tibi aliqua ex parte probari intellexero, non modò ſummum mihi honorem, ſed etiam immortalitatem quamdam videbor conſequutus.*

Cap. i *VT autem ratione ſuſcepta hæc tractatio videatur, hunc ordinem commodiſſimum iudicauimus, vt primum quot huius vocis notiones ſint, exponamus, & maximè propriam in manus ſumentes, atquè excutientes, definitionem ab Ariſtotele allatam illuſtremus; deindè ſimiles etiam huic, & affines voces, vt fama, laus, gloria, quid ſignificent, aperiamus; tùm quod, qualequè bonum honos ſit, & propter quas cauſas expetendus, oſtendamus; poſtremò quomodo conſeruetur, perdatur, recuperetur, explicemus. Maximam autem curam in definitione conſtituenda adhibere debemus. Ea enim vis definitionis eſt, vt omnes quæſtiones ſoluat, & ad exitum perducat. Honoris vocabulum illud primò ſignificaſſe crediderim, quod alio nomine exiſtimationem ſolemus appellare. Quo ſenſu, agi honorem Populi Romani, nobiſquè honorem noſtrum*

*vehementer*

*Vehementer charum eſſe dicimus. Deinde quoniã*
*ab exiſtimatione multa proficiſcuntur, qualia*
*illa ſunt, deducere, reducere, aſſurgere, caput aperire,*
*ſtatuam ponere, factum eſt, vt hæc etiam exiſtima*
*tionis indicia honoris voci ſubijcerentur. Statuit*
*autem Plutarchus in Politicis amorem, atque chari*
*tatem hominum, verum, ac germanum honorem*
*eſſe. Quòd principi illi oratorum M. Tullio ſummo-*
,, *perè video placuiſſe, qui in Seſtiana ita inquit. Hæc*
,, *eſt vna via, mihi credite, & laudis, & dignitatis*
,, *& honoris, à bonis viris, ſapientibus, benè, & natu*
,, *ra conſtitutis laudari, & diligi. Idem prima Phi*
*lippica, cum abſentem Antonium compellaret, de*
*gloria affirmauit, quã ab honore non differre infrà*
,, *oſtendemus. Illud magis vereor, ne ignorans verum*
,, *iter gloriæ, glorioſum putes plus te vnum poſſe, quàm*
,, *multos, & metui à tuis ciuibus, quàm diligi malis.*
,, *Quòd ſi ita putas, totam ignoras viam gloriæ. Cha-*
,, *rum eſſe ciuibus, benè de Repub. mereri, laudari, coli,*
,, *diligi glorioſum eſt, metui verò, & in odio eſſe, inui-*
,, *dioſum, deteſtabile, imbecillum, caducũ. Hanc rem*
*accuratè Vincentius Madius præceptor meus cum*
*ſcientiæ copia, tum vitæ probitate omnium noſtræ*
*memoriæ Philoſophorum meo iudicio princeps in ora-*
*tione de cognitionis præſtantia explicauit, cuius ver*
*ba afferre neque inutile, neque ſuperuacuum duxi.*

» *Honos, inquit, pro vero aliquando capitur honore,*
» *aliquando autem pro rebus illis, quibus veluti ſignis*
» *uti ſolemus, cum eam, qua ampliſſimos aliquos vi*
» *ros colimus, obſeruantiam monſtrare volumus, quo*
» *de genere hæc ſunt, aſſurgere, ſtatuam alicui ob rectè*
» *facta erigere, genibus obuolui, & huiuſmodi alia,*
» *quibus eo quo decet modo maiores noſtros venera-*
» *mur, & colimus. Ac verus honos, qui eſt virtu*
» *tis præmium, nihil aliud eſt, quàm voluntatum*
» *poſſeſſio beneficio virtutis parta; vnde huic honori*
» *ſemper amor annexus eſt. Hæc Madius, quæ (niſi*
*fortaſſe amore fallor) veriſſimè dicta ſunt. Ari-*
*ſtoteles profectò quarto libro de moribus honorem*
*ſtatuit bonorum externorum eſſe maximum; huius*
*autem rei plura eſſe argumenta. Hunc enim Dijs*
*immortalibus tribuimus, hunc maxime appetunt,*
*qui in imperio, ac dignitate ſunt conſtituti, hoc præ-*
*clariſſimis actionibus dari præmium ſolet. Quapro-*
*pter eodem loco ab Ariſtotele definiri videtur, præ-*
*mium virtutis, maius ſcilicet, quod virtuti defer*
*ri queat. Perfectæ enim, cumulatæque virtuti nul*
*lum honorem tribui ſatis dignum poſſe exiſtimat.*
*Illud præterea addit magiſtratus, & diuitias non*
*aliam ferè ob cauſam, quàm propter honorem eſſe*
*expetendas. Sic Plato diuinum bonum honorem*
*dixit. Sic Xenophon voluptate illa, quã ex honore per*

*cipimus, nihil Deorũ voluptati ſimilius reperiri affir mauit, atq; hac vna præſertim re antecellere nos brutis animantibus, quod illa nullam, nos maximam honoris curam geramus. Ergo ſi honos tantũ, tamq; excellens bonũ eſt, veriſimile mihi quidem ſit ex ijs, quæ extra nos poſita ſunt, nullum maius bonũ eſſe, quàm animos hominum poßidere, idcircoq; poſſeßione hac vim, et naturam honoris præcipuè contineri. Nam per Deos Immortales ecquod prædiũ erit tam amplum, tam fructuoſum, ecquæ erit tanta vis pecuniæ (iſtarum enim rerũ in hac pulcherrima vniuerſitate viliſſima ſanè conditio eſt) quæ animorum noſtrorum poſſeßionem, qui diuini, et cæleſtes ſunt, aut dignitate, aut vtilitate æquare vnquã poßit? Poßidetur autem ab amato amantis animus, vt in libello de Amore (quem thuſcè quidem, ſed ſatis philoſophicè ſcriptum ſuperiore anno eidem tibi Ampliſſime Princeps dono dedi) accuratè oſtendimus: quoniam qui amat, de amato nullum ferè cogitandi finem facit, atquè ad illius voluntatem ſuam aggregat, & accommodat. Ita amans ei, quem amat, animum ſuum tradit. Non iniuria igitur virtuti, vt ita dixerim fœcundæ, quæ præclara facinora edat, quæquè hominem Deo Optim. Max: ſimillimum reddat, honos pro mercede ſtatuitur, amor, inquam,*

*hominum cum quadam reuerentia coniunctus (pietatem fortaſſe vnico verbo rectè appellaueris) à quo deinde ſigna illa prodeunt, ſtatuæ, laudationes, munera. Hanc hominum beneuolentiam, charitatemq́, Hieron apud eundem Xenophontem veriſſimè his verbis laudat. Amari autem huiuſmodi bonum eſſe iudico, vt quæcunq́ à Dijs Immortalibus, hominibusquè proficiſci poſſunt, omnia putem illi, qui amatur, eſſe paratiſſima. Hanc eamdem hominum beneuolentiam plurimi à ſe fieri Deus eloquentiæ Demoſthenes in oratione pro Cteſiphonte oſtendit.*
» *Etenim cum nullum bonum eſt, quo priuari non mo*
» *leſtum, graueque ſit, præſertim ſi inimici opera id*
» *eueniat, tum nihil grauius, quàm veſtram adimi be*
» *neuolentiã, quando & eam collegiſſe omnium mul-*
» *tò maximum erat. Cur igitur Plutarchi, & Madij ſententia nobis probetur, ſatis, vt opinor, oſtendimus. Crediderim tamen hanc etiam hominum charitatem ſub exiſtimatione contineri. Hæc enim gradus multos habet. Et quemadmodum eos, de quibus benè exiſtimamus, non diligere (ſi benè, & natura conſtituti ſimus, contrà enim euenit imbutis nobis inuidiæ veneno) minimè poſſumus, ita de quibus optimam imbibimus opinionem, quoſquè nobis maximè ſalutares, & beneficos aut experti ſumus, aut fore ſperamus, eos ſummo amore, omnibusquè*

*ſtudijs proſequamur oportet. Hoc ſenſu aliquandò bona fama, quæ ab exiſtimatione parum differt, accipitur. Hinc M. Tullius in Seſtiana bonam famam bonorum ſolam verè gloriam nominari poſſe aſſerebat; veram autem gloriam in amore potiſſimum conſiſtere iam ex illius ſententia ſtatuimus. Accipitur ergo nonnunquã exiſtimatio pro bona hominum opinione cum amore, atq; obſeruantia coniuncta; nonnunquam verò (vt infrà magis apparebit) pro opinione, quam de illo habemus, cuius nullum ſcelus, nullum inſigne flagitium comperimus. Inter hos gradus, quorum alter ſummus eſt, alter infimus, multos eſſe interiectos vnuſquiſquè videre poteſt; quorum eò quisq; altior erit, quò ab ſummo propius aberit. Duæ igitur expoſitæ iam ſunt vocis nobis propoſitæ notiones. Altera eſt, cum honoris nomine ſolam exiſtimationem intelligimus; Altera cum non ſolitariam, ſed ſignis etiam externis decoratam. Sic vocabulum intelligentiæ apud Ariſtotelem aliquandò ſolam mentem ſignificat, aliquã do autem non ſolam, ſed nobiliſſimo quodam habitu exornatam. Sic nomen φαντασίας interdum facultatem animæ noſtræ, qua rerum ſpecies à ſenſibus externis hauſtas conſeruamus, aliquando autẽ huius facultatis functionem muneris exprimit; quæ quidem functio muneris nihil aliud eſt, quàm ipſa-*

met facultas ſeſe oſtendens, & pateſaciens.

cap. 2. Omnino autem vox honoris hoc ſecundo ſenſu magis propriè (tametſi primo etiam non impropriè) accipitur. Sic ipſum definijt M. Tullius in libro de claris oratoribus præmium virtutis, iudicio, ſtudioq́; ciuium delatum ad aliquem. De præmijs enim exterioribus intelligat neceſſe eſt, quando ea ſunt, quæ à iudicio, ſtudioq́; ciuium proficiſcuntur. Longè ſubtilius, atq́; elegantius Ariſtoteles in Rhetoricis τιμὴ, inquit, ἐστι σημεῖον εὐεργετικῆς δόξης. In antiquiſſimo autem libro, qui eſt apud Petrum Victorium, quem ego hominem doctiſſimum, ac de bonis literis optimè meritum, honoris cauſa nomino, non δόξης, ſed εὐδοξίας legitur, quæ quidem verba, & ſi paululũ inter ſe diſcrepant, vnum tamen mihi videntur ſonare. Sic igitur definitio illa, niſi fallor, latinè reddi poteſt. Honos eſt ſignum opinionis de illius, qui colitur, bonitate, & beneficentia in animis colentium conceptæ. Ergo honoris nomen tùm bonam opinionem, exiſtimationemq́;, tùm bonæ opinionis effectum comprehendit. Cum enim de aliquo benè exiſtimamus, tùm ad ipſum obſeruandum, noſtræquè obſeruantiæ monumentum aliquod ſtatuendum inducimur. Scio à Ioanne Baptiſta Poſſeuinio aliter, atquè ego fecerim, hanc definitionem explicari. Verbum enim illud δόξα non ad eos, qui colunt,

*ut nos fecimus, ſed ad eos, qui coluntur, retulit; ut intelligatur honorem eſſe ſignum beneficentiæ illius, qui colitur non temerè, ſed opinione, ideſt iudicio, ac ratione ſuſcæptæ. Nos Petrum Victorium ſequuti ſumus, quamquè noſtra interpretatio verbis, & intelligentiæ Ariſtotelis ſit accommodatior, perſpicuè oſtendi poſſet, ſi quemquam reprehendere in animo haberemus, ac non res ipſa per ſe loqueretur. Sed ad propoſitum reuertamur. Hanc eamdem honoris notionem mirè expreſsit Hieron apud Xenophontem. Poſtquam enim oſtendit honores, qui ex animo non deferuntur, vere honores non eſſe, ſed potius ſeruilia quædam munera, hæc addit. Etenim cum homines eam de alicuius beneficentia opinionem habentes, ut illius bonis æquè ac ſuis ſe vti poſſe exiſtiment, ob eam rem ipſum laudibus in cœlum efferunt, cupidequè ſpectant, tanquam proprium cuiusquè bonum, libenter decedunt, libenter aſſurgunt amore non metu adducti, virtutis communem vtilitatem ſpectantis, & beneficentiæ ergò coronas dant, muneribusq; afficiunt; hi deniquè huiuſmodi officia præſtantes, verum mihi honorem videntur tribuere; quiquè illis dignus eſt, eum verè honorari iudico, atq; feliciſsimum ſtatuo. Hæc Xenophon, quibus veri, germaniq; honoris ſolidam, & expreſſam effigiem ſatis apparere iudico.*

cap. 3. *EST adhuc alia huius verbi notio apud veteres ſcriptores non inuſitata, vt honorem, qui reuera honeſtatem, & virtutem ſequitur, pro ipſamet virtute vſurpent; quod indè euenit, quia vt in partitionibus oratorijs M. Tullius inquit, honos, & gloria ſunt quodammodo cum honeſtate coniuncta. Ita Solem aliquando calidiſsimum dicimus (quãquã nihil minus, ſi ipſius naturam ſpectes) quoniam calorem efficit in hac inferiore mundi parte. Ita virtutem veram nobilitatem appellamus, quoniam ex ea verè nobilitantur homines. Non diſſimiliter igitur virtus ipſa honos aliquandò vocatur, quòd pariat honorem. Hinc elegantes illæ loquendi rationes, natus ad gloriam, ad honorem, ad laudem: nihil ſibi honore, decore, dignitate antiquius fore, huiuſmodiq; alia ſexcenta. Atquè is eſt honos, qui iure optimo vitæ anteferri debet. Laudatur enim, & gratis hiſtoriarum literis celebratur Marcus Attilius Regulus, qui ne fidem vel crudeliſsimo hoſti datam fallere, certiſsimis, maximiſquè cruciatibus, acerbiſsimæquè morti ſine vlla hæſitatione ſe obtulit. Celebrantur Zeno, Anaxarchus, & quicunq; alij mortem potius oppetere voluerunt, quàm ſe ſcelere inquinare. Hac verbi notione vtitur Achilles apud Principem poetarum Homerum. Phænici enim perſuadere conanti, vt iram comprimeret, doniſq; acceptis,*

*quæ*

*quæ ab Agamemnone mittebantur, græcis laborantibus auxilium ferret: fore enim, vt indè magnum honorem apud omnes conſequeretur, ita reſpondet.*

*"O multum venerande ſenex non me vlla cupido*
*"Talis honoris habet, ſed honores ab Ioue quæro;*
*"Qui me, deſpectus graijs cum hìc otia duco*
*"Reddit honoratum, ac reddet, dum vita manebit,*
*"Iucundoquè frui dabitur mihi lumine Solis.*

*Honore autem afficiebatur à Ioue, quòd ab illo admirabilem corporis, & animi fortitudinem ſè accipere putabat. Hac eadem notione Plato in quinto de legibus hunc in modum honorem definiuit. Honos eſt, vt vniuersè dixerim, meliora ſequi, mala autem, quæcunquè fas eſt, ad bonitatem traducere. Clarum igitur, perſpicuumquè eſt honorem aliquando loco virtutis, atquè honeſtatis accipi. Nequè verò amplius de honore hoc ſenſu mentionem faciemus. Virtutis enim vim, & naturam explicare (quoniam res vt arduæ cognitionis indiget, ita magnæ eſt, pergratæquè vtilitatis) alijs libris, quibus vniuerſam Philoſophiam moralem complectimur, habemus in animo.*

Cap. 4. *REDeamus autem ad honorem illum, quem ab Ariſtotele in Rhetoricis definitum verè, propriequè nuncupari honorem diximus, definitionemquè ab eo allatam, quantum in nobis eſt, illuſtremus.*

*Honorem poſuimus eſſe indicium bonæ exiſtimationis. Indicia autem plura ab Ariſtotele enumerantur. primum ſacrificia: Veteres enim Deorum honores ijs, à quibus eſſent maximis affecti beneficijs, tribuebant, atquè hoſtias immolare ſoliti erant, vt Braſidæ Lacedæmonio Amphipolitæ. T. Flaminio vniuerſa græcia; deinde laudationes tùm carmine, tum ſoluta oratione confectæ, quibus quidem claros viros celebrari ſolere ſatis conſtat, vt Auguſtum Cæſarem ob Horatio, Meſſalam à Tibullo, ab Iſocrate Euagoram, Ageſilaum à Xenophonte: deinde γερα id eſt honores certi, quibus item Vt fanis, viui, mortuiquè antiquitus afficiebantur; tùm agri, quos priſci illi regibus ſuis dicabant, & fortiſſimis Viris, à quibus ampliſſima beneficia accepiſſent; tùm προεδριαι, id eſt ſuperiore, honeſtioreque loco cuipiam in ſedendo cedere, quo honore omnes ferè ſeniores apud Lacedæmonios, & Romanos afficiebantur; & ſepulchra, quo colendi genere Ægyptus in primis excelluit; & imagines, vt quæ Romanis Cæſaribus ponebãtur, quas à barbaris Regibus quãtumuis magnis coli ſolitas legimus; & cibaria è publico, Vt apud Athenienſes Victus in Prytaneo præbebatur ijs, qui benè, & fortiter Rempub. geſſiſſent, apud Romanos multa agri iugera; Poſtremò τα βαρβαρικα οιον προσκυνησεις, και εκστασεις, cum quis ſcili-*

*cet ad eius, quem colit, pedes ſe abijcit, & illius quaſi numinis cuiuſdam conſpectum formidare ſe oſtendit; & munera, quæ apud ſingulas nationes in honore ſunt, qualis erat oleaſter in veteris græciæ certaminibus, quales item coronæ, quibus romani milites ob præclara facinora decorabantur: Non enim munera eiuſmodi ſunt intelligenda, vt qui colitur, lucrari etiam videatur: Vt enim octauo libro de moribus ad Nicomachum dicebat Ariſtoteles, fieri non poteſt, aut certè non debet, vt idem ex Repub. quæſtum faciat, & honore afficiatur. Vniuerſè tamen omnia munera ſpeciem quandam honoris habent. Ex quo in illis ineſſe aliquid, quo ambitioſi, aliquid item, quo auari homines delectentur, dicebat Ariſtoteles. In ſacris quidem literis obſeruat Hieronymus honoris nomine pecunias egenis erogatas, & alia ad vitam tuendam pertinentia contineri. Artificibus autem magna merces in primis honeſta videri ſolet. Ex quo M. Tullius, de mercede medico perſoluenda ſcribens, ita inquit.*

„ *Curio miſi, vt medico honos haberetur.*

*Hæc igitur ſunt, quæ ab Ariſtotele inter partes honoris recenſentur. Omiſit autem nonnulla de quibus alibi mentionem fecerat, aut quoniam ſatis nota erant, aut quòd ad ea, quæ erant allata, referri commodè poterant; vt aſſurgere alicui, deducere, redu-*

*cere, caput aperire.*

Cap. 5 *QVAESTIO tamen exoriri poteſt de magiſtratu, cur honoris partibus non ſit adnumeratus. Ac ſanè Ariſtoteles videtur cenſuiſſe magiſtratum ab honore differre, cum eo quarti Ethici loco, quem ſupra citauimus, magiſtratus expeti potiſſimum ob honorem aſſerat. At ſi eſſet ipſe honoris pars, ob honorem certè non expeteretur. Contrà tertio Politico honores eſſe ipſos magiſtratus dixit, & M. Tullius ſæpenumero magiſtratus honores appellauit, ex quo illud, finis honorum populi eſt conſulatus. Quãquam enim populus aliquando malis artibus adducatur ad magiſtratum mandandum, verè tamen Cato dicebat, nulla re allici hominum mentes oportere, niſi dignitate. Ergo magiſtratus ſuapte natura ſunt indicia opinionis, quam populus de eius dignitate concepit, cui magiſtratum mandat. Quid igitur hoc loco pro Ariſtotele? facilis defenſio. Magiſtratus non eſt ſimpliciter honos, neq; ob hanc præcipuè cauſam alicui magiſtratum cõmittimus, vt honoremus, ſed vt ſit, qui leges cuſtodiat, qui pro noſtra ſalute vigilet, laborem, periculumq; ſuſcipiat. Compenſamus autem hunc laborem, periculumque honoribus, quos illi tribuimus. Magiſtratui enim decedimus, aſſurgimus, deducimus, reducimus, publicè victum præbemus. Enumerat ergo Ariſtoteles*

*de honoris partibus tractans, ea duntaxat, quæ hoc vnum potiſſimum ſpectant, vt ſint indicia bonæ opinionis, cuiuſmodi non eſt magiſtratus. Cicero autem morem loquendi Romanorum ſeruans magiſtratus honores appellat; quoniam & ſi in magiſtratu dando noſtram potius vtilitatem, quàm illius, cui damus, honorem ſpectamus, attamen oſtendimus interea nos de illo benè exiſtimare. Ita fit, vt magiſtratus ſit non modo procuratio, & cuſtodia Reip. ſed etiam honos. Illud hoc loco prætermittendum nullo pacto eſt, cum multæ ſint honoris partes, quas recenſuimus, nō omnes tamen eiuſdem ponderis eſſe, ſed quemadmodum beneficentiæ, vt dicemus, multi quaſi proceſſus, & gradus ſunt; atquè alter altero amplior, & altior eſt, ſic etiam multos gradus honoris eſſe, beneficentiæ gradibus proportione reſpondentes. Multis enim aſſurgimus, atquè honeſtiore loco cedimus, quibus tamen ſtatuas non erigeremus, nec templa conſecraremus. Ille autem honoris, qui hominibus tribui debeat, ſummus gradus ſtatuetur, qui ad honores Deorum propius accedit, atquè ex hoc reliqui iudicabuntur. Hinc diuini honores, habiti. G. Cæſari; cum reliqui honores, quibus conſules, & Imperatores decorari ſolebant, euecto illo ad orbis imperium ſatis eſſe non viderentur.*

*cum corpus noſtrum curent, auream què ſanitatem tùm conſeruent, tùm reſtituant, præſertim niſi inde lucrum petant, magno in honore ſacris etiam literis admoniti habere debemus. Hippocrates quidem Cous Medicorum pater ab vniuerſa ferè græcia diuinis honoribus eſt affectus, Appolloq́, et Aeſculapius ad immortalitatem, & religionem etiam cõſecrati. Poſtremum locum tenent, qui egeſtatem noſtram ſubleuant, & ſuis opibus nos iuuant. Verum quoniam cuncta præter virtutem bona, vt diuitiæ, eloquentia, ſcientia perinde ſunt, vt illius animus, qui ea poßidet, nec pauciora incommoda, quã vtilitates humano generi afferre poſſunt; virtutes autem, quæ ad mores pertinent, proprieque virtutes appellantur, iuſtitia inquam, liberalitas, fides, clementia, fortitudo, earumquè princeps prudentia ſemper hominum ſocietati vtiles, ſemper fructuoſæ reperiuntur (virtus enim nunquã non ſpectat hominum ſalutem, & incolumitatem) idcircò beneficentiæ nomine ſola virtus præcipuè ſignificatur. Ita honos indicium eſſe ſtatuetur opinionis de illius virtute, quem colimus in animis noſtris inſitæ. Iam enim non de illo honore, qui Dijs Immortalibus, & parentibus debetur, tanquã ſatis perſpicuo verba facimus, ſed de eo, quo omnes homines muneribus virtutis fungendo dignos ſe præſtare queunt. Colimus autem*

*maximè propter ſpectatam beneficentiam, nonnunquam tamen & propter ſperatam, ſed non tam merito, neque tam ex animo. Quamobrem rectè M.*
,, *Tullius in epiſtola quadam ad Plancum dixit. Is*
,, *enim denique honos mihi videri ſolet, qui non pro-*
,, *pter ſpem futuri beneficij, ſed propter magna merita claris viris defertur, & datur. Addit autem quarto libro de legibus Plato illum quidem, qui ijs bonis abundans, quæ in alios quoquè transfundi poſſunt: homines libenter impertit tanquàm ſūmum virum eſſe honorandum, ſed tamen & eum, qui ſi minus facultatem, at voluntatem certè egregiam benignè faciendi affert, dignum eſſe, qui ſecundo loco colatur atquè obſeruetur. Conditiones autem grati acceptiquè beneficij ab Ariſtotele ſecundo Rhetorico afferuntur. Aut magnū enim ſit beneficium oportet, aut promptitudo, animiquè alacritas in dando appareat aut præclara ſe ſe obtulerit occaſio. Quæ enim beneficia homines maximè neceſſario ipſorum tempore accipiunt, maxima putant. Illud autem uel potiſſimum requiritur, vt non noſtra commoda ſequuti, ſed illius tantum cauſa, in quem beneficium conferimus, benignè faciamus, cæteroqui nundinatio eſſet, non beneficium. Notat* Ariſtoteles *alio loco, atquè ad aliud inſtitutum duas alias conditiones. Hæ autem ſunt, cum beneficium confers in aliquem,*

*vltrò*

*vltrò conferre, ipſius preces non expectantem: & cum feceris, alijs non indicare. Referri fortaſſe poſſunt ad tertiam antè expoſitam. His enim ſeruatis, eius tantum gratia, cui benignè fecimus, videbimur illecti. Illa autem beneficia ſtabilem, diuturnumq; honorem, ac gloriam conſequentur, quæ ſtabilitatem, ac firmitatem quādam habebunt, nec modo conſeruari memoria, ſed etiam quaſi oculis diù cerni poterunt. Ad hunc honorem excipiendum hortabatur M. Tullius Caium Cæſarem, cum diceret, niſi Reſpub. ſtabilita eſſet illius conſilijs, & inſtitutis, fore vt ipſius nomen vagaretur modò longè, lateq;, ſedem quidem ſtabilem, & certum domicilium non haberet, habitura alioqui, ſi Reſpub. optimis temperata legibus remanſiſſet, quòd quoties eam homines intuerentur, toties illius eſſent ſummum, ac ſingulare beneficium viſuri, gratiſquè animis proſequuturi.*

Cap. 7. *CAETERVM antequàm longius abeamus, quæſtioni, quæ ex ijs, quæ diximus, exiſtit, occuramus. Effectio, & actio, vt eſt à nobis alibi diſputatum, hac potiſſimum ratione videntur differre; quoniam in effectione ſemper externa quædam materies adſit neceſſe eſt elaboranda, ac perpolienda, vt lignum, marmor, æs; actio verò non externū quippiam ſibi propoſitum habet, ſed ipſius agen-*

*tis bonum, ac perfectionem. Quapropter tacita de hac re iudicante natura, cum opus aliquod affabre, atque antiquo artificio factum nobis offertur, non tam artificem, quàm opus ipſum cupidè ſpectamus: quaſi in opere, non in artifice bonum omne, perfectioquè inſit, & hæreat. At cum aliquid prudenter, iuſtè, fortiter actum eſt, in eum qui egit, oculos, animumquè conuertimus; vt eum in quinquennali illa ludorum olympicorum celebritate aduenienti Themiſtocli vniuerſa penè græcia, quæ illhic conuenerat aſſurrexit; vnum illum contemptis ludis ſpectauit, ſummisquè acclamationibus excepit. Ergo ſi actio vnam illius qui agit, abſolutionem, perfectionemquè ſpectat: virtus autem non in effectione, ſed in actione conſiſtit: mirabitur fortaſſe aliquis, cur totius à nobis ſit inculcatum virtutis omnem vim in eo præcipuè verti, vt humanæ ſocietati conſulat, atquè opem ferat. Ita enim qui ex virtute agit, non ſuum ipſius decus, & ornamentum ſibi proponere videtur, ſed externum quippiam, hominum ſcilicet ſalutem, & incolumitatem. Quæſtio hæc, niſi fallor, hoc pacto profligari commodè poteſt. Homo ea ratione, qua homo eſt, ſociabilis eſt, & pars quædam humanæ communitatis. Ex quo, ſi hominibus dat ſalutem, ſi ciuilem tuetur ſocietatem, ſuum ipſius bonum, perfectionemquè ſibi comparat. Id enim exequitur*

*quod ipſius natura non modò poſtulat, ſed etiam flagitat. In effectione verò non ita res ſe habet. Non enim proprium eſt hominis, quia homo ſit, pingere, aut ædificare; ſed quia pictor ſit, aut ædificator. Cum igitur in actione bonum hominis, quia homo ſit, quæratur, in effectione non item: meritò actioni agentis ipſius bonum, quamuis aliorum etiam vtilitas indè naſcatur, effectioni verò ipſius externi operis perfectionē propoſitam eſſe dicimus. Omnino enim qui ex virtute agit, dum hominū generi prodeſſe sūmopere nititur, ſummā ſibi parat dignitatē, ac sūmū decus.*

cap.8. *Ita honos virtutis, ac beneficentiæ, vt diximus, eſt præmium. Verum alia etiam cauſa videmur adduci ad aliquid honorādum, excelenti nimirum illius præſtantia. Epicurus ſanè, qui, vt ſatis conſtat, Deum nihil agentem induxit, nullum opus molientem, res haſce humanas non modò non procurantem, ſed ne curantem, aut videntem quidē, eum tamen dignum arbitrabatur, qui ob præſtantem naturam, hominum pietate coleretur. Quod ſatis argumenti eſt ex illius ſententia quidquid ob aliquam præſtantiam eminet, atquè excellit, tametſi nullum erga humanum genus beneficium inde proficiſcatur iuſtā habere venerationē. Quod et Platoni placuit, quātū ex 5 libro de legibus perſpici poteſt, et Ariſtot. qui in quarto de moribus ad Nichomacum inquit*

*quidquid bono aliquo excellit, honore dignandũ eſſe. Quamobrem ſæpenumerò egregios etiam artifices, vt pictores, & ſtatuarios, quamuis nullum ferè beneficium in nos conferant: nulliq; nobis ſint vſui, honoramus tamen, & colimus. Hac etiam de cauſa dixiſſe potuit Ariſtoteles felicitatem ex eorum numero bonorum eſſe, quæ honore digna ſunt, & eam ſcientiam, quæ de ſimplicibus, diuiniſq; mentibus pertractat, reliquis omnibus honore, dignitateque antecellere. Eſt enim in animis noſtris quaſi inſitum, & innatum, vt rerum præſtantiam, ac perfectionem quamuis interdum nobis non fructuoſam admiremur, & honore proſequamur. Quamquam felicitas, ac Theologia alia etiam, multoq; iuſtiore de cauſa, quoniam ſcilicet immenſa quædam noſtra bona ſunt, digniſſimæ ſunt, quas honoremus. Verè enim, quod nos maximè allicit ad amandum, & colendum, eſt virtutis, & beneficentiæ opinio, quod eodem quarti Ethici loco, quem modò adduximus, ab Ariſtotele eſt affirmatum. Atqui ſi aliquarũ rerum præſtantiam non fructuoſam colimus, idcircò colimus, quòd ſaltem iucunda eſt. Res enim aut pulchritudine, aut arte præſtantes mirificam nobis, ſi minus vtilitatem, at certè voluptatem afferunt. Ita nobis quodammodo bonæ ſunt. Nam volupe etiam ſub genus bonorum cadit. Nec verò creden*

*dum eſt, vt doctiſsimus quidam vir credidit, cum inquit Ariſtoteles honorem virtutis præmium eſſe, virtutis nomine ſcientias etiam, & corporis præclarum habitum, & egregias artes comprehendiſſe. Ariſtoteles enim cum de re aliqua ex propoſito, ac diligenter agit, vt tum de honore, virtuteque agebat, vocabulis abuti non ſolet. Illud igitur ſpectauit potius, virtutem eſſe, cui præcipuè, proprieque, honos, & gloria conuenit. Neminem autem mirari volumus, ſi in hac vniuerſa tractatione de illo honore mentionē non facimus, qui aut metu, aut lucri ſpe impijs non rarò, & nefarijs hominibus habetur. Hic enim à veri honoris natura longiſsimè receſsit, ac potius, vt ſuperius ex Xenophonte attulimus, indigna homine ſeruitus eſt.*

cap. 9 *EXPLICauimus ferè omnia, quæ ad Ariſtotelicam honoris definitionem illuſtrandam faciebāt. Nunc antequā reliqua perſequamur, nōnullas alias voces voci iam expoſitæ ſimiles, atque affines ab re non erit. Hæ ſunt fama, laus, gloria. Nam ſicuti ijs benè perceptis, optimè quid ſit honos, intelligetur; ita ſi in illis erremus, in honoris quoque intelligentia decipiemur. Fama eſt, vt ex Etymologia apparere poteſt, cum quid percrebreſcit, multorumque ſermone circumfertur, bona quidem ſi ſermo cum illius, de quo loquimnr, laude coniungatur: mala autem,*

*ſi eiuſdem contineat vituperationem. Utraque à poetis egregiè picta. Multò difficilius eſt, quid ſit laus, peruidere. Nam quamuis vniuerſam, & confuſſam illius notionem omnes fermè teneamus (nihil enim aliud laus videtur eſſe, quàm oratio, quantum in illa re, quam laudamus, boni inſit, oſtēdens) multæ tamen notionem illam diligenter euoluere cōnanti occurunt difficultates. Ariſtoteles primo Rhetorico, primoq; itē libro de moribus ad Nicomachū, laudem ab honore diſtinguens, laudē ad virtutē pertinere inquit, ad præclara facta encomiū, ad excellētia quedā, ac diuina bona, quales ſunt Dij Immortales, honorem; quinimò abſurdū, ac ridiculū putat eos laudare. Quod ſi eſt, non benè idem Ariſtoteles eodē primo rhetorico partibus honoris adnumerauit μνημας ἐν μετροις, και ανευ μετρων quod tantumdem valet, ac laudationes tùm carmine, tùm ſoluta oratione confectas. Non benè etiam virtutis præmium eſſe honorem dixit: laudem enim potius dicere oportebat. Adde neque ea in re ipſum ſibi conſtare, quòd aliquando ſolas virtutes, quæ ad mores pertinēt, laudibus affici dignum putat, aliquando autem, vt in ſecundo Eudemio ſcientias etiam laudabiles ponit. Hæc igitur alij alio pacto diſſoluunt. Nos, vt initio dicebamus, neminē reprehēdere inſtituimus: noſtrā tantūmodo ſententiam exponemus, quā Alexādro*

*Aphrodiſienſi, cui viro, et quanto? probatã fuiſſe exiſtimamus. Hominẽ natura creauit flexibilem, atq; cõmutabilem, ita vt æquè virtutẽ amplecti, ac vitijs tradere ſe conſtringendũ queat. Quare vt à vitijs declinans ad virtutẽ colendam ſe cõuertat, à legũ latoribus quidẽ multa virtuti præmia, multa, atquè inſignia vitijs ſupplicia conſtituũtur: à parentibus autẽ, et præceptoribus bonis, laudes, et vituperationes adhibẽtur. Laudis igitur vis eò ſpectat, vt à vitiis nos reuocet, & ad præclara edenda facinora incitet, atquè impellat: & propterea maximè propriè laudantur virtutes, vt illarum pulchritudine, ac dignitate commoti ad ipſas conſequendas omni ſtudio feramur. Hunc finem ſi ſpectes, meritò ridiculus habearis, ſi Deos laudes, qui in uitia labi non poſſunt, nequè ad virtutem ſequendam cohortatione fiunt alacriores. Abſurdè etiam laudabis felicitatem, ad quam potiendam cuncti inflammato animo contẽdimus, nequè egemus incitamento. Igitur laudi, ſi hanc vocem propriè vſurpemus, tùm relictus eſt locus, cum veremur, ne quis aut virtutis conſequendæ difficultate deterritus (tritum enim illud, virtutem poſuere Dei ſudore parandam) aut voluptate illectus, quam malis rebus, & vitijs, quaſi eſcam Dæmon quidam videtur immiſcuiſſe, virtutem deſerat, ac nunquam ad benefaciendum, animum conuertat.*

*Eſt autem cum aliquem laudamus, non propterea quòd timeamus, ne ille cupiditati manus det, ac de recta deflectat regione, ſed vt obſeruantiam, ſtudiumquè quo illum proſequimur, ipſius egregia facta, multasquè virtutes enumerando, & oratione, quòd poſſumus, illuſtrando oſtendamus, ac præ nobis feramus. Hunc affectum præclarè exprimit Cteſipho apud Terentium, ſummo, vt exiſtimabat, à fratre AEſchino accepto beneficio, ò mi AEſchine, ò mi germane: ah vereor coràm in os te laudare, amplius ne id aſſentandi magis, quàm quòd habeam gratum, facere exiſtimes. Iam enim in illo abſente laudando omnem ſuperiorem ſcænam poſuerat. Hoc pacto laus, alia quadam notione verbi, pars honoris cenſenda eſt, ac Dijs etiam Immortalibus veriſſimè tribui poteſt, quod Ariſtoteles ipſe ſexto Ethico, & alibi etiam præcipiebat. Sic ſummus ille poeta, diuinoquè ſpiritu afflatus Dauid præpotentis Dei laudes diuinitus cecinit ſed næ tu quæſtionem hanc hydræ capiti ſimilem eſſe dixeris. Vna enim ſublata dubitatione multæ exoriuntur aliæ. Diximus tùm propriè vſurpari laudis vocabulum, cum oratio ad cohortandum refertur. Ita actiones etiam virtuti conſentaneæ, præclaraq; facinora laudari poterunt, vt nos ad illa gerenda incitemur. Quod autor libelli de virtutibus (qui liber*

*falsò*

falſo inter Ariſtotelicos recenſetur ) non negat. Inquit enim laudabilia quidem eſſe honeſta, vituperabilia autem turpia: & quidem in honeſtis principem locum obtinere virtutes, in turpibus vitia, laudabiles tamen eſſe & cauſas virtutum, & conſequentia, operaque ipſarum, vituperabilia verò contraria. At qui in ſecũdo Eudemio inquit Ariſtote. laudem eſſe orationem, quæ rectè facta vniuersè celebret, encomium, quæ rectè facta alicuius ſigillatim exponat, paulò poſt virtutem, ipſiusquè virtutis opera laudanda eſſe affirmat. Cur igitur in Rhetoricis ita encomiũ à laude diſtinguit, vt laudẽ ad virtutem, encomium ad facta pertinere aſſerat? Huc accedit locus maximè nobis perpendendus, qui peripateticam diſciplinam ſequimur, in primo libro μεγάλων ἠθικῶν capite tertio; in quo primum Ariſtoteles virtutem ſtatuit bonum honore dignum, deinde bonum laudabile, quoniam à virtuti congruentibus actionibus laus emergit: cum tamen bonum laudabile, atquè honore dignum tanquam duo diuerſa bonorum genera in diuiſione ponat. Hæc vt rectè explicẽtur, illud eſt attendendum, eodem aliquando nomine & genus, & ſpeciem appellari. Poetæ nomen apud græcos omni artifici cõmune eſt; proprium tamen illius effectum eſt, qui carmine imitatur. Amor item omnem appetentis animæ inductionem, propen-

*ſionemquè erga bonum, et iucundum ſignificat; propriè tamen illam, quæ à pulchritudine eſt excitata. Quinimo idem nomen (vt in differentia euenire Porphirius notauit) & communiter, & propriè, et maximè propriè ſumi poteſt. Id in re nobis propoſita vſu venit.* ἔπαινος, *cui græcæ voci in Latina lingua laus reſpõdet, ſi communiter ſumatur, ad ea omnia bona pertinet, quæ non fortuna, aut natura nobis largitur, ſed quæ nobis ipſi noſtra induſtria, ac diligentia comparamus: Sic ex ſcientijs etiam nos laudem adipiſci rectè ſecundo Eudemio dicebat Ariſtoteles; ſin autem non communiter, ſed propriè; virtutibus tantum, quæ ad mores pertinent, atquè illarum reginæ prudentiæ (conceßit id Ariſtoteles primo* μεγάλων ἠθικῶν *capite. xxxiii. & ſi id ſexto capite negauerat, prudentem impropriè illius natura nondum expoſita, loco ſcilicet callidi, & ſolertis accipiens) laudis vocabulum conuenire, ſicuti etiam vituperationem flagitijs, & vitijs. Neminem enim vituperamus, quòd non ſit geometra quòd nõ pictor, ſed quòd improbus, intemperans, iniuſtus. Ita his vitijs oppoſitæ virtutes, omninoq; & efficientia, & conſequentia ipſarum propriè laudabuntur. Non ſolum autem propriè, ſed etiam maximè propriè acceptæ huic voci virtutes tantum ipſæ, quæ ad mores pertinent, vt primo Rhetorico dixit Ariſto-*

*teles, aut ſi facta, eatenus certè quatenus virtutem vniuersè conſequuntur, & in illis virtus ſeſe oſtendit (quod intellexiſſe Ariſtoteles ſecundo Eudemio, dum laudem ab encomio diſtingueret, cenſendus eſt) ſubijcientur. Oratio enim virtutem, virtuti què congruentes actiones commendans, & celebrans id ſpectare videtur, vt noſtrum erga illam amorem, ſtudiumquè incitet, & inflammet. Ita encomium (laudationem Latini dicunt) à laude ſecernetur. Encomium enim præclara alicuius facta ſigillatim exponit, & extollit; nullamquè ob aliam cauſam à nobis adhibetur, niſi vt illum, de quo loquimur, honore afficiamus; quamobrem veriſſimè honoris ſpecies eſt. Summus autem honos, qui ſermone haberi poſſit, eſt* ευδαιμονισμος, & μακαρισμος, *id eſt prædicatio felicitatis, & beatitudinis alicuius, in qua & laus, & encomium continetur, ſicuti felicitas omnia bona complexu ſuo continet; eſtquè omninò quaſi* αποθεωσις *quædam. Vim horum verborum expreſſit ferè Terentius in* ιαυτον τιμωρουμενω *cum Bacchidem meretricem induxit ita alloquentẽ Antiphilam,*

» *AEdepol te mea*
» *Antiphila laudo, et fortunatã iudico, id cum ſtudui*
» *ſti, iſti formæ mores ut cõſimiles forẽt, minimeq́, ita*
» *me Dij ament, miror, ſi te ſibi quiſq́ expetit.*

*Rectiſſimè autem* ευδαιμονισμος *Dijs Immortalibus, ac di-*

*uinis etiam quibusdam hominibus attribuetur. Iam verò ex his apparere poteſt, quomodo virtus tùm laudabile, tùm honore dignum bonùm non abſurdè ſtatuatur. Si enim ipſam, ut præſtans quoddam bonum, hominumq́; ſocietati maximè ſalutare ſpectes: honore digniſsimam confiteberis. Sic diximus honorem eſſe virtutis præmium, et verè diximus. Sin ut difficilem ad conſequendum, laboribusq́; & vigilijs quaſi mercandam, & emendam, laudabile bonum appellabis: Laudibus enim, quaſi calcaribus, ad eam ſequendam incitari debemus. Supereſt, ut quid gloria ſit, breuiter exponamus. Ea mihi ab homine doctiſsimo Criſtophoro Landino in commentarijs ſuis in Danthem commodè videtur deſcripta, ſplendor quidam, & lux, quæ in aliquo ex bona illius fama, honoribusq́; in eum collatis exoritur. Sic gloria virtutem illius, qui laudatur, et colitur, tanquã umbra corpus, ſequitur: honos verò eos, qui colunt, magis ſpectat; ab ijs enim proficiſcitur. Quamobrem gloria in eo, qui colitur, hærere videtur; honos in ijs, qui colunt. Etenim gloria virtutem ipſam ſignificat trahentem homines in amorem, & admirationem ſui; Honos verò propenſionem hominum ad eum amandum, & colendum, qui ſit præditus virtute.*

cap. x. *NVNC quando harum dubitationum, ſanè odioſarum, nubeculæ ſatis iam diſiectæ ſunt, ea, quæ ad honoris naturam illuſtrandam pertinentia adhuc reſtant, tractare pergamus. Primum autem illud occurrit conſiderandum, ecquid cauſæ ſit, quãobrem honos tam ardenter ab hominibus expetatur, vt eius nimiam auiditatem poſtremum eſſe morbum, qui à ſapiente decedat, grauis auctor Cornelius Tacitus affirmarit. Plures igitur cauſæ ſunt: non poſtremæ illæ duæ, vt per honores reliquis euadamus præſtantiores, & immortalitatem conſequamur. Indidit quidem nobis natura hanc alijs antecellendi, & imperandi cupiditatem; ad quã explendam honores ſine dubio nos ducunt. Naturale etiam eſt immortalitatis deſiderium, vt nemo inficiabitur. Honos autem, et gloria nos immortales, quodammodo reddunt, vt præclarè in ſympoſio oſtendit Plato. Hinc M. Tullius ab exilio reſtitutus, eo honore immortalitatem quamdam ſe eſſe conſequutum dicebat. Hinc etiam*
*„ Ennius. Nemo me lacrymis decoret, nec funera*
*„ fletu faxit: cur? volito viuus per ora virûm. Sed his generalibus cauſis omiſsis, vt agamus enucleatius, ſtatuamus honorẽ, quẽ propriè diximus honorẽ appellari, partim propter ſe, partim propter aliud expeti. Quà continet amorem, certè ſuapte vi, & per ſe eſſe expetendum mihi ſatis exploratum, & com-*

*pertum eſt. Amari enim per ſe optabile eſſe, octauo de moribus ad Nicomachum, in quo de amicitia pertractat, clara voce Ariſtoteles affirmat. Et primo Rhetorico inter ea, quæ ſimilia ſunt, naturalem quamdam cognationem reperiri, non dubitat. Quod item Platoni placuit, qui ſæpenumero prouerbium illud adducit, ſimile ſimili amicum eſſe. Quid autem hominis animo ſimilius eſt, quàm alterius hominis animus? Animorum igitur poſſeſſio (quod idem eſt, atquè amor) per ſe ipſa homini eſt expetenda. Quòd ſi quis dubitet, cur ſi hominum beneuolentia per ſe expetenda eſt, malis tamen artibus, & ſimulatione virtutis collecta expeti non debeat; is animaduertat, quibus hominum beneuolentiam ſimulatione virtutis ſibi conciliare propoſitum eſt, eos reuera beneuolentiam iſtam non per ſe expetere, ſed ipſa velle abuti ad ea, quæ animo concupierunt facilius conſequenda. Nec verò ſi copi, vt ille inquit, pectore tua vitia tegens virtutem ſimules, itaquè hominum tibi compares charitatem, diuturnum id eſſe poteſt. Verè enim dictum eſt ficta omnia celeriter tanquam floſculos decidere ſolere; dieſquè omnino tua conſilia patefaciet; nequè interea poßidere animos hominum dicendus es: Non enim te amore proſequuntur, ſed eum, quem te eſſe ſimulas, id eſt probum, ac bene-*

*ficum virum. Verus igitur honos, quà amorem continet, eſt propter ſe expetendus, vt oſtendimus, & ob aliud etiam, nempè ob eam cauſam, vt plura virtutis munera exequi poßimus, atquè in adminiſtranda Repub: ſimus feliciores. Nam eius, qui hominum beneuolentia munitus eſt, conſilijs, & monitis maxima habetur fides: ſic multas, ac præclaras virtutis ſuæ declarandæ ſemper occaſiones habet. De Archita ſanè, & Batto refert Plutarchus, quòd à ſuis ciuibus plurimum amarentur, fuiſſe vtrumquè ſaluti patriæ ſuæ. Expetitur etiam ob aliam cauſam. Nam, vt primo Ethico dixit Ariſtoteles, quoniam naturaliter ſtudioſißimi, & appetentißimi ſumus honeſtatis, atquè virtutis, propterea honorem tãquam teſtimonium quoddam virtutis noſtræ ſummè expetimus. Huic autem rei illud eſſe argumento aſſerebat, quòd non ab ignotis, & pueris, ſed à prudentibus viris, quiquè nos probè nouerunt, delatos honores maximi æſtimamus. Amor autem præcipuè grauißimum teſtimonium eſt. Nulla enim res æquè homines allicit ad amandum, atquè virtus. Hæ igitur iuſtæ, ac veræ cauſæ ſunt, quamobrem amari velimus; illæ non iuſtæ, quarum Ariſtoteles octauo Ethico mentionem facit, metus, & cupiditas, quibus tamen perſæpè inducimur. Etenim cum videamus eos,*

*in quos plurimorum odia ſint accenſa, omnibus ferè iniurijs expoſitos, nihil mirum ſi hoc metuentes, diligi, & amari, miſerè propè modum cupimus. Rurſus cum illi, qui ſunt ciuibus ſuis chari, multis cõmodis ſemper abundent, ampliſſimis muneribus afficiantur, magnas opes facilè comparare poſſint, et voluptatibus omnibus, quæ aut viſu, aut auditu, aut tactu, aut reliquis ſenſibus capiuntur, frui; idcirco harum rerum cupiditate, & ſpe impulſi, conciliare nobis hominum beneuolentiam ſedulò enitimur. Tot, tantisq́; de cauſis expetitur honos quà amorem continet. Totidem ferè præter primam expetitur etiam, quà poteſtatem, & imperium habet adiunctum. Primò enim qui in amplo aliquo magiſtratu eſt, qui imperium obtinet; multò magis Reipub: prodeſſe poteſt, quàm priuatus. Hinc M. Cato exemplum continentiæ, integritatis, probitatis cum aliàs oblatam ſibi præturàm repudiaſſet, imminentia tamen à nimia Cæſaris, & Pompeij potentia Reipub. pericula proſpiciens, vt ea poſſet auertere, conſulatum petijt: in qua petitione cum repulſam tuliſſet, ſatis intelligi potuit, iratos eſſe Deos Populo Romano. Deinde eadem poteſtas non leue eſt virtutis teſtimonium. Nota eſt laudabilis illa Tempanij equitis vox cum à Tribuno plebis in concionem productus eſſet, vt Caium Sempronium tanquã proditorem exercitus, nullaq́; in re*

*boni*

*boni conſulis officio functum accuſaret, quanta prudentia rei bellicæ in C. Sempronio eſſet, non militis de Imperatore æſtimationem eſſe, ſed Populi Romani fuiſſe, cum eum comitijs Conſulem legeret, aſſerentis. Nec verò dubitandum eſt, quin perſæpè ob metum, & cupiditatem cum Imperio eſſe eligamus. Multi Romæ, ne dies ipſis diceretur, metuentes, ad aliquem magiſtratum euehi curauerunt. C. Cæſarem; cum pharſalica acie cæſos, profligatosq́ aduerſarios proſpiceret, hæc ad verbum dixiſſe hiſtorici referunt; Hæc voluerunt: tantis rebus geſtis. C. Cæſar condemnatus eſſem, niſi ab exercitu auxilium petijſſem. Quid verò Craſſum impulit, vt Proconſul ad parthicum bellum mitti vellet, niſi auri ſitis? quam mortuus expleuit, quando viuus non potuit. Atquè iſtæ ipſæ cauſæ; vt Plotinus dicebat, regnãdi deſiderium tantum excitant, vt nihil tam ſanctum ſit, quod non imperandi cauſa violent homines. Pauci enim ſunt, qui Euripidis illam, à C. Cæſare ſæpè vſurpatam, ſententiam non probent.*

„ *Nam ſi violandum eſt ius; regnandi cauſa*
„ *Violandum eſt; alijs rebus pietatem colas.*

*Hinc ætas præſertim virilis maximam honoris curam gerit. Cum enim pueri, & adoleſcentes leuioribus quibuſdam ſtudijs dediti ſint; viri propriũ eſt, virtutem, opes, idcircoquè honorem etiam ſequi.*

*Ex quo Horatius, eleganti in primis iudicio præditus Poeta, cum puerilis ætatis, & adoleſcentiæ mores notaſſet, de uirili ita inquit*

*,, Conuerſis ſtudijs ætas, animusq́; uirilis*

*,, Quærit opes, & amicitias, inſeruit honori.*

*Poſtremò reliquæ res externæ ad honorem pertinentes, quas ſuprà recenſuimus, in quibus bona de nobis opinio, atquè amor ſe ſe oſtendit, ea tantum de cauſa expetuntur, quòd animi inductionem, ſenſum, beneuolentiam in nos illius, à quo colimur, declarant. Omnes ferè cauſas patefecimus, quibus adducti honoris auidiſſimi ſumus.*

Cap.xi. *ILLUD autem animaduertendum eſt, omnium quidem hominum beneuolentiam magni æſtimandam eſſe (ut enim M. Tullius dicebat, ea eſt*
*›› gloria, laus rectè factorum, magnorumq́; in Repub.*
*›› meritorum, quæ cum optimi cuiusquè, tum etiam*
*›› multitudinis teſtimonio comprobatur) ſed tamen prudentum, bonorumquè uirorum grauem in primis eſſe debere. Incidunt enim aliquando tempora, cũ populus aut ſenectute deſipiẽs, quod de Athenienſi ſcriptũ reliquit Plato, aut falſa imbutus opinione facta alicuius, quãuis rectiſſima ſint, & uirtuti maximè conſentanea, nõ charitate, et grata memoria, ſed odio potius proſequatur. Sic Fabius Maximus, cum Hannibalẽ multis uictorijs elatum, et inuicto exer-*

citu ſeptum patiĉtia debellaret, et certaminis aleam prudẽtiſsimè fugeret, ſic Socrates, cum Athenienſes acriter reuocaret à vitijs, & ad virtutem cohortaretur, in odium atquè offenſionem populi incurrerunt. Quo tempore non tam gratiæ popularis, quàm ipſius virtutis, ac proborum virorum beneuolentiæ rationem habere oportet, ſperareque non multò poſt debitam ſibi ab vniuerſo populo charitatem perſolutum iri. Quod vtriquè eorum, quos nominauimus, contigiſſe ſcimus, quamquam ex his alter ea viuus frui non potuit. Ad populi quidem opinionem omnia referre, qui, vt inquit ille, bellua multorum capitum eſt, paruisq; rebus mobilis, & ſibi ipſe non conſtans, dementis, ac ſtulti hominis eſt.

Cap.xii HIS ita conſtitutis, illud fortaſſe alicui occurrat, ſi honoris natura, & vis in eo potiſsimum conſiſtat, vt hominum animi poſsideantur, quod iã ſatis oſtẽdimus, cum precioſiſsima hæc poſſeſsio ſit, ad eũ, qui virtutis ergò colitur, non minorem ex honore delato, quàm ex virtute ſua voluptatem eſſe peruenturam: itaq; honorẽ ſatis amplum præmium virtutis ſtatui debere. Quod tamen Ariſtot. apertè negabat. Aſſerebat enim virtuti par præmium reperiri non poſſe. Ac ſanè res ita ſe habere videtur, vt cum amor, quo te omnes homines proſequuntur, poſſeſſorem,

*ac dominum te animorum facit, Deum quodãmodo te faciat. Animorum enim humanorum dominus eſt. Hac fortaſſe de cauſa putauit Xenophon voluptatem, quæ ex delatis honoribus capitur, diuinæ multò ſimillimam eſſe. Verum, ſi diligenter attenderimus, maiorem percipi voluptatem ex virtute agendo, quàm ex eo, quòd colamur, apparebit. Vt enim omittam virtutem ipſi animo hærere, honorem verò eſſe externum quiddam, illud certè maximi ponderis eſt, quòd ab Ariſtotele nono Ethico eſt oſtẽſum, amare ſimile eſſe actioni, amari perpeßioni, actionem autem multò maiorem nobis afferre voluptatem, quàm perpeßionem. Maximam enim haurimus voluptatem ex eo, quòd ſimus. Sumus autem viuendo, & agendo. Id in rem nobis propoſitam transferri commodè poteſt. Honorari enim, & coli ſimile quiddam perpeßioni eſt. Virtus autem in actione conſiſtit. Quapropter tametſi poßidentes animos hominum, quibus nihil in hac inferiore mundi parte excogitari precioſius poteſt, incredibili quadam lætitia perfundamur; multò tamen maiorem voluptatem ad animum noſtrum affluere, atquè illabi ex honeſtis actionibus noſtris cenſendum eſt; præſertim, cum virtutem videamus eſſe, quæ amatur, cuiquè iſta animorum poſſeßio accepta referri debet; vt non tam honos, quàm virtus ipſa*

*nos efficiat Deos. Quamobrem non eſt, quòd ille, qui inſidioſa aliqua liberalitate, & comitate allicit homines ad amandum, germanam, ac ſolidam ſe hauſturum voluptatem putet; hac profligata quæſtione exiſtit altera, utrum maiorem afferat voluptatem honorari, an honorare. Atqui ſi ſpectemus colere, et honorare, quos debemus, eſſe actioni ſimilius, quàm honorari, vel potius actionem eſſe virtuti maximè conſentaneam (refertur enim ad eã iuſtitiæ partẽ, quæ in diſtribuẽdo verſatur) profecto, ſi nobis ipſi cõſtare velimus, ac tueri ea, quæ modò diximus, neceſſariò videbitur concedendum maiore nos affici gaudio, dum alios colimus, quàm dum colimur. Verumtamen, quoniam dum colimur, certius noſtras virtutes agnoſcimus, ipſiſquè verè fruimur (quamobrem iucundiſſima emergit actio, virtutis, inquã, noſtræ contemplatio) & præterea maximo bono, id eſt, beneuolentia hominum nos augeri videmus, ac poſtremò honorare mediocris cuiuſdam virtutis opus videtur; honorari autem eximiam, excellentemquè virtutem ſignificat) quare ab ijs, quos in honore habemus, vinci nos virtute fateamur oportet, idquè non moleſtum eſſe minimè poteſt) tot cauſis cõcurrentibus fit, vt honorari, quàm honorare ſit optabilius. Quòd ſi ij, quos colimus, huiuſmodi ſint, a quibus nos virtute ſuperari turpe non ſit, idcir-*

*coque æquo animo ferendũ, cuiuſmodi ſunt Dij Immortales, ac Principes aliquando noſtri, ita noſter in illos amor, noſtraq́; pietas, & cultus nos delectat, vt illorum loco honorari, & coli (ſi detur poteſtas, beneq́; et natura ſimus conſtituti) repudiaturi ſimus.*

cap.xiii *HVIC ſuccedunt quæſtiones aliæ, quæ & ipſæ breuiter explicari poſtulant, vt in quo decẽ ſummorũ generum ſit honos collocandus; quale bonũ ſit, an honeſtũ, an volupe, an vtile; proponatur nè deliberatiuo, an demoſtratiuo generi. Primã priore loco ad exitum deducamus, paucis agentes. Honos, quà bonam opinionẽ, et amorẽ comprehendit, in eo genere, quod agere, ſeu facere dicimus, cõmode collocabitur: Exiſtimare enim, ac diligere ſine dubio actiones animi noſtri ſunt. Quà autẽ indicium etiã eſt huius bonæ opinionis, atq́; amoris, cum indicium ſit rei indicatæ, vt noſtri philoſophi loquuntur, indicium, meritò in eorũ quoq́; genere, quæ cum aliquo cõferuntur, et ſub eãdẽ rationem cadunt, reponetur. Neque ad hanc quæſtionem facit (quod Poſſeuinius exiſtimauit) locus ille Ariſtotelis, vbi inquit honorem in eo potius eſſe qui colit, quàm in eo, qui colitur. His enim verbis hoc vnum ſignificatur, præterea nihil, eſſe in poteſtate eorũ qui colunt, honorẽ deferant, nec nè. Ac mea quidẽ ſententia clariora illa ſunt, quàm vt longiore oratione indigeant. Sed iam ad ſecundã quæſtionem*

*explicandã pergamus: Quærebatur enĩ in quo bono rũ genere honos cõtineretur. Certum autẽ nobis, quid reſpondeamus, eſſe debet. In numero enim bonorum honeſtorũ ab Ariſt. adſcriptus, niſi apud nos ſuũ cõſeruet locũ, ingrati aduerſus præceptorem (& qualẽ præceptorem) profectò ſimus. Id autem ita eſſe ſtatuemus ſi conſiderauerimus honeſtum illud eſſe, vt in Rhetoricis eſt definitũ, quod cũ propter ſe expetatur, laudabile eſt, aut quod iucundũ eſt, quà bonũ, id eſt, ſua natura iucundũ eſt, nõ ſpeciẽ tantũ habet ob deprauatũ guſtum. Nam cum amorẽ, & charitatem hominũ per ſe eſſe expetendã dixerimus, ac diuinã poſſeßionẽ appellauerimus, ſummiſq; laudibus ſit ille afficiendus, qui illam ſolidã, ac diuturnã eſt cõſequutus: præterea animo benè, et natura cõſtituto iucundißimũ ſit hoc bonũ: non eſt cũctãdum profiteri honorẽ, in quo iſta charitas, et pietas cõtinetur, honeſtis rebus debere adnumerari. Quòd ſi Philiſcus M. Tullij, vt ferunt, familiaris, vt illum ob exilium nimis perculſum animo conſolaretur, neq; ignominiã ſua natura malum, neq; honorem ſua natura bonum eſſe, ſed qualia nos ea cum animis noſtris reputamus, probare nititur, mihi quidem non perſuadet. Nam quod inquit nullum inferri detrimentum animo, nullum corpori ab ignominia: equidem integrum quodammodo, & perfectum eius hominis animum non*

*iudico, qui natura factus ſociabilis, & cuiuſdam præſtantiæ cupidus, tantum abeſt, vt dignitatem tueatur ſuam, atquè ab alijs ametur, & cum ijs, vt ita dixerim, ſocietatem coire poſsit, vt eum potius odio proſequantur, deſpiciant, ignominia notent. Nec ſatis præclarè cum eo etiam actum puto, qui nulla ſua culpa, ſed fato quodam in odium, & infamiam incurrit; quamquam magnam conſolationem eſſe credam conſcientiam benè actæ vitæ, ac ſpem illam ferè certam, fieri non poſſe, quin tandem virtus vel in tenebris fulgeat, rapiatquè homines in amorem ſui. Hæc mea ſententia eſt. Quòd ſi cui tamen non vſquequaquè honeſtum, ac per ſe laudabile bonum honos videatur, ea ſaltem ex parte videri debebit, quà honeſtatem conſequitur, ac virtutis præmium eſt. Qua ratione indicia etiam illa, quæ extrinſecus ſpectantur, vt ſtatuæ, alimenta è publico, coronæ poſsunt honeſta appellari. Hinc Horatius.*

,, *Clarus ob id factum donis ornatur honeſtis.*

*Honeſtis, inquit, quoniam tanquam virtutis, & honeſtatis teſtimonia exhibebantur, aut honeſtum pro decoro vſurpauit, quemadmodum Virgilius inhoneſtum pro non decoro loquens de Deiphobo po-*

,, *pulataquè tempora raptis.*

,, *Auribus, & truncas inhoneſto vulnere nares.*

*Decora*

*Decora autem munera ea intelligebat, ex quibus tantum gloria non etiam emolumentum proficiſcere tür; quod ſequentia verba ſatis oſtendunt.*

*„ Accipit, & bis dena ſuper ſeſtertia nummûm*

*Adnumerari igitur honos rebus honeſtis poteſt: Cæterum quamuis tria illa bona, honeſtum, volupe, vtile ſuapte natura diſtincta ſint (honeſtum enim ad intelligẽtiam, volupe ad ſenſum, vtile ad vegetabilẽ animæ partem videtur pertinere) tamen ita aliquãdo inter ſe cõmiſcentur, et confundũtur, vt in eadẽ re inſint omnia. Quod ab Ariſtotele in felicitate oſtenſum, à nobis in honore oſtendi poteſt. Cum enim vehementiſſimè delatis honoribus gaudere ſoleamus, cum honos multas nobis, & præclaras occaſiones præbeat declarãdæ, ac promẽdæ virtutis, atq; ad multas alias res afferat nobis cõmoditatẽ, nõ modò honeſtũ, ſed etiã volupe, nõ modo volupe, ſed etiã vtile bonum non iniuria ſtatuetur. Quà autem volupe eſt, & vtile (quod bonum Ariſtoteles alio nomine facultatem videtur appellaſſe, quoniam, vt bona, & mala gerere poſſimus, in cauſa eſt) virtutibus quibuſdam, vt animi magnitudini, & illi alteri, quæ honoris deſiderium dicitur, tanquã ſubiecta materies proponitur. Cum enim exiſtant, qui illa dulcedine illecti, cum omni honore planè ſint indigni, honores tamen ampliſſimos tanquam ſibi debi-*

*toſ,petere non vereantur,atquè honorem vel leuiſſimum,& popularem virtuti ipſi anteponant, ac malis artibus conſequi conentur, quiquè non iuſtis de cauſis honorem quærant,ſed vt plus poſſint, quàm cæteri,ſuaſquè libidines ſatiare (ſi modò ſatiabilis libido eſt) facilius queant; contrà autem quidam animo nimis humili,ac remiſſo honorem, qui multis de cauſis,hiſquè iuſtiſſimis, vt oſtendimus,expetendus eſt,contemnant,atquè deſpiciant, nequè inde bona illa velint excerpere,quæ in Rempub: quoquè redundaſſent; meritò inter hæc extrema quaſi intermediæ ſe ſe interijciunt virtutes illæ, nimis elatos animos quantũ decet,deprimentes,nimis abiectos extollẽtes; magnanimitas inquã,et honoris deſideriũ; quæ duæ virtutes hac dũtaxat,vt ab Ariſ.apertè eſt explicatũ ratione differant,quòd animi magnitudo paulò maiores,amplioresq́ honores quã altera, ſibi proponit.*

Cap.14 *TERTIA reſtat ex propoſitis quæſtio,cui potiſſimum cauſarum generi, an deliberatiuo, an demonſtratiuo pro fini ſit honos propoſitus. Quam, vt non nullius eſſe momenti credamus, M. Tullius facit,qui Ariſtotelem reprehendere aliquando non dubitauit. Ergo apud Ariſtotelem in laudatione,honeſtas;in deliberatione vtilitas;in iudicijs, iuſtitia finis eſt, & extremum, quò ſpectamus. At M. Tullij in ſecundo libro de Inuentione hæc ſunt ver-*

» ba. In deliberatiuo autem Ariſtoteli placet vtilitatem,nobis,& honeſtatem, & vtilitatem,honeſtatis nomine,vt opinor,honorem etiam comprehendens, ſecundo etiam libro de oratore aduerſus eundem,optimum non minus artis oratoriæ,quàm omnium philoſophiæ partium magiſtrum, quamuis » illius nomen ſupprimat,videtur diſputare. Ergo in » ſuadendo nihil eſt optabilius, quàm dignitas: nam » qui vtilitatem putat, nõ quid maximè velit ſuaſor, » ſed quid interdum magis,ſequatur videt. Nemo » eſt enim,præſertim in tam clara ciuitate,quin putet » expetẽdam maximè dignitatem;ſed vincit vtilitas » plerumquè, cum ſubeſt ille timor,ea neglecta ne di- » gnitatem quidem poſſe retineri. Et quamuis. M. Tullius non ſemper ſibi videatur conſtare (nam in partitionibus,quem librum iam ſenex conſcripſit,et in topicis à iudicio Ariſtotelis non diſcrepat) multi tamen veriſſimam eſſe eius ſententiam in libris de oratore expoſitam putabunt,ac dignitatem,quæ idẽ ſonat,atquè honos,& exiſtimatio,eſſe generis deliberatiui finem: verum hæc non difficillimè explicabuntur, ſi attendemus, quod iam declarauimus, honorem & honeſtis, & vtilibus bonis adnumerari. Quamobrem, vt honeſtum eſt, ad genus demonſtratiuum referetur (Ac ſanè ſi laudandum tibi aliquem proponas, ineptè facias,

*niſi omnes illi tributos honores non modò narres, ſed etiam illuſtres, & amplifices oratione; quod à ſummis oratoribus videmus obſeruatum) vt autē multas, magnasq; nobis affert commoditates, & vtile bonum eſt, ad genus deliberatiuum. Multi enim, præſertim in ciuitatibus liberis, in quibus eloquentia florere ſolet, concurrunt ad deliberandum. Difficile autem eſt multis hominibus perſuadere, vt Caßius dicebat,* το καλον διαυτο αιρετον *eſſe: Pleriq; enim malo cultu, prauisquè epinionibus corrupti, laudis, gloriæ, dignitatis guſtum, & ſenſum omnem perdiderunt; quæſtu tantum, & emolumento mouentur; quamobrem ſapienti homini non alia ratione ad honeſtatem, dignitatemq; ſunt cohortandi, quàm quòd vtilitas etiam inde naſcatur. Quòd ſi pauci inſint ita benè inſtituti, ac perpoliti, vt honeſtatem, illiusq; comitem dignitatem, & honorem per ſe expetant, non eſt verendum, ne ab oratoribus omnia ad vtilitatem referentibus decipiantur. Probè enim noſcent vtilitatem ab honeſtate ſeiungi non poſſe, nullumquè tantum eſſe lucrum, quod honeſtatis iacturam compenſet. Non malè igitur M. Tullius, ſed optimè Ariſtoteles.*

Cap.xii *HIS hoc pacto explicatis, ſi præterea quomodo adipiſcamur, aut perdamus honorē, tractauerimus, omnia ferè, quæ ad hunc locum faciebant, erimus*

*perſequuti. Quamquam id ex ſupra dictis fermè conſtat. Diximus enim veros, & germanos honores non eſſe illos, qui extorquentur ab inuitis, & flagitioſis, perditisquè hominibus tribuuntur, quemadmodum de Verre Siciliæ Prætore. M. Tullius refert, qui ex omnium ſcelerum colluuione natus innumerabilem tamen pecuniam in ſtatuarum ſumptum, quæ ſibi ponendæ eſſent, ſiculis hominibus imperauit. Quos improbis habitos honores ſpectans Cato ſenior, ſapiens illis temporibus cognominatus, cum multorum erigi ſtatuas cerneret, quos fortaſſe omni honore indignos iudicabat, at ego, inquit, malim mirentur homines mihi poſitam non eſſe, quàm poſitam eſſe ſtatuam. Verus, & perfectus honos virtute acquiritur, virtute cõſeruatur. Quamobrẽ ſi ad altiſsimum honoris gradum peruenire in animum induxiſti tuum; integra, cumulataq́ virtute præditus ſis oportet, magnaq́ ſemper ſpectes, & hominum ſalutem, ac beatam vitam antiquiſsimam habeas. Hoc enim pacto in vniuerſorum animos quaſi influes, & beneuolentiam, charitatemq́ ſummam tibi conciliabis. Tales fuerunt veteres illi, quos in Deorum numero homines coluerunt, & venerati ſunt, Saturnus, Iupiter, Mercurius, Hercules. Omnino autem quantum à virtute, tantum à vero honore decides. Pendet enim honos à vera opinio-*

*ne,quam de alicuius virtute concepimus. Quamob-
rem uel ipſam ſolam exiſtimationem honoris voca-
bulo inſigniri initio diximus, quæ exiſtimatio cum
omnibus curæ eſſe debeat,atq; ob eam multi caſus in
communi vita eueniant,de ea diligentius, antequã
huic tractationi finis imponatur,eſt agendũ, Hæc ſa
nè,niſi fallor,eſt,ob quam omnia ſingularia certami
na his miſeris,perditiſq; temporibus exiſtũt. Omnes
enim quicunquè eum à quo ſe læſos arbitrantur, in
certamen vocant, hanc cauſam prætendunt, quòd
ignauiæ,ac timiditatis crimen vereantur,nequè ali
ter ſe honori, & exiſtimationi ſuæ conſulere poſſe
exiſtiment. Vehementer autem ſum miratus ne-
minem ex ijs, qui de duello, vt vocant,ſcripſerunt,
hanc honoris notionem animaduertiſſe, cum tamen
inde omnes huiuſmodi lites pendeant. Multi enim
infima fortuna homines cum nullo beneficio huma-
num genus affecerint,nequè præclarum vllum faci-
nus fecerint,non adeò ſe amant,vt ſe dignos putent
quibus aſſurgatur,ſtatuæ erigantur,res diuinæ fiãt,
& tamen ne honorem,ideſt,vt ego interpretor,exi-
ſtimationem perdant,pertimeſcunt. Nam quoniã
» virtus, vt inquit ille, eſt vitium fugere, & ſapien-
» tia prima ſtultitia caruiſſe eſt, idcirco cuius nullum
flagitium,nullum vitium,aut certè ferendum com-
pertum eſt,de eo benè exiſtimari ſciunt:quamobrem*

*ne ſuum aliquod turpe factum ſibi obijci poſſit: diligenter cauent. Omnes autem vel ſummo, vel infimo loco nati ſint, turpitudinem fugere omni ſtudio decet, curareq́; vt bona de ipſis opinio, et exiſtimatio maneat. Summam autem in viro turpitudinem vulgo putant ignauiam, ac timiditatem, ſicuti in mulieribus intemperãtiam, et impudicitiam. Quod non omnino abhorret à ratione. Fortitudo enim à græcis vocata eſt ἀνδρεία, & à latinis propriè virtus, quaſi viri maximè peculiaris virtus, maximè peculiare ornamentum ſit. Verumtamen, vt hæc res benè percipatur, illud attendatur, quod inter omnes ferè philoſophos conſtat, qui vna virtute ſit præditus, eum neceſſariò omnibus præditum eſſe, qui vnam deſerat, nullam colere. Quod his argumentis confirmari ſolet. Fac aliquem iuſtum eſſe, vt de Ariſtide Athenienſe loquuntur hiſtoriæ, idem temperans, ac fortis ſit oportet. Iuſti enim eſt ad ea, quæ iuſta ſunt alacri ſemper, libentiquè animo, & rectis ſtudijs contendere. Sed qui temperans non ſit, nunquam alacriter facinus aliquod edet ex iuſtitiæ præſcripto, vbi voluptas aliò eum traxerit: nunquam timidus magno aliquo imminente diſcrimine; nunquam auarus ſi pecuniarum iactura facienda ſit. Omne deniquè vitium iuſtitiæ ſplendorem, & pulchritudinem obſcurat, & minuit.*

*Quod de vna virtute dictum, valet in reliquas. Huc accedit, omnes virtutes propoſitam ſibi habere honeſtatem. Ex quo ſi eam honeſtatem ſequamur, quæ in iuſtitia reperitur, quia honeſtas eſt; certè & eam, quæ fortitudini proponitur, ſequemur: Eadem enim vbiq; vis honeſtatis eſt. Poſtremò nulla verè haberi poteſt virtus, niſi prudentia quoq; habeatur, quæ omnibus rebus agẽdis clariſsimũ præfert lumẽ. Qui autẽ prudẽtia præditus eſt, nunquã falletur, nũquã ſe cupiditati cõmittet, ſed ipſam reget, ac moderabitur, atq; integræ ſemper virtutis fungetur muneribus. Ex hac virtutum coniunctione hanc noſtrorum temporum conſuetudinem in vlciſcendis iniuriis nonnulli defendi poſſe ſunt opinati. Si quis enim te iniuſtum appellet, tuq; illum loco moueas, in fugamquè conijcias, hoc fortitudinis munere obito, iuſtum quoquè te eſſe oſtendiſti; cum fortis nemo eſſe poßit, qui idem iuſtus nõ ſit. Cæterum ſi vera iſthæc fortitudo eſſet, ac non potius audacia quædam rationi, & legibus repugnans, ſi prætereà cum opus aliquod virtutis exequeris, ipſam ſtatim virtutem poßideres, quod à veritate maximè abhorret (nam prout Ariſtoteles docebat, licet opus aliquod fortitudini conſentaneum edere, non tamen fortiter) profectò iſti aliquid attuliſſent. Nunc alia repellendi criminis melior ratio ineunda eſt. Illud autem interea*

*rea teneatur, quamuis quis omnes virtutes habeat, tamẽ quando conſtantem, et abſolutam alicuius rei perfectionẽ naturæ noſtræ infirmitas nõ fert, propterea ſæpè euenire, vt nunc in vna, nũc in altera deficiat, nec virtutes iſtas amittat, quo ad peruerſo, & vitioſo habitu non peccet. Unius enim vitij habitus omnes virtutes excludit. His ita cõſtitutis, quo pacto nos honore dignos reddamus, bonamq́ de nobis opinionẽ hominibus afferamus, quo itẽ pacto infamiã, & ignominiam fugiamus, facilè oſtendi poſſet. Etenim ſi honos virtuti, tanquã merces debetur, virtutem colamus neceſſe eſt vitijs omnibus detractis, ſi honorem aſſequi volumus, bonaq́ de nobis exiſtimatio manere debet. Quapropter rectè Marcellus ad templum honori dedicatũ perueniri poſſe noluit, niſi prius virtutis templum adiretur. Cæterum cum erremus in vita, vt iam declarauimus, aut habitu vitioſo, vetereq́ conſuetudine peccandi inducti, aut iracundia, amore, cupiditate, aliaúe huiuſmodi perturbatione cõmoti, ſi habitum alicuius inſignis vitij cõceperimus, omni planè honore indigni ſumus. Qui enim malæ conſuetudinis corruptela vnam amittit virtutem, omnes vnã amittit. Sin autem impetu quodam, & perturbatione animi peccemus, quæ plerumq́ breuis eſt, & ad tempus; ob naturæ humanæ infirmitatem eſt quatenus dari nobis venia poſſit,*

*neq; continuò opprimemur infamia. Vix enim fieri poteſt, aut ne vix quidem, vt in hoc mortali corpore incluſus, importunoq; ſenſuum comitatu ſeptus quiſquam, quãuis ad optimum, & propè diuinum naturæ habitum præclara etiam inſtitutio, & diſciplina accedat, motus animi ita cohibere valeat, vt nõ aliquandò rationi aduerſentur. Ergo ſi honoris cupiditate flagramus, virtutes amplectamur, quas gloria, & honos ſequitur, vt vmbra corpus, ac noſtras appetitiones quàm maximè poſſumus, rationi obtemperantes præbeamus. In primis autem ne peruerſo more, ac vitioſo ſcelus aliquod cõmittamus, diligentiſsimè cauendum eſt. Quòd ſi iam vitij alicuius habitus adſit, conſuetudoq;, et ſi difficulter immutari, tamen aliquando poteſt, quod Ariſtoteles ſeptimo Ethico, & in categorijs, cap. de contrarijs, concedere videtur, nullus profectò labor recuſandus eſt, omneſq; induſtriæ nerui ſunt contendendi, quò illum ex animis noſtris deleamus; itaq; perditum honorẽ recuperabimus. Quòd ſi non habitu, ſed motu animi repentino peccauimus, ſi poſt factum pœnitere nos oſtendamus, & cõmiſſum facinus quacunq; ratione poſſumus expiemus, ſatis honori noſtro conſuluiſſe cenſeri debemus. Omnino autem quod cõmiſiſti facinus illud cõmiſſum inficiari velle, vt vulgò ſolent, nihil aliud mea ſententia eſt, quàm impudenti men-*

*dacio prius erratum augere, & cumulare.*

cap. xvi *EX Oritur autem queſtio de iniurijs, quæ nobis inferuntur, an dedecore nos afficiant, quæ quidem queſtio ſi rationem, non barbaram noſtrorum temporum conſuetudinem ſequamur, facilè explicari poteſt. Iniuriæ enim aut in verbis conſiſtunt, vt ſi quis de me non honorificè loquatur, multaq; maledicta in me conijciat, aut in factis, vt ſi pulſet. Maledictorum igitur notæ, quibus inurimur, ſi veræ ſunt, hæc nobis ab inimico vtilitas naſcetur, vt noſtra nobis uitia notiora fiant, ac ne inimicum diutius lætitia efferri ſinamus, ab illis nos reuocare omni ſtudio nitamur: Idcircoq; ſæpè obtrectatori non modò iraſcendum nõ eſt, ſed gratiæ potius, quoquo animo ille maledicat, ſunt habendæ. Quapropter rectè dictum eſt ab Antiſthene, ad ſalutem, & incolumitatem tuendam, aut amicis ingenuis, aut acribus aduerſarijs opus eſſe. Illi enim monendo, hi maledictis figendo mirificè iuuant, & vitia detrahunt. Quocirca Telephus, vt eſt in fabulis, cum medicum amicum inuenire non poſſet, uulnus hoſtili lanceæ expoſuit, et obiecit, à qua ſanatus eſt. Nec verò de conuiciatoribus aliud ſupplicium ſummemus, quã quod à Diogene docti ſumus. Is interroganti cuidam, quo pacto inimicum vlciſci poſſet probè, ſi te, inquit, bonũ virum, ac laude dignum præſtiteris. In criminibus igitur,*

*quæ verè obijciuntur hoc pacto nos geremus. Quòd ſi falſa ſint, hac ratione vtendum arbitror. Si leuia erunt, aut à leui auctore proficiſcentur, contemnenda ſunt, quòd notam nobis inurere ad ignominiam non poſſunt. Ad omnia autem omnibus reſpondere leuitatis cuiuſdam eſt. Princeps Philoſophorum Ariſtoteles cùm aliquandò ab impuro homine multis cõtumelijs eſſet oneratus, atq; ille poſtremò addidiſſet, num te ſatis obtudi? non herclè, inquit, tibi operam dedi; ſignificans huiuſmodi mancipijs verius, quã hominibus ne aures quidem præbendas eſſe. Diſcipulus verò tanto præceptore dignus Alexander Macedo cum comperiſſet à quodam in ſe multa iactari conuicia, Regium, inquit, eſt, cum benè feceris, malè audire. At ſi alicuius ponderis crimina erunt, & ab auctoritate præditis hominibus obijcientur, ne exiſtimationẽ perdamus, accuratè reſpondendum, repellendaq; ſunt crimina. Socrates ab oraculo Apollinis omnium hominum ſapientiſsimus iudicatus, cũ in carcere apud doctos homines, & prudentes diſputaret, ita dicebat, conabor nunc apud vos accuratius, quàm nuper apud Athenienſium iudices fecerim, me defendere. Atq; idem in Critone longa oratione concludit, non cuiusq; reprehenſionem vereri nos debere, ſed eorum tantum, qui prudentia, & ſapientia vigent. Alia iniuriæ ſpecies eſt, cum factis lædi-*

*mur. Qua quidem in re qui iniuriam facit, quã qui accipit, deteriori ſemper conditione eſt: Leges enim violat, pro quibus inuiolatis conſeruandis mortẽ libenter oppetere decebat, idcircoquè notam ſibi inurit nefarij propemodum ſceleris. Verum inquiet feroculus aliquis, iſtam notam ego non video; at ſi plagis es percuſſus, notam video; cui idem reſponderi poteſt, quod Plato Diogeni alia in re reſpondit. Nihil mirum; nam oculos corporis habes, quibus corpori notam impreſſam videas; oculos mentis, quibus labem in animo contractam videas, non habes. Verè autem maximum illud detrimentum iudicandum eſt, quo animus afficitur, dum à iuſtitia, & æquitate diſcedit. Atq; hoc loco illud mihi in mentem venit, quod Theodorus non ignobilis philoſophus Lyſimacho mortem minitanti reſpondit. Magnum verò effeciſti, ſi vim cantharidis es conſequutus. Ita iſtis, qui fortitudinis nomen falsò ſibi vſurpãt (vera enim fortitudo pro legibus, non contrà leges pugnat) atq; inferendis iniurijs delectantur, dici verè poteſt; crus alicui fregiſti, idem lapis è tecto decidens efficere poterat; interemiſti, nihil minus id aſpis in herbis latens morſu ſuo præſtitiſſet. Ne igitur te iactes, ne glorieris; neq; verò, qui iniuria affectus eſt, ſine honore, ac ſine exiſtimatione ſe eſſe propterea putet. Infamia enim vitium duntaxat ſequitur, vitium au-*

*tem voluntate ſuſcipitur. At dum iniuria afficimur, nullum ea in re voluntas noſtra momentum habet. Placet tamen acceptas iniurias ad magiſtratum deferre duabus præcipuè de cauſis. Primum vt leges tueamur incolumes, quæ impunitate propoſita, et nocentum nominibus nõ delatis quotidie à perditis, & flagitioſis hominibus conculcarentur. Deinde ne animi nimium remiſſi, atquè imbecilli iudicemur, ſi tacitas feramus iniurias. Decet enim, vt non ſeruos, ſed liberos nos eſſe reputemus, dignosq; quorum iniurias leges ipſæ perſequantur. Idcircò affirmat Ariſtoteles ſeruile eſſe non vlciſci iniurias. Quòd ſi Socrates, aliiq; præclariſſimi viri nunquã nocentes in iudicium rapuerunt, alia eorum ratio fuit. Sciebãt enim apud infenſos ſibi iudices iuſtitiæ, & veritati futurum non fuiſſe patrocinium. Verum hac de re alibi fuſius egimus. Sed hìc exoritur quæſtio. Aliquis te ex pari loco aggreditur, ita vt cõmodiſſimè, ſi vir ſis, defendere te poſſis permittentibus etiam legibus, quæ vim, dum infertur, vi repellere concedunt; Tantum verò abeſt, vt te defendas; vt ignominioſæ potius fugæ te mandes. Poſtea rem recta reputans via, vt maculam hanc eluas, aduerſarium in certamen vocare velles hoc animo, vt vincas, aut mortem oppetas: Quæris an liceat. Facilis reſponſio eſt. Nõ licet. Iniuſtitia enim ignauiam ſubleuare, & emendare*

*non debemus. Iniuſtus autem eſt, vt dicebamus, quisquis legibus non paret. Melior autem corrigendæ ignauiæ ratio erit, ſi per reliquum vitæ tempus fortem te, magnúq;, et excelſi animi virũ oſtẽderis. Reſtant iniuriæ, quæ noſtris parentibus, aut propinquis, aut amicis factæ noſtrã etiã violant exiſtimationẽ: quas vt propulſare, dum inferuntur, omni ſtudio debemus, ita tempore interpoſito per nos vlciſci ijsdem de cauſis, quas in noſtris iniurijs attulimus, iniuſtum eſt. Poſtrema illa cura eſt, quæ nos vehementer torquet, & excruciat, verentes ne vxorum impudicitia omni prorſus honore nos ſpoliet. Qua quidem in re, quando apud nos diuortium non permittitur, ita nos gerere debemus, vt leges iubent, id eſt, vt inuiolatas parentibus, aut propinquis cuſtodiendas tradamus. Caput enim illud eſt, à præſcripto legis ne metu quidem mortis propoſito diſcedendum vnquam eſſe. Quamobrem cum ea vis legum ſit, vt earum norma bona, & mala dijudicentur in vita, meritò ſemper boni Principis habitum fuit, vt illæ quàm æquiſsimæ eſſent, omniaq; definirent, quãtũ humano conſilio effici poteſt, operam dare. Quod nunquã ſatis laudatus pater tuus cumulatiſsimè præſtitit, tuq; ad omnem regiæ virtutis laudem expectatiſsime Princeps, ſi tuos, tequè ipſe imiteris, omninò præſtabis.*

*FINIS.*

Errata paulò maioris ponderis in libris de vera, & falſa voluptate ſic corrigito.

| | | |
|---|---|---|
| 275 | dulcendo | dulcedo |
| 300 | nomine | numine |
| 311 | ſuaui | ſua vi |
| 318 | legan-ſis | legam ſcis |
| 326 | verò, & ſubtiliter, | & ſubtiliter |
| 335 | πραιοτυς | ὡραιοτυς |
| 346 | perſpeſsionem | perpeſsionem |
| 354 | mea vultis | mauultis |
| 343 | proprius ad | propius ad |

*Errata in libro de Honore ſic corrigito.*

| | | |
|---|---|---|
| 3 | affeſti | affecti |
| 22 | oſtendemus | oſtendimus |
| 26 | cum in quinq; totius | cum in quinquennali toties |
| 29 | affines ab re | affines exponere ab re |

Leuiora, vt quæ ad accentus, & interpunctiones pertinent, æquitati tuæ permiſimus.

REGISTRVM.

ABCDEFG HIKLMNOPQRSTVXYZ.
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii ✠ Kk Ll Mm Nn
Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vu Xx. α β γ δ ε ζ η θ.

Omnes ſunt quaterni præter Ii qui ſunt ſeni.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

*Lucæ Apud Vincentium Buſdragum. M D L X I I I.*